BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXXIX
C
27
NAPOLI

XXXIX C ~~16~~ 27.

TRAGOEDIAE

SOPHOCLIS

QVOTQVOT EXTANT

CARMINE LATINO

REDDITÆ

GEORGIO RATALLERO IN SVPREMO APVD BELGAS REgio ſenatu Mechliniæ Conſiliario, & libellorum ſupplicum Magiſtro, interprete.

SECVNDA EDITIO.



ANTVERPIAE M.D.LXXVI

Ex officina Gulielmi Siluij, typographi Regij.

CVM PRIVILEGIO AD AN. VIII.

Bibl. dom. Prof. Neap. Soc. Jesu
Catal. inscript.

BIBLIOTECA NAZIONALE V. E. III. NAPOLI

TRAGOEDIARVM NOMINA.

AIAX FLAGELLIFER.

OEDIPVS TYRANNVS.

ELECTRA.

ANTIGONE.

OEDIPVS COLONÆVS.

TRACHINIÆ.

PHILOCTETES.

ILLVSTRI VIRO D. FREDERICO PERENOTTO DOMINO A CHAMPAGNEY SANCTO LVPO &c. GEORGIVS RATALLERVS S. P. D.

PVDVIT me nō ſemel toties monitum, atque appellatum abs te, toties ab illuſtriſſimo Cardinale literarum elegantiorum ſtudioſiſſimo patrono, fratre tuo, etiam tanquam ex ſyngrapha mecum actum, vt Sophoclis Tragicorū veterum facile principis Tragœdias, quas annis ab hinc XVII, & ampli⁹, Latio donatas penes me habui, in apertum proferrem, vix nunc tandem cedere. Atque in eo quidem vſu mihi veniſſe comperio, quod apud Euripidem Vlyſſi Hecuba ait, ἐξ ἀδοξούντων ἰόντα λόγον, κἀκ τῶν δοκούντων, αὐτὸν οὐκ ταυτὸν σθένειν, Sæpe enim amicis ijſque haud vulgariter eruditis editionem tantum non efflagitantibus reſtiti, multisque de cauſſis, quæ tum me mouebant. quas tamen omneis, vt verum fatear, regebat pudor mihi à natura inſitus, ſeu potius δυσωπία quædam: quam neque nunc penitus excuſſam ſentio, quando ita adhuc hæreo, vt non videam, quo modo vobis etiam auctoribus, mihi hoc tempore imperare potuiſſem, vt à carie tineisque vindicatas lucem videre permitterem, niſi inter cætera eò me incitaſſet id, quod nō mediocriter futurum verebar, ne inſcio me tandem

 aliquan-

aliquando neque recognitæ, vulgarentur, in aliquot iam exemplaria ab intimis familiaribus, atque neceſſarijs meis olim transſcriptæ. Ac ſi omnino edendæ erant, maluiſſem equidem ſuppreſſo meo nomine in vulgus exire, atque quod feciſſe Apellem legimus, libera hominum iudicia poſt tabulam deliteſcens excipere. Sed quò minus hoc commodè fieret, obſtitêre tres illę Sophoclis Tragœdię annos plus minus XX. è Græco à nobis in Latinũ conuerſæ, atque Lugduni formis Sebaſt. Gryphij expreſſæ, quibus etiam nunc vltimã manum addidi, vt mundiore ac politiore paulum habitu, cum reliquis in tuo nomine apparerent. Sub cuius enim patrocinio potius prodirent, quàm ſub illius, qui vitæ illis auctor extitit? qui tenebris, carcerique mancipatas in lucem protraxit? Quando itaque ventis vela commiſi, fratris tui ampliſsimi illuſtriſsimiq; viri, tuiſq; auſpicijs fretus, non dubito quin mare ingreſſum à monſtris, quæ per immenſum oberrant pelagus nauim, nauiſq; magiſtrum ſitis defenſuri. Nam quod quidam ſeueriore cenſura hos labores meos, tanquã in rebus ludicris poſitos notare poſſent, & in hac pręſertim ætate, atque dignitate conſtituto grauiora tractanda arbitrabuntur, hos ego, quorum errorem res ipſa conuincit, ne confutandos quidem puto. Neque enim ad ludum iocumque, neque vt multitudinis tantum animos recrearent, aut plauſus riſuſque in theatris excitarent, id genus fabulas ſapientiſſimi homines ſcripſiſſe exiſtimari debent: ſed vt maximarum rerum imagines nobis ob oculos proponerent, è quibus cum ad vitam rectè inſtituendã, moreſque formandos, tum ad Remp. bene guber-

nandam

nandam exempla depromant Principes & Magiſtra tus: vt vtranque Fortunam conſtanter ferendam, vt bonos prȩmia virtutis ſuæ manere, improbos pœnas flagitiorum tandem luere oſtenderēt. Et quemadmodum in Comœdijs, quȩ exhibentur, ſimulacra quædam ſunt communem hominum vitam repræſentantia: ſic in Tragœdijs magnorum Regum caſus, Regnorum mutationes, varietas Fortunȩ, rerumque imbecillitas humanarum tanquam in ſpeculo oculis ſubijciuntur. Adde quod vix alibi de gubernanda bene Rep. præcepta tam dextrè, tamq; aptè mutua cōmunicatione atq; συζητήσει explanantur. Quȩ vtinam diligenter legerentur, aut lecta ab ijs, qui gubernaculis Reip. admoti ſunt, ſi expenderentur, rectius ſe res humanȩ haberent, neque tam varijs fluctibus τῆς τῶν πολυπραγμόνων περιεργίας ἐκβλησαμένης ſurſum ac deorſum omnia iactarētur. Quàm ſuauis foret & perſonarum, & rerum omnium harmonia, ſi Rempub. ſic conſtitutam cernere liceret, vbi ſuo quiſque munere contentus, in ea, quàm nactus eſſet, Sparta ornanda, præcellere potius, quàm in alijs, quæ ab officio ſuo aliena ſunt, exercēdis operam ponere pulcrum duceret, tum verò ἀναλογίας τῆς γεωμετρικῆς, quam Plato grauiter vetèque non vno in loco δῶρον θεῶν appellat, quam apud Euripidem Vlyſſes tanti eſſe ponderis, atque momenti teſtatur, vt nulla Reip. forma, ſine ea, neque conſtitui feliciter, neque conſiſtere poſsit, vis atque vtilitas euidenter conſpiceretur. Atqui eò rediere hominum mores, quod Tragœdiarū ſcriptores luculenter ob oculos ponūt, vt nil niſi magnū plerique animo concipiant, vt ſimulatque tollere ſe humo poſſunt, ſine

alarum, quod dicitur, remigio æthera affectent, vt Pygmęi onera, quibus vix Atlas par ſit, non vereantur ſubire. Quæ quidem temeritas etiamſi quibuſdam ex ſententia ſuccedat, alij tamen pœnas luunt, & Icari in morem diffluentibus ſolis ardore ceris alis præcipites ex alto ruunt: alij, quorum pernicies etiam in proximos redũdat, Phaëthontis exemplo, ſe, & totas Reſp. concutiunt atque ſubuertunt. Neque alio ex fonte hęc peſtis promanat, quàm ex immoderata illa honorum, pecuniæque cupiditate, qua ita videmus plurimorum animos ἄγεσθαι καὶ φέρεσθαι vt etiam non examinatis proprijs viribus, quæuis auſint aggredi. Ea enim, quod de Pluto apud Ariſtophanem verè dicitur,

Καθάπερ ἰατρὸς κακὸς
Τυφλοὺς, βλέποντας παραλαβὼν, πάντας ποιεῖ.

Vt autem hoc hominum genus præſentem Reipub. perniciem adfert, ita illud vituperandum grauiter monent, qui ocio marceſcere, vitam demum putant, in eoque ſummum bonum collocant, nihil ad communem hominum ſocietatem vel ornandam, vel tuendam ſtudij, nihil operæ in medium conferunt, ἀσύμβολοι in Repub. verſantes, homines non re, ſed nomine. Quæ omnia etſi ex Philoſophorum libris, vbi latius iſta vberiuſque diſputantur, peti poſſunt, fit tamen vt eadem in Tragœdijs varietate exemplorum, καὶ δεικτικῶς illuſtrata magis afficiant, animiſque hominum inhęreant tenacius, quæ quaſi coram geri videntur. Quàm egregia paſſim exempla obuia ſunt, quibus Princeps vitam meliorem reddere, quibus alteram ſortem aduerſis ſperáre, ſecundis diſcat metuere? Quis adeò eſt ferreo vel obſti-

nato

nato ad ſcelera pectore, qui Oedipi ærumnas, ęrumnarumq; cauſſas legens, non moueatur, non mutetur? cui non meridiana luce clarius appareat, diuinitus ſic comparatum, vt atrocia flagitia pœnæ etiã conſequantur cõſimiles? Quid de Atreo, & Thyeſte, quid de miſerrima Priami fortuna, quid de alijs dicam? quorum etſi veterum alij libri meminêre, cùm tamen in aures, cùm in oculos incurrunt, magis feriunt animos. In eiuſmodi ſanè, vt inſulſi iſti rerum æſtimatores putant, ludicris non piguit olim ſummos viros ocium conſumere, vti Sophoclem, quem M. Tullius alicubi inter Philoſophos recenſet, ac doctiſſimum hominem, poëtamque diuinum nominat ad extremam penè ſenectutem, Dionem, Dionyſiũ Siculorum tyrannum, C. Cæſarem, Octauium Auguſtum, & alios, quos longum eſſet enumerare. Neque hac etiam ætate clariſſimorum virorũ exempla deſunt, qui à Reip. curis vacui, in hoc, aut ſimili ſtudiorum genere animos libenter recreant. Nota eſt inſignis, & nunquam ſatis laudata Nicolaïorum familia, ex qua ampliſs. doctiſs. q; patre editi doctiſſimi filij, quos hic exempli honoriſq; cauſſa nominare volui, Euerardus ſummi, dum viueret, apud Belgas ſenatus Regij Præſes: Item frater eius Adrianus Marius Cancellarius Geldrię, qui maximo reip. detrimento nuper è viuis exceſſit: Tertius Nicolaus Nicolai Grudius vir cum inſigni multiplicique eruditione, tum morum atque ingenij admirabili ſuauitate: quibus omnibus nihil fuit dulcius, quàm laſſitudinem ex Reip. laboribus contractam, amœniſs. Muſarum ſtudijs reficere. Ac vt alios prętеream, ſi hîc maximum Heroam Cardinalem fratrem tuũ

etiam nominare fas ſit, quis ignorat, quanta ipſius humeris Reipub. ſarcina incumbat? quàmque liben ter curis confectum animum hîc relaxet? Quod autem ego tantis ducibus in eius generis ſtudijs otij aliquid poſui, quòd iuuenilium annorum ſucciſiuis impenſos horis labores, quas horas aleę multi, poculisque dant, ego verò hoc literario exercitio conſecraui, quòd in quã perire labores illos nolim, quòd è tenebris erui patiar, quis iure queat culpare? Sed nolo hîc eſſe prolixior. Vereor enim, ne, dum anxiè nimis τοῖς ἀμούσοις καὶ μισοκάλοις me purgo, in varias doctorum hominum reprehenſiones incurram, quibus ego ſane placere, quàm barbariei magiſtris, malo. Neque quicquam nunc addam aliud, quàm, ſi non deſinant maledicere, illud quod apud Euripidem alicubi dicitur, καλὸν μένγε τοῦτο τοὔνειδος, in illos me retorturum. Porrò quantum in conuertendis hiſce ſcriptis operę, ſtudijque collocatum eſt, aut quid denique effectum, doctorum hominum, atq; eorum, qui in ſimili palæſtra ſe exercuêre, iudicium eſto. Tibi autem, illuſtris Domine, hæc noſtra dicamus, tum propter eam, quam ſuprà explicaui, cauſſam, tum quòd primis illis tribus Tragœdijs, quãuis ob pręproperam atque præmaturam editionem non ſatis politè limatis, te audio delectatũ magnopere fuiſſe: atque adeo has poſteriores, ſi alium patronum quęrerent, tu tuo iure vindicare manumiſſas, aut denique ex ſtipulatu mecum poſſes contendere. Quid multis? ita te affectum ipſe vidi, & multorum ſermonibus accepi, etſi è Muſarum ſinu te Mars conetur auellere: tamen ita te totum non poſſidere ferocem illum Deum, quin ad amœniſſima

Muſa-

Muſarum vireta interdum recurras, & in gremio ſuauiſſimarũ virginum libenter conquieſcas. Quare vt ęquo animo iſta accipias, te vehementer etiam atque etiam oro, neque longiorem hanc moram, atq; cunctationem in aliam partem interpretêre, quàm aut verecundia, quam mihi attribuit meą natura, quęque tam longo tempore vix vllis machinis expugnari potuit, poſtulat, aut occupationes publicæ permittunt, è quibus vix tantum ſubtrahere vacui temporis potui, quod hiſce noſtris recognoſcendis ſatis fuiſſe videri queat.

DE RATIONE VERSVVM AD LECTOREM.

DE ratione carminum, quibus vſus eſt Sophocles, non puto abs re fore, ſi paucis admoneam, extra Choros vix alio genere, quàm Iambicis Trimetris Acatalecticis vſum fuiſſe. Sub finem Oedipi Tyranni aliquot ſunt verſus Trochaici Tetrametri, vt etiam in Oedipo Colonæo, & aliquot Hexametri in Philoctete, quos vbique etiam nos reddidimus. In Choris ob varia, & Latinis inuſitata, & multa incognita genera, id præſtare non licuit, ſed vbi in ijs notare atque animaduertere potuimus Anapæſtica, Trochaïca, & alia id genus Latinis vſitata, ea, pro eo atque in nobis fuit, expreſſimus. Qui autem περὶ μέτρων, quæ vſurpat in Choris Sophocles, plenius erudiri deſiderat, is, quæ huc pertinebunt, ex Demetrio Triclinio Græco Grammatico petat, qui opuſculum ea de re editum reliquit.

ADRI-

ADRIANI MYLII SENATORIS REGII APVD HOLLANDOS AD LECTOREM EPISTOLA.

HABES tandem, amicè lector, multorum votis tantopere deſideratum Sophoclem totũ ab ampliſſimo viro Dn. Georgio Ratallero Regio Senatore, annis ab hinc plus minus xix, Latinitate donatum. Quem cùm vir ille, qua eſt modeſtia, totum ſupprimere ſtatuiſſet, ſub idem fere tempus ex amicis eius aliqui Aiacem, Electram, & Antigonen nacti, Lugduni apud Gryphium excudi curauerunt. Quæ cùm in publicum prodijſſent, tantæ omnibus eruditis admirationi fuerunt; vt illi qui reliquas Tragœdias ab eo verſas eſſe ignorarent, ad reliquarum verſionem ſine intermiſſione adhortarentur: qui autem totius verſionis eſſent conſcij, obnixè rogarent, ne tam inſigni bono diutius Rem pub. literariam defraudaret: quibus verò etiam legendi illas atque perluſtrandi facultas, pro ea, quæ illis cum interprete erat amicitia, contigiſſet, illi ſummam dexteritatem, fidem atque eloquentiam qua vbique ſui ſimilis ſenſum auctoris dilucidiſſimè explicat, admirati, nefas eſſe ducebant, ſi ab interpellatione deſiſterent, priuſquam totius Sophoclis editionem, vti nunc tandem impetrarunt, obtinere illis datum eſſet. Cuius ego te candide Lector, etſi interpres ipſe id contempſit, ac pro nihilo propemodum putauit, admonere pro ea, quę mihi cum

eo in-

eo interceſſit, amicitia, operę-pretium exiſtimaui, ne ſi fortè in aliam Sophoclis editionem incideris, noſtrum interpretem illius veſtigijs inſtitiſſe arbitreris. Prodijt enim ante annos aliquot hic idem auctor Latinè verſus à Ioanne Lalemantio Heduo. Hic multos verſus, & paginas interdum integras ex tribus illis Tragœdijs à noſtro interprete verſis, & ante annos, vt dixi, XIX. editis, in ſuam verſionẽ tranſtulit, abſque illius mentione, niſi quod in primo Antigones Choro, quem totum tranſcripſit, nomen eius dimidiato expreſſum ad Chorum annotauit. Licet igitur hæc editio, illa Lalemantina, ſit poſterior, tamen prioris triũ illarũ Tragœdiarũ admonitus, nouer is Heduum à Ratallero multa mutuatum, Ratallerum autem Hedui laboribus nequaquam adiutum eſſe, quanquam hoc ipſum, erudite lector, vtriuſque phraſis & dictio facile euicerit. Atq; idem ille Heduus multa de generibus verſuum, quibus in explicando Sophocle vſus eſt, præfatus, ait ſe, exemplo Eraſmi, in duarum Euripidis Tragœdiarum verſione, liberius id facere. Sed an ille, quod tanti viri exemplo ſe feciſſe ait, etiam in ijs verſibus, quos ex noſtro interprete non habet, præſtiterit, eruditi lectoris iudicio relinquo. Certè noſter hic interpres, in vniuerſum obſeruatis religioſiſſimè carminis legibus, ſumma elegantia, ac fide, mentem Poëtæ expreſſit: ita vt citra vanitatem aſſerere audeam, plurimos noſtro ſeculo etiam ſummos viros in hoc genere laudis verſatos eſſe. Hos omnes ſi Ratallerus nõ ſuperauit, primos certè adæquauit, ſecũdos longè à tergo reliquit. Bene, vale amice lector, & clariſſimi viri laboribus atq; iuuẽtutis vigilijs feliciter fruere.

GERAR-

GERARTVS FALKENBVRGIVS NOVIOMAGVS

DE DN. GEORGIO RATALLERO, *& Sophoclea ipſius verſione.*

Πρῶτα Ῥαταλλῆρον τὰ γράμματα καλὰ δίδαξεν
Εὐφροσύνη, κ᾽ ἀρετῆς ἡγεμόνευσε τρίβον·
Κεῖθι δὲ παιδνὸν ἐόντα πλανώμενον ἔνθα καὶ ἔνθα
Ἡ Θέμις εἰς κήπους ἤγαγεν Εὐνομίης·
Ἐνθάδ᾽ ἀνὴρ πυκιναῖς πολλὰ φρεσὶ μερμηρίζων,
Τὰς Χάριτας Μούσαις συγκατάμιξεν ἀεί·
Καὶ νῦν θεσμοφύλαξ πρωτεῖα λαχὼν ἐνὶ βουλῇ
Καδδύναμιν ῥέζει ταῖς Ἑλικωνιάσιν·
Ἠνίδε τὸν Σοφοκλῆ μετάφρασε Λατινίδι γλώσσῃ
Ἡδυεπῆ, πινυτόν τ᾽ εὖ καὶ ἐπισταμένως,
Ἦρα φέρων πάντεσσι· νέοισι γὰρ ἠδὲ γέρουσι
Πολλὰ Σοφοκλείη χρήσιμα βίβλος ἔχει.
Τήνδ᾽ ἑρμηνεύσας τίνος ἄξιός ἐστιν ἀμοιβῆς,
Ὃς τὰ ποτὶ ζωὴν χρήσιμα δῆλα ποιεῖ;
Μὰψ Φθόνε κοκκύζεις σαυτοῦ φθόρε· τόνδε σαώσει
ἡ Θέμις, Εὐνομίη, Μοῦσαι, Εὐφροσύνη.

STEPHA-

STEPHANI STRATII
IVR. CONS. ANTVERPIANI
EPISTOLA, QVA GEORGIVM
Ratallerum ad Sophoclis ſui editionem
adhortatur. Kal. Auguſt.
M.D.XLIX.

*

AIACIS furias, infelicemq́; Creonta,
Dignum perpetua laude Sophoclis opus,
Iam tuus iſte labor, Tragicæq; peritia Muſæ,
Romulidûm iuſſit ferre patiq́; togam.
Et Telamone ſatum toga, Thebarumq́; tyrannum,
Non ſecus ac olim pallia Græca decent.
Sic Latio retulit ſermone Terentius, antè
Quæ fuerat Graijs fabula ſcripta modis.
Inueniſſe quidem, ſed & eſt vertiſſe decorum:
Et peregrina, velut reſtituiſſe ſua.
Vſque adeò, vt variet populi ſententia diſcors,
Auctor, an interpres ſit potiore loco.
Ergo tuo geminus ſtudio producitur Aiax:
Et geminus, præceps in ſua fata, Creon.
Et meritò. quòd enim ſemel inſaniuerit Aiax,
Non ſatis exemplo Iuppiter eſſe putat.
Sæpius ille Deam belli meliora monentem,
Sedula cum Græcis Aegide ferret opem,
Reppulit, adijciens etiam conuicia culpæ,

Se ratus

Se ratus inuito vincere poſſe Ioue.
Patris & illuſit verbis mandata ſuperbis,
Heu malè confiſus viribus ipſe ſuis.
Denique vincendi quo non iam percitus œſtro,
Atque mala flagrans ambitione ruit?
Teſtis Vlyſſes erit cum Principe claſsis Achiuæ,
Donec Mæonidis nobile viuet opus.
Nam ſeſe proceres credens iugulare Pelaſgos,
Dicitur armentis commaculaſſe manus.
Hinc iræ impatiens Gracè furit, atque Latinè,
Et documenta ſui certa furoris habet.
Debuit &. luctu multo grauiore moueri,
Impius abiecta relligione Creon.
Scilicet, humani iuris temerator & æqui,
Dum tenet arbitrio regia ſceptra ſuo,
Lacrymula poterit nati cum coniuge manes,
Antigonenq́ſibi conciliare piam?
Sæuitiæ monimenta tuæ tria funera ritu,
Si neſcis, alio ſunt reparanda tibi.
Neu ſceleris pœnam, quod ſponte ſcienſq́ patraſti,
Poſt longas repetat Iuppiter ipſe moras,
Incipe mœrori legem præſcribere iuſtam,
Acrior & vindex criminis eſſe tui.
Planxiſti, fateor: nullo quoque tempore mendax
Funerei luctus Græcia teſtis erit.
Ditis at irati nec ſic componere vultum,
Aut iſto poteras thure litare Ioui.
Quo fit, vt Auſonias etiamnum ſquallidus aures,
Per-

Permoueas querulo carmine ſæpè Creon.
Et qui nuper eras Graio miſerandus amictu,
Non minus in Latia nunc quoque veſte gemas.
Hoc violata Iouis placantur numina pacto,
Hasq; mali pœnas exigit ira Deûm.
O te felici prognatum ſidere vatem,
Qui potes in numeros iſta referre tuos.
Nanq; cothurnatæ ſunt hæc monimenta Camœnæ,
Digna Sibyllæos exuperare dies.
Solus at ipſe vetas, quod nec prohibere Sophocles
Vellet, in hac cauſſa ſit licet ille prior.
Illius obſtruxit famæ tua Muſa Georgi:
Quodq; decus nuper ſolus habebat, habes.
Nec tamen in tenebris optat tua ſcripta perire
Inuidus, aut tineas exaturare putres:
Egregia ſed ouans tantum pro laude reportat,
Argumenta tibi quòd placuere ſua.
At tu Cimmerias Aiacem ſæuus in oras
Trudis, & Antigonen vis ſine teſte legi.
Ingenio ſic teſtis abeſt, Tragicisq; cothurnis,
Quos populi par eſt docta per ora vehi.
Dic mihi, cùm Muſis ſcribas & Apolline digna,
Quosq; putet numeros Naſo poëta ſuos,
Ore quid ingrato proprias damnaſſe tabellas,
Et nimis ipſe tibi diſplicuiſſe ſtudes?
Non ita deformes odit pia ſimia fetus,
Sed fouet amplexu, ſollicitoq; ſinu.
Fortiter illa quidem Naturam ferre nouercam,

Tu Genium Phœbi diſſimulare potes?
Indoctón' ſtylo facis, inuitaq́; Minerua,
Nemo quod ingenio vincere poſſit, opus?
Scilicet, exciderant iuuenili fuſa calore,
In quibus elucet non imitanda manus.
Quære peregrinum, qui te non norit, vt iſtis
Credulus obiectis poſſit habere fidem.
Sed tua te nimium manifeſto carmina produnt,
Vt ſit ab inſpecto notior vngue leo.
Nam ſimul ac ſocia natura potentior arte,
Impulit ad calamos cor animumq́; tuum,
Scribis, vera loquor, cedris, & digna cupreſſo:
Verba nec à rebus ſunt aliena ſuis.
Nunc elegos tractaſſe leues, moduloſq́; Phaleuci,
Nunc etiam tragicum perſonuiſſe decet.
Pectoris & poſtquam venas inflauit Apollo,
Omnia ſunt numeris inferiora tuis.
Quare Caſtalio ter cùm ſis munere felix,
Cur tua fruſtratur laude Camœna ſua?
Quin, exploratis committito carbaſa ventis,
Ipſe vel hanc puppim per mare Phœbus aget.
A ſcopulis tutam, lethumq́; ferentibus vndis,
Dirigit Aonij turba perita chori.
Nec ducibus tantis audes te credere ponto?
I miſer: hic metus eſt ruſticus, atque pudor.
Sed fortaſſe tuo demus non pauca pudori,
An venia poteris dignior eſſe tamen?

Nam, quæ te dociles enutriuere ſub annos,
Pierides, Clario numina ſacra, nouem,
Haud impunè feres pretio ſpoliaſſe laboris,
Vltio ſi læſas tangit, & ira Deas.
Quoque magis caueas, referam notiſsima toto
Fonte Meduſæo carmina facta breui.
Nec, quia te didiciſſe reor, meminiſſe pigebit,
Vt vel ab exemplo doctior eſſe queas.
Sic male quisq́; ſibi, cùm rerum poſtulat vſus,
Conſulit, ac ſequitur deteriora ferè.
Celſus erat lyricæ vatum celeberrimus artis,
Inclyta quos habuit tempore Roma ſuo.
Cedere non Celſo dubitauit Horatius olim,
Sit licet Auſoniæ nunc caput ille lyræ,
Quo minus, at quæris, numeroſa poëmata noſtros
Detineant ocùlos impediantq́; manus,
Si quid habent veri viuacibus illita chartis,
Totius in promptu cauſſa futura rei eſt
Fama ſecuta fuit, iuuenem cum thure Sabæo
Theſpiades multa ſollicitaſſe prece,
Poſſet vt interpres operi ſuccedere dignus,
Pindaricæ retinet quod monimenta lyræ.
Exoratus erat Phœbus, Phœbiq́; ſorores,
Certaq́; Parnaſſus vertice ſigna dabat:
Ecce nouo, mirum, correptus numine Celſus,
Melpomene vires ſuppeditante ſuas,
Romuleæ Graium feliciter inſerit vrbi,

Auſonijs mutans pallia Græca togis.
Nec manus à tabula deponitur antè, Latino
Quàm deſperatum carmine claudit opus.
Parte ferunt lecta Muſas ſtupuiſſe libelli:
Et ſua miratus munera Phœbus, ait,
Pindare nuper eras Latijs peregrinus in agris,
Nunc ſtudio Celſi iura Quiritis habes.
Sic Heliconiades mecum voluere, nec iſto
Eſt quod te pudeat ſerius ore loqui.
Te dominus rerum multa cum laude ſenatus,
Et Romana teret plebs, populusq́; manu.
Ac noſtro meritoq́; tuo celebratus abundè,
Sublimi feries vertice ſumma poli.
Verba fides ſequitur: volat ecce per arua Latina
Pindarici vatis nuntia fama noui.
Quoque ſit vtilitas magnarum publica rerum,
Quam ſcelus eſt ingens continuiſſe domi.
Vndiq; ſolliciti coëunt iuuenesq́; ſenesq́;,
Et precibus Celſum turba fatigat inops.
Ille negat, differt, cauſſasq́; diſertus vtrinq;
Explicat, vt vulgi non ſit in ore frequens.
Hactenus & venia poterat quoq; dignus haberi:
Nam ſolet hoc vitium vatibus eſſe bonis,
Vt ſua lambentes vrſino more reforment,
Nec niſi permittant poſt duo luſtra legi.
Celſus at iſte domi tacitè ſibi plaudit, & idem
Auſonios ridet ſpe cecidiſſe ſua.

 Hinc

Hinc Aganippæas meritò querimonia tangit,
Quam plebs, quã populus, quamq́ ſenatus agit.
Et ſua iam Muſæ, ſua munera Phœbus & odit:
Vſque adeo ingrati gratia nulla viri eſt.
Denique concilio placuit vindicta coacto,
Et ſceleris vindex Mulciber ipſe fuit.
Nam ſubitò mediæ per cuncta ſilentia noctis,
Qua poſitum vates parte fouebat opus,
Occupat immeritos flamma populante penates,
Immiſſoq́ ferox expiat igne nefas.
Celſus vt hæc ſentit, ſine ſomno fortè iacebat,
Impiger extremam flumina poſcit opem.
Auxiliumq́ miſer vicina ſperat ab vnda,
Dum noua Neptuno vota preceſq́ facit.
Hauſta ſed, ô mirum, ſolitis ſine viribus vnda,
Vulcanoq́ dabant flumina ſponte locum.
Scilicet Aonidum cauſſam Neptune fouebas,
Quamuis natura Mulciber hoſtis erat.
Hæc operum Celſi finis: ſed & exitus illum
Hic lyricos inter nomen habere vetat.
Néue ſit ingratus poſthac ſine vindice, longi
Irritus ecce labor temporis igne perit.
Atque ita momento ſpes facta caduca Poëtæ eſt,
Quam ſibi poſt cineres fecerat ipſe ſuos.
Hoc decet exemplo, quo non illuſtrius vllum,
Aut pro materia certius eſſe poteſt,
A tenebris monitum defendere ſcripta, ſituq́

Vt ſic

Vt ſic victa pudor, det quoque terga metus.
Pelle moram, fictasq́ moræ procul abijce cauſſas:
Ecquid enim fruſtra tempora longa teris?
Nónne vides, prudens vt publica commoda tardas,
Quæ potes ingenio demeruiſſe tuo?
Diſce tui viuus mercedem ferre laboris:
Nam venit extructo gloria ſera rogo.
Sic te Phœbus amet redimitum tempora lauro,
Tresq́ ſimul Charites, Pieridesq́ nouem.
Sic te Mercurius faciat ſermone diſertum,
Atque ſuo foueat docta Minerua ſinu.

IN DVAS SOPHOCLIS TRAGOEDIAS, AIACEM FLAGELLIFERVM, ET ANTIGONEN A Georgio Ratallero Phryſio verſas, Cornelius Scribonius.

O TEVCER, *ô Tecmeſſa, triſteis ponite*
Luctus, querelas, lacrymas.
Qui nuper occidit ſua ipſius manu
Iam veſter ille Aiax (nece
Procul) reuixit, mentis ex inſania
Rurſum receptis ſenſibus.
Quin tu quoque heus Creon miſerrime omnium
Regum, dolere deſine.
Tua illa coniux, cum tuo illo filio
Eiuſq́ꝫ ſponſa nobili
Stulta tua tyrannide extincti, nouæ
Vitæ fruuntur munere.
Hos eruditus ille prædulciſsima
Potens Ratallerus lyra,
More Orpheos reduxit è nigrantibus
Horrentis Orci faucibus.
Quiq́ꝫ antea ſermone ſunt vſi Attico
Graijs nitentes pallijs,

Nunc

Nunc illius beneficio vrbis Romuli
Ciues, eunt clari in togis,
Perinde Romanis loquentes vocibus,
Ac ſi illa in vrbe à faſcijs
Siue educati, ſiue prognati ſient
Latijs vtrinque parentibus.

AD CANDIDVM LECTOREM GEORGIVS RATALLERVS.

SI vacat vrgenteis lector ſeponere curas,
Et terere in Tragicis otia parua libris,
Excipe non duro iuuenilia carmina vultu,
Hocq́; cothurnati perlege vatis opus.
Quem nos, dum cupimus linguæ monimēta Latinæ
Scrutari, & Graios perdidiciſſe ſonos,
Iuſsimus Auſonia redimitum exire lacerna,
Et trepidum vultus ante venire tuos.
Verba Sophocleis ſi non ſatis apta cothurnis
Fortè leges, Tragicis atque minora ſonis,
Pone ſupercilium, placidam neque contrahe frontē,
Scriptaq́; cum venia qualiacunque lege.
Non ea libertas alieno offertur in agro,
Quam quis habet propria quando laborat humo.
Carcere concluſus certis cohibetur habenis,
Præſcriptaq́; ſibi cogitur ire via.
Sed quem nulla premit rigidæ cuſtodia legis,
Per loca uon aliјs peruia, liber abit.
Per iuga, per ſaltus, per amœna vireta vagatur:
Iam thyma, iam teneras ſubſecat vngue roſas.
Iam graditur lentè, curſu iam fertur anhelo,
Iam duro, molli iam pede calcat humum.

Deniq;

Denique diuerſas aſſumit dictio formas,
Materiæ eloquio conueniente ſuæ.
Quod ſi hæc non poterunt venia tibi digna videri,
Quæ ſunt præcipuo digna fauore tamen:
Et tyrocinium, veniamq́; merèbitur ætas,
Quæ nondum quintam clauſit Olympiadem.
Præmia non aufert fulua gladiator arena,
Sæua rudi primum qui capit arma manu.
Nec quæ nunc latè viridantem proijcit vmbram,
Quo poſita eſt arbor tempore talis erat.
Noſtraq́; adhuc edet meliores tibia cantus,
Tempora ſi vitæ ſint diuturna meæ.

SOPHOCLIS VITA
EX SVIDA.

SOPHOCLES Sophili filius ex vico Colono Athenienſis poëta Tragicus natus eſt Olympiade circiter 73. itaque maior natu Socrate deprehenditur annis 17. Hic primus vſus eſt hiſtrionibus tribus, & eo, quem Tritagoniſten appellant. Primus etiam Chorum auxit perſonis tribus, vt è quindecim conſtaret, cùm antea ex duodecim tantùm con ſtitiſſet. Apis cognomen illi inditum fuit propter ſermonis ſuauitatem. Auctor etiam fuit, vt eiuſdem argumenti fabulis inter plures de palma certaretur. Sripſit Elegiam, & Pæanas, & orationem ſolutam. De Choro aduerſus Theſpin & Cheritum contendit. Filios habuit Iophontem, Leoſthenem, Ariſtonem, Stephanum, & Meneclidem. Obijt anno VI. poſt mortem Euripidis. Fabulas edidit CXXIII, &, vt quidam aiunt multò plureis. Victorias obtinuit treis & viginti.

EX GRÆCO
σιμωνίδου.

F L O S *vatũ, venerande ſenex, ſic munera Bacchi*
Carpis, vt extinctum iam breuis vrna tegat?
Paulatim hîc hederæ Sophoclem redimite iacentẽ,
Per tumulum viridi ſerpite fronde ſacrum.

Ex-

Expandat paſſim flores roſa, florida latè
Vitis odoratis luxurietq́; comis.
Hunc doctrina illi, hunc tribuat prudẽtia honorẽ,
Qui Charitum cultor Pieridumq́; fuit.

EX GRÆCO
Ερυκίου.

H V N C *hederæ Sophoclis tumulum nexuq́; tenaci*
Stringite, & vmbroſis vſque ligate comis.
Taurigenæ reſonantia apes examina condant,
Semper vt Hyblæo buſta liquore fluant.
Sic vſque Argolicis ſtillabit cera tabellis,
Sic vati vt fiant ſerta, Corymbus erit.

ARGV-

ARGVMENTVM FABVLÆ EX GRÆCO TRADVCTVM.

FABVLA ad res Troianas ſpectat, quemadmodum Antenoridæ, Captiuæ, Helenæ raptus, & Memnon. Nam cęſo in pugna Achille inter Aiacem & Vlyſſem de corpore efferendo incidit tontrouerſia, quòd alter altero in hoc munere obeundo ſibi videretur præſtantior. Ac iudicio de armis illius inſtituto, Vlyſſes illa obtinuit. Vnde Aiax quòd cauſſa cecidiſſet, nimio dolore in furorem actus, inuaſit gregem, exiſtimans ſe Gręcos trucidare, ac alias quidem ex quadrupedibus iugulat, alias vero colligatas in tentoria abducit. Inter quas eximia quadam magnitudine Aries eſt: quem, Vlyſſem eſſe ſuſpicans, ligatum flagellat. Vnde titulus huic Tragœdię inditus eſt Aiax μαστιγοφόρος, id eſt flagellifer. aut ad differentiam Locri. Dicæarchus autem titulum pręfigit, Aiacis mors. Sed cum exhibetur fabula, Aiax inſcribitur. Hæc igitur facit Aiax. Vlyſſem autem in tentotijs deprehendit Minerua ſpeculantem quidnam agat Aiax, ac quæcunque geſta ſunt ei narrat, vocatque tandem, vt foras prodeat, Aiacem etiamnum furioſum & ſuperbè ſe efferentem, gloriantemque de interfectis hoſtibus. Deinde ſe in ædeis recipit Vlyſſem flagris cæſurus. Accedit interea Chorus ex nautis Salaminijs, ſciens quidem mactatum eſſe Græcorum gregem, auctorem verò ignorans. Egreditur etiam Tecmeſſa, quam bello captam Aiax pro concubina habebat,

bebat, ſciens quidem ab Aiace ſtragem gregis editam: verùm cuiuſnam gregis ignara. Vterque igitur quod ignorabat ab vtroque edoctus: Chorus quidem à Tecmeſſa, quod Aiax cædis eſſet auctor: Tecmeſſa viciſſim Græci exercitus eſſe gregem: lugent & maximè Chorus. Deinde Aiax iam ad ſe reuerſus, mentiſque compos egreditur, & ſua facta deplorat. Tecmeſſa eum, vt iram remittat, obſecrat. Ille verò iam ſe remiſiſſe ſimulans, exit tanquam ſe, cædemque expiaturus, ac mortem ſibi conſciſcit. Sub finem fabulę contentiones ſunt, Teucri aduerſus Menelaum non permittentem cadauer ſepeliri: tandem autem ſepultum Teucer luget. Porro Fabula hoc innuit, ex ira, nimiaque vincendi cupiditate huiuſcemodi morbos exiſtere. Quemadmodum Aiax ſperans ſe armis potiturum, fruſtratus ipſe ſibi manus adfert. Atq; id genus victoriæ, ne ipſis quidem, qui videntur ſuperiores euaſiſſe, ſunt vtiles. Vide quid Homerus de hac Aiacis calamitate breuiter quidem, ſed patheticè ſcribat,

Sola ſed Aiacis reliquis procul vmbra receſsit
Arma ob Pelidæ magno commota furore.

Deinde audi quid victor dicat,

O vtinam haud eſſem tali in certamine victor.

Nihil igitur vtilitatis attulit ei victoria morte tanti viri redempta.

Fabulæ actio conſtituitur prope tentoria Aiacis in naualibus. Mirè autem inducit Mineruam initio loquentem. Abſurdum enim fuiſſet Aiacem egreſſum narrare quæ à ſe fuerant geſta, & ipſum ſe reprehendere. Neque quiſquam alius potuiſſet reſcire, quæ ſecretò, & noctu ab Aiace deſignata erant. Dei fuerat iſta palàm facere, & quidem Mineruæ, quę Vlyſſis parteis ſtudioſè fouebat, vt in fabula eſt,

- Et hanc ideo prodij in viam
Cuſtos tibi & tuo fauens venatui.

De morte Aiacis variant apud auctores ſententiæ: Alij aiunt à Paride vulneratum veniſſe ad naueis ſanguine diffluen-

ſluentem: Alij Troianis oraculum editum, vt luto eum, cœnoque obruerent, ferro enim vulnerari non poterat, & hoc modo obijſſe: Alij rurſus ipſum ſibi mortem conſciuiſſe aſſerunt, quorum eſt etiam in numero Sophocles. De latere verò, quod illud ſolùm vulnerabile eſſet, Pindarus meminit, corpus quidem, qua parte leonino tegebatur exuuio, vulnerari non potuiſſe, qua verò patebat, fuiſſe vulneribus obnoxium.

In Aiace, vt etiam is, quiſquis fuit, qui Græcè ſuperius argumentum contexuit, obiter tangit, adumbrare Sophocles voluit hominem militarem, arrogantem, Deorum contemptorem, repulſæ impatientem. Item nimia ambitione homines de ſtatu mentis deturbari, & in graueis tandem calamitates proruere. Aiax enim grauiter commotus ob prælatum ſibi in capiunda armorum Achillis ſucceſſione Vlyſſem, pręcipuo cuique in exercitu necem molitur. Sed Deus, cui Principum & Reipublicę ſalus curæ eſt, hanc ferociam retudit, & hominem in furorem actum, ad armenta conuertit, vbi dum ſe putat flagris cædere & mactare Principes, boues, atque alia pecora iugulat. In Agamemnonem, & Vlyſſem potiſſimum iram effundit, in hunc vt victorem, in illum, vt iudicem verberibus & conuicijs inſultans. Egregia autem vbique præcepta Fabulæ interſperſa ſunt, & graues ſententię de pietate erga Deum, de referenda bene meritis gratia, de obedientia magiſtratui præſtanda, de moderanda ira, item ſe vincere ſummam eſſe victoriam. Quod etiam eleganter Ouidius expreſsit, de Aiace loquens,

lib. xiij. Metamorph.

Hectora qui ſolus, qui ferrum, ignemq́ Iouemq́
Suſtinuit toties, vnam non ſuſtinet iram.
Inuictumq́ virum vicit dolor. &c.

Atque hic etiam conſideranda Vlyſsis prudentia eſt, qui inimicitias poſt mortem prorogare impium exiſtimans, Agamemnonem de Aiacis cadauere digladiantem

tem, hortatur, vt corpus mandari terrę permittat. Vide Horat. Sermo. lib.2. Saty.3.

Præterea hìc vt planius apud Ouidium, collatio eſt viri militaris cum togato, qualis etiam apud Ciceronem eſt, vbi anteponit res vrbanas bellicis, *libr. xiij. Metam.* *Libro i. Officior.*

Paruaque eſſe foris ait arma, niſi
conſilium ſit domi.

PERSO-

PERONÆ FABVLÆ.

MINERVA.

VLYSSES.

AIAX.

CHORVS ſenum Salaminiorum.

TECMESSA.

NVNTIVS.

TEVCER.

MENELAVS.

AGAMEMNON.

GENVS AIACIS.

Iupiter.

Æacus.

Telamon.	Peleus.
Aiax.	Achilles.

Teucer autem, cuius hîc perſona introducitur, Aiacis frater fuit, ſed conſanguineus tantùm.

SOPHO-

SOPHOCLIS

AIAX FLAGEL-
LIFER.

Præfatur Minerua.

Semper te, Vlyſſe, hoc agere vidi, vt hoſtibus,
Quos moliuntur, arte præriperes dolos.
Aiacis vt nunc in ſtatiuis nauticis,
Extrema vbi ille parte habet tentoria,
Venari, & indagare iamdudum omnibus
Veſtigijs te conſpicor, domi ille ſit,
Nec ne, vt queas reſciſcere. At qui tempori
Tua huc, Laconici vt canis, ſagacitas
Te duxit, etenim nunc vir intus deſidet,
Sudore diffluens caput, manuſq; habens
Cruore, & atris taminatas cædibus.
Nec eſt quòd intra limina amplius oculos
Iſta inferas, ſed cur laborem hunc cœperis,
Mihi refer, quæcunque ſcire poſtulas,
Mox omnium ex me, Vlyſſe, fies certior.
VLYSS. *O vox Mineruæ inter deas cariſſimæ,*
Quàm facilis agnitu! licet te oculis meis
Non videam, ea aureis perſonat tamen meas,
Animiq; prorſus, clarus vti Tyrrhenicæ
Clangor tubæ, pertranſiit præcordia.
Et nunc virum ſcis propter aduerſarium
Surſum hic deorſum ſollicitus obambulo.
Scutum ferrentem maximum Aiacem volo, hunc

Hic diuinę vocis ſonus ſapiẽtia eſt, atque iſte eſt dæmon, quem Socrati familiarẽ fuiſſe Platonici aiunt.

Iam quæro dudum, & præter illum neminem.
Nam nocte quoddam hac perpetraſſe dicitur
Infame facinus. id quidem eſt patratum, an is
Sit auctor, haud dum liquidò conſtat, & animis
Pendemus ambiguis: eoq; cupidius
Hic ſponte nunc ſuſceptus eſt mihi labor.
Ferro trucidatum iacet per agros pecus,
Vnaq; cuſtodes gregis ſtrage horrida.
Omnes in illum conferunt dirum ſcelus:
Quin ille qui ſpectator aderat, paſcuis
Cùm ſolus exultaret herbidis, vibrans
Enſem recens fuſo cruore luridum,
Omnem mihi recenſuit cædis modum.
At ego omnibus mox perſequens veſtigijs
Hominem requiro, aliaq; certa agnoſcere
Mihi viſus, alijs rurſus hæſi incognitis.
Itaque peropportunè ades, etenim vt omnia
Alia priora, ſic futura quoque omnia
Tuo geram adiutus, Minerua, numine.

Fidentibus Deus præſto eſt.

MIN. *Id Vlyſſe ſcio, & hanc ideò prodij in viam*
Cuſtos tibi, & tuo fauens venatui.
VLYS. *Scitè ſatis, Domina, atque cõmodè hæc ago?*
MIN. *Quid ni? viri cùm illius hæc ſint facinora?*
VL. *Quid ad inopinatum ſcelus manum impulit?*
MI. *Aeacidæ ob arma bile commotus graui.*
VL. *Cur in gregem pede ille furtiuo irruit?*
MI. *Veſtra ratus ſe cæde polluere manus.*
VL. *Molitus iſta fuit in Argolicam manum?*

MI. *Ac*

MI. *Ac rem peregiſſet, niſi obſtitiſſem ego.*
VL. *Qua audacia id tandem cedo, aut ferocia?*
MI. *Vos noctu adortus ſolus inſidijs fuit.*
VL. *Propiúsne ad ipſa caſtra promouit gradum?*
MI. *Valuas ducum iam ille imminebat biforibus.*
VL. *Quînam furentem à cæde cohibuit manum?*
MI. *Ego à nefando hominem repreſſi gaudio,*
Oculoſq́; falſa faſcinans imagine
Auerti in armentum, rapinaq́; pecora
Abacta, quæ indiſtincta ibi à paſtoribus
Cuſtodiebantur pariter, huc irruens
Cornigera graſſabatur vndique cædibus
Inter animalia, iamq́; geminos ſe putans
Mactare ſupplicijs ſua Atridas manu,
Iamq́; in alium atque alium ducum facere impetus.
Interea ego furente graſſantem lue
Hominem incitabam, altis eum implicans plagis.
Qui tandem vt à dira quieuit cæde, mox
Superſtites conſtrinxit arctis vinculis
Lætus boues, reliquumq́; domum abegit gregem,
Non vt gerentem cornua pecudum gregem,
Sed vt hominum præda potitus, glorians.
Rigidisq́; nunc vinctas ibi cædit flagris.
Atque efficiam oculis tuis vehementiam
Furentis intueare morbi, vt protinus
Quæ videris, pandas Achæis omnia.
Conſiſte fortiter, animumq́; ſuſcipe,
Néue, malum vt aliquod, hunc tibi exſpecta virũ.

Hãc mentis perturbationem veteres ad deos retulerunt ἰατρῶν δ' ἐκ παῖδες ad atrã bilem.

Ego ſiquidem auerſos ita facile radios
Dirigam oculorum, vt abs tui aſpectu arceam.
Heus qui coërces vinculis captas manus,
Accedito huc: te Aiax voco, prodi foras.

Hic timor nõ ex ignauia, ſed prudentia proficiſcitur.

VL. *Quid agis Minerua? ne, precor, hominẽ euoces.*
MIN. *Nunquid ſilebis, ac timere deſines?*
VL. *Ne per deos, intus ſat eſt, ſi remaneat.*
M. *Cur? ne quid accidat? anteáne hic quoq; vir erat?*
VL. *Hoſtis quidem mihi fuit ille, & adhuc manet.*
„ MIN. *Ridere ob hoſtem riſus eſt dulciſsimus.*
VL. *In ædibus manere eum mihi ſat eſt.*
MIN. *Virum furore percitum aſpicere times?*
VL. *Non ſic timerem, ſi ſui compos foret.*
MIN. *At te quidem haud videbit, etſi adſis propè.*
Ego palpebras tenebris videntes obtegam.
„ VL. *Auctore nil non effici Deo poteſt.*
MI. *Nunc ſubtice, locóque eodem, vbi es, mane.*
VL. *Manebo, quamuis malim abeſſe longius.*
MI. *Heus tu, ſecundum iam voco te, Aiax, quid eſt*
Quòd cura ſociæ te ita leuis tenet tuæ?
AIAX. *Minerua ſalue, maximi ſalue Iouis*
Proles, vt auxilijs triumpho nunc tuis
Prædam hanc adeptus! ditia ex auro tibi
Solido dicabo ſpolia, & exuuias graueis.
MIN. *Rectè, ſed illud nunc mihi expedias velim,*
Haſtam'ne Danaûm iam imbuiſti copijs?
AI. *Id gloriari queo, nec eſt quare negem.*
MI. *Nunquid etiã armaſti erga Atreidas dexterã?*

AI. *Ac ſic quod Aiacem amplius non negligent.*
MI. *Sunt mortui illi, verba ſi intelligo tua.*
AI. *Iam mortui, mea ſi velint arma rapiant.* σαρκασμὸς
MIN. *Age dic quo apud te viuit in ſtatu ſatus*
Laërte, dexteram ille ſuffugit tuam?
AI. *Scelerata vulpes; bellua illa vbi ſit rogas?*
MI. *Sic eſt, de Vlyſſe rogo tuo aduerſario.*
AI. *Captiuus ô regina iucundiſsimus*
Intus ſedet, nec eum prius volo mori.
MI. *Sed quid prius molire? quid captas lucri?*
AI. *Quàm colligatus ad columnas ædium,*
MI. *Quæ in miſerum es exempla editurus poſtea?*
A. *Tergum cruentatus flagris necem oppetat.*
MI. *Ne ſic precor miſerum flagellis conſeces.*
A. *Sine vnica hac in re meo me affectui*
Obtemperare, alijs geram in rebus animo
Morem tuo: ille hanc mihi, aliam haud pœnā dabit.
M. *Age igitur, iſtuc quando ſit tanta facere*
Tibi voluptas, vtere manu fortiter,
Parcaſq; nihil; exequere quæ fert impetus.
AIAX. *Accingor ad opus. hic tibi pareo lubens.*
Sic quæſo faueas partibus ſemper meis.
MIN. *Vides, Vlyſſe, quæ deûm eſt potentia?*
Quis hoc viro prudentior, vel idoneis
Rebus gerundis potior vſpiam extitit?
VL. *Haud ſcio equidem vllū. quin ego, quāuis mihi*
Velit male, infauſtam illius, quod tam graui
Miſer vrgeatur pondere, doleo vicem.

Fluxa omnia mortalium.

„ *Eiuſq; me exemplum ſtatus monet mei,*
„ *Siquidem nihil nos eſſe ſentio, niſi*
„ *Simulacra, quotquot viuimus, & vmbras leueis.*
„ MI. *Hæc intuetor, nec ferocioribus*
„ *Vnquam laceſſe cœlites dictis Deos,*
„ *Nec inſolenter te geras, ſi pluſculum*
„ *Quàm cæteri dextra, vel auro polleas.*
„ *Mortalium res auget & premit dies.*
„ *Amant modeſtos, execrantur Dij malos.*

Doctrina cõtra elationẽ animiatque impietatẽ.

CHORVS,

Qui ex Anapæſticis, & varij generis Iambicis conſtat.

O Proles Telamonia,
Quæ ſedemq; & ſceptra maritima,
Et quæ ſalſis vndique fluctibus
Reſonat, Salaminæ tenes.
Quando tibi res ex ſententia
Cedit, gaudeo plurimum.
At cùm vehemens te diuinitus
Plaga opprimit, aut ſæuis obruunt
Conuicijs proceres Pelaſgi,
Magnas propter te conijcior,
Inq; ambiguas ſollicitudines.
Nec ſecus, atque columbæ
Oculus volucris, concutior metu.
Vt nunc etiam nocte elapſa,
Nos magnus triſtisq; tumultus

Infeſtæ

Infeſtæ corripuit famæ:
Læta ingreſſum paſcua Danaûm
Armenta, ac prædam, quæ bello
Rapta ſupererat, totam
Ferro interfeciſſe coruſco.
Talibus effictis ſermonibus
Omnibus aureis implet Vlyſſes:
Ac facile id perſuadet: de te enim
Quiduis, quod dicit, credibile eſt:
Ac quicunque ſuſurronem audit,
Gaudetq́; tuisq́; inſultat malis.
Siquidem magnos quiſquis iaculis "
Animos petit, haud facile errat. ſed "
Si de me taleis quis ſpargeret
Rumores, non perſuaderet.
Summa ferit liuor. verùm parui
Sine magnorum auxilio
Debile turris munimentum, Coniūctio
Mutua ope indigent. atque concordia.
Magnus paruis rectè iungitur,
Sæpe à paruis magnorum res
Confirmantur.
Sed væcors hæc non capit animus.
Turbas id genus homines,
Quibus exagitaris, nunc concitant.
Neque nos, Aiax, te ſine
Hanc vim propulſare valemus. Ignauorū
Aſpectum hi ſimul ac tuum exultatio.

Effugère, imbelles
Ceu volucrum greges,
Quæ roſtrum auidi vitant vulturis,
Tota per agmina perſtrepunt.
Ac ſi ſubitò nunc prodires,
Sæua attonitos mox formidine
Obmuteſcere cerneres.

Diana & Luna eadē eſt poëtis, neque ad Lunam referri furorē otioſū eſt.

Num te ſummi nata Tonantis
Culta ferocibus
Cynthia Tauricis
(O fama triſtis & meæ
Mater nefanda infamiæ)
In publicas ſæuire pecudes impulit:
Irata nullam ſibi relatam gratiam
Abs te, potitus cùm fores victoria,
Aut celebrium ſpoliorum
Donariȷs fruſtrata, vel
Venationis parte?
Aut æreo ſuccinctus
Thorace Mauors, cur tibi
Succenſeat aliquas habet cauſſas,
Vt noctis tenebris ſub opacæ
Iniuria affectus aliqua
Inſidiȷs te exagitet?
Nam compos animi nunquam eò,
O proles Telamonia, deueniſſes
Mali, vt ita in armenta irrueres.
Morbus tibi diuinitus venit.

Sed

Sed Iuppiter Danaûm ſiniſtram
Vnà cum Phœbo famam arceant.
Quòd ſi fortè ab hominibus
Ad hoc ſubornatis, ſceleſtoq́;
Captant genere Siſyphi
Huiuſcemodi fabulas
Magnifici Reges:
Ne quæſo, ne Rex nauticis
Abſtruſus in tentorijs
Te ſic ſiniſtra fama oneres.
Sed è tuis mox ſedibus te proripe,
Nunc vbi diuturno te
Ac difficili conficis otio,
Peſtemq́; miſſam cælitus
Magis magisq́; accendis.
Ac hoſtium liberrimè, &
Formidine ſine vlla,
Ventoſis vt ſaltibus ignis,
Contra te erumpit petulantia:
Aſpera paßim, quæ mea macerant
Sæuo corda dolore,
Effundunt conuicia.
TECMESSA. *O Aiacis ſocij nautica turba,*
Indigeniſq́; ſati ab Erechthidis,
Triſti quatimur pectora luctu,
Qui curam prolis Telamoniæ
Procul abſentis patrijs ædibus
Sollicitam gerimus.

Etenim acer nunc, bellóque ferox,
Magnuſq; Aiax preſſus turbida
Tempeſtate iacet.
CHOR. *Nox iſta quale ad priſtinas*
Adiecit ærumnas onus?
Phrygij nata Teleutantis
Age narrato: quandoquidem te
Bello captam, & ſocij in partem
Thalami aſcitam Martius Aiax
Adamat, nec enim ignara, vt opinor, es.
TECM. *Quid rem infandam vobis referam?*
Triſtius ipſa morte malum audies.
Correptus nocte hac inſania
Indignum patrauit facinus
Inclytus Aiax.
Mox intra cernens tentoria
Mactatás dextra pecudes
Sanguinolenta,
Huius monimenta viri.
CHOR. *Qualem eheu adfers mihi*
De bellicoſo nuntium viro?
Intoleranda hæc ſunt, nec quæ vlla
Vitari arte mala queant.
Quæ iam apud Argiuos iactata
Increbreſcunt ſermone omnium.
Torqueor hei ſollicita
Impendentis formidine caſus:
Ne celebris vir furiali

Percitus

Percitus æſtro,
Atras inferat ipſe ſibi manus,
Vt mucrone cruento
Pecora atque ipſos armentarios
Simul omneis iugulauit.
TEC. *Illinc itaque ille, eheu, poſtquàm*
Captiuum egiſſet pecudum gregem,
Mox alias intus humi ſtratas
Mactauit, latus infixas alias
In geminas diſrupit parteis.
Mox arripuit binos arietes
Velleribus velatos candidis,
Caput alterius linguaq́ reciſum
Extremum abiecit, verum alteri
Surſum erecto aſtrictoq́ columnæ
Magna capiſtra manu tenens,
Duplici infligit verbera loro.
Interea improperat conuicia,
Quæ non ipſe ſibi, ſed numen,
Quo exagitatur, ſuggerit.
CHOR. *Nunc nunc tempus adeſt, ô ſocij,*
Leuibus caput inuoluite velis,
Inq́ fugam veloceis
Conferte pedes:
Aut curuis conſidite tranſtris,
Pontigradæq́ rati laxatas
Soluite habenas.

Rigidis tonabunt pariter Atridæ minis,
Ac metuo miſerè ne
Occumbamus ſaxis obruti,
Pœnamq́ mortiferam
Luamus vnà cum illo
Quem furor exercet
Inſatiabilis.
TEC. *Haud furit amplius, at velut acer*
Fulguris abſque erumpens alis
Auſter, tandem deſiit.
Et nunc ſanæ compos mentis
Cruciatu affligitur ille nouo.
" *Quiſquis proprias aſpicit oculis*
" *Aerumnas, nec habet partem in quem*
" *Aliquam transfundat mali,*
" *Magnos ſuſtinet ille dolores.*

Trimetri Iamb.

CHO. *Bene mecum agi putabo, ſi ceſſat furor.*
Submoto enim, quæ cura reſtabit, malo?
TEC. *At optio ſi detur, vtrum elegeris:*
Aut gaudijs ipſe cumulatus, anxios
Luctus amicis comparare, aut particeps,
Communiumq́ ſocius eſſe luctuum?
CH. *Geminum ò mulier eſt ſimplici maius malum.*
TEC. *Nos nunc furoris expertes affligimur.*
CHO. *Qui ſic cedo? nec enim ſatis id intelligo.*
TEC. *Vir ille morbo percitus graui, malis*
Quibus erat obrutus gaudebat: &

Nos compotes rationis urebat dolor.
At nunc furor cùm ceſſet, & morbo à fero
Reſpiret, ægris angitur doloribus.
Nec nos dolore, quàm ante, cruciamur minus.
Cernis igitur iam è ſimplici duplex malum?
CHO. *Aſſentior ſanè tibi. at malè metuo,*
Ne plaga diuinitus aliqua eum iam obruat.
Qui fiat, animi compos vt nihilo magis,
Quàm preſſus illa calamitate, gaudeat?
TEC. *Rem ſic ſe habere mox faciam vt intelligas.*
CHO. *Quænam mali fuere initia? te precor*
Profare, pariter id mali lugentibus.
TEC. *Totam tibi rem expediero, in quem portio,*
Parsq́; aliqua noſtræ etiam redundat miſeriæ.
Nam nocte concubia faces poſtquàm amplius
Nullo fugarent lumine tenebras, manum
Ancipiti obarmans telo, inutileis diu
Quærebat exeundi ab ædibus vias.
At ego increpãs, Quam rem, inquã, agis cariſſime
Aiax? quid inceptas? vocatus nuntio
Haud vllo, & iniuſſus quid hinc te proripis?
Nec claſſicum ſonuêre tubæ, & omnem ſopor
Exercitum altus occupat. Verùm ille tum
Breui quidem hoc, ſed vſitato me ſtatim
Dicto repreſſit, Mulier, inquit, mulieri „
Confert decus ſilentium. Quod audiens „
Deſiſto. at ille ſolus exiluit foras,
Neque quid patrauerit ibi, poſſem dicere.

Intrò reuerſus vinculis ſtrictos agit
Tauros, & armentarios ſimul caneſq́
Prædamq́, cornigeram. alijs iugulum fodit,
Surſum erigens mactat alios, ſpinam ſecat.
Aliosq́, vinctos, vt homines, cædit flagris.
Atque hoc in armentum ille ſæuijt modo.
Tandem foras erupit, & locutus eſt
Vmbræ cuidam, nunc in Atridas fremens
Acerba, nunc in ducem Ithacum: ſæpe rigidos
Edens cachinnos gloriabatur graueis
Sumpſiſſe ſe pœnas de eorum iniurijs.
Rurſus deinde proſilit in ædeis furens,
Longoq́, tandem tempore ad ſe vix redit.
Compos ſui poſtquàm cruenta conſpicit
Repleta ſtrage tecta: verberat caput,
Exclamat, ac proſtratus in cadauerum
Et clade funeſta gregis recubat, comas
Dirè recuruis vellit, extrahit vnguibus.
Longoq́, ſic tacitus reſedit tempore.
Pòſt deinde diris intonat verbis, mihi
Crudelia minatur, niſi totam ordine,
Vt accidiſſet, ſibi calamitatem aperiam.
Scitatur, in quodnam mali inciderit genus.
At ego metu perculſa, rem, quantum quidem
Noram, recenſui, ô amici, vt acta erat.
Atqui ille mox lamenta cœpit triſtia
Profundere, & queſtus graueis, qualeis ego
Nunquam antea ex illo audij. ignaui viri,

Mineruã deſignat, quæ Aiacem euo cauerat, quod tamẽ ignorat Tecmeſſa.

Ac

Ac mentis abiectæ eſſe dicere ſolitus
Eſt eiulatum huiuſmodi: ac ſi quid prius
Aegrè animo erat, quietus: ac eiuſmodi
Ipſe ſibi lamentatione temperans,
Intus gemebat, taurus vt mugit ferox.
At nunc tam atrocibus obrutus malis homo — Idē ferè infra in Trachinijs de Herculo.
Cibo ſine, & potu ſedet animalia
Inter media prolapſus, atque aliquid mali
Velle aggredi mihi videtur: talibus
Et vocibus replet & querelis æthera.
Verùm, ô amici, hac mota cauſſa prodij,
Si quam poteſtis, ferte miſero ingreſſi opem:
Nam ſorte, vt ille, qui premuntur lugubri, „
Monitis amicorum facile flecti ſolent. „
CHOR. *Proles Teleutantis grauia nobis refers,*
Magnis virum furore correptum malis.
AIAX. *Hei mihi, mihi.*
TECM. *Mox vt videtur altius, nunquid, precor,*
Audiſtis, Aiax quàm feros edat ſonos?
AIAX. *Hei mihi, mihi.*
CHOR. *Affligi adhuc morbo videtur, aut acri*
Veteris furoris ægritudine affici.
AIAX. *Hei puer, puer.*
TECM. *Heu me miſerrimā: Euryſaces ah te vocat.*
Quid cogitas? vbi es? hei mihi miſerrimæ.
AI. *Teucrum voco. Teucer vbinam eſt? perpetuò ita*
Prædas ab hoſtibus aget, ac ego pereo?
CHOR. *Iam compos eſſe ſui mihi videtur. fores*

Actutum

Actutum aperiat aliquis: nam fortaſſe me
Coràm ille poſtquam aſpexerit, verebitur.
TEC. *En aperio, conſpicere fas eſt facinora.*
Quæ fecit, ac quo nunc ſit affectus modo.

Trochaici, Iamb. Anapæſt.

AIAX. *Cara mihi nautica cohors*
Atque ſoli prorſus ex amicis
Nunc mihi relicti, &
Soli adeo rectis inhærere
Legibus comperti.
Cernitis quàm turbidæ
Iam procellæ, ceu nigro
Aequore coortæ, vndique
Me opprimant?
CHO. *Hei vt nimis vera mihi de illo prædicas!*
Certas furoris in homine video notas.
AIAX. *O nautica auxiliaris*
Mihi turba, quæ lentos per alta
Agitaſtis æquora remos,
Vos ſolos, vos, inquam, ſolos
Alios inter proceres
Mihi conſpicor propitios.
At pariter me dedite morti.
„ CHO. *Fauſta loquere, neque quando medicinã malo*
„ *Facis malis, maiora tibi cumules mala.*
AIAX. *Conſpicíſne audacem,*
Fortis, impauidíque
Martijs in prælijs animi

Inter intrepidas feras manu
Strennuum? hei quibus cachinnis miſer,
Hei quibus ludibrijs ſum expoſitus?
TECM. *Ah care mi Aiax, ne loquere talia, precor.*
AIAX. *Non te amouebis? non retrò feres pedem?*
Ah, ah, ah, ah.
CHOR. *Ah per Deos cedas malo, ad mentem redi.*
AIAX. *Ah me miſerrimum,*
Qui manibus execrabileis
Emiſerim peſteis meis:
Armentaq́ in boum
Gregesq́ claros irruens,
Atrum profudi ſanguinem.
CHOR. *Quid te ob peracta conficis doloribus?* „
Infecta fieri rurſus illa non queunt. „
AIAX. *Hei qui intueris omnia,*
O omnium ſemper malorum
Laërte progenite organum,
Veterator impuriſsime
Exercitus, quanta hæc videre
Tibi eſt voluptas! quos alicubi
Nunc excitas riſus!
CHOR. *Deo volente quiſque ridet, & dolet.* „
AIAX. *O mihi vtinam nunc liceat illum*
Aſpicere, quamuis inuoluto
Tam ſæuis ærumnis.
Hei mihi, hei mihi.
CHO. *Caue dixeris quicquam immodeſtius: vides*

Quibus modo iaceas procellis obrutus.
AIAX. *O ſtirpis auctor Iuppiter meæ,*
Vtinam perempto garrulo
Illo hoſte, & impoſtore peſſimo,
Geminíſque regibus prius
Neci datis, tandem quoque ipſe
Mortem oppetam.
TE. *Quãdo iſtud optas, ſimul etiã opta, vt tecũ ego*
Moriar. quid ah, te mortuo, viuere iuuet?
AIAX. *O caligo, lux mea,*
O Erebi loca nigris obſita
Tenebris, nunc radiantia lumine
Mihi fulgidiſſimo,
Agite, recipite me incolam,
Accipite me. nec enim Deorum
Genus, nec hominum vitam
Colentium breuem, auxilium
Vt in meum contuear,
Me reputo dignum.
Sed Ioue nata potens Dea
Me letiferis ſauciat ictibus.
Quà mihi fuga patet?
Quò recurram? vbi manebo?
Hîc amicis deſtitutus linquor.
Interijt prior, hei mihi, gloria:
Imminentq́; ſat ſcio, ſimul alia.
Veſana in hac venatione
Procumbo: iam vniuerſus accurret

Exer-

Exercitus, telis ſtatim criſpantibus,
Atque manu vtraque vt me neci dedat.
TEC. *Hei mihi, virúmne huiuſmodi clamoribus*
Reſonare, quos nunquam ediſſet antea?
AIAX. *O vaſto cum murmure fluuÿ*
In apertum labenteis æquor,
Antra maritima,
Littoraleq́; nemus.
Ah nimium me tempore longo
Ad Dardaniæ mœnia Troiæ
Detinuiſtis, ſed non amplius
Me vitalibus ætheris auris
Veſcentem retinebitis.
Atque hoc, quicunque modò intelligit,
Sibi perſuadeat.
O Scamandri vndæ propinquæ
Beneuolæ Argolicis,
Me virum non amplius tantum
Conſpicabimini,
Magna dico, quantum
Troia ab Argiuis profectum
Non vidit oris.
At ſpretus hîc nunc iaceo & inglorius.
CHO. *Quî te cohibeam, aut quî ſinam iſta dicere*
Non reperio, his quando implicatus es malis.
AIAX. *Aì aì, quis vnquam cogitaſſet id meum*
Ita nomen eſſe calamitati congruum?
Nunc eſt procliue bis ter αἰάζειν mihi,

Sæpè fit, vt nomina ſint fatalia. Αἰάζειν plorare, ſeu lamentari ſignificat,

Tantis repentè ſum malis circundatus.
Cuius quidem pater hoc in Idæo ſolo
Re fortiter, clareq́ gesta, præmijs
Primis potitus, nobiliq́ gloria
Domum redijt ornatus. atqui ego illius
Proles eôdem cùm loci peruenerim
Ad Ilium, haud minore robore præditus,
Et res mea iſtac non minus claras manu
Cùm geſſerim: infamis opud Argiuos ita
Miſerè pereo. Verùm id mihi conſtat ſatis,
Ambitioſus Aiacis animus, & repulſæ impatiens. *Viuus ſi Achilles de ſuis ſententiam*
Dixiſſet armis, arbiterq́ ille potius
Præſtantiæ virtutis exſtitiſſet, haud mihi
Arma illa præripuiſſet alius. Quæ quidem
Nunc gemini Atridæ verſipelli ac peſſimo
Homini dederunt, deſpicati huius viri
Virtutem, & inſignia facinora. Atqui niſi
Oculi acies verſa aliò, mensq́ de ſtatu
Suo fuiſſet mota, nunquam illi amplius
Poſthac obirent iudicandi munia.
Sed indomita, truciq́ cincta Gorgóne
Ioue nata Diua iam manum intentantem eis
Fefellit, obiecto furore pectori,
Nefaria huius vt edita gregis ſtrage
Sic inſcias cruore tingerem manus.
Ridere at illis nunc libet ſuauiter
» *Hinc, me quidem inuito, fuga elapſis. nam vbi*
» *Obeſſe conſtituit Deus, facile fit, vt*

Igna-

Ignauus effugiat viri fortis manus. „

At nunc quid incipiam? Dÿs cùm ſim palàm Delibera-tio de morte conſciſcenda.

Inuiſus? odit me Pelaſgûm exercitus:

Infeſtaq́ꝫ vniuerſa Troia eſt, & adeo

Hæc prata. quid? domum'ne repetam, ac nautica

Hac derelicta ſede, & Atridis, maris

Vada cærula Aegæi ſecabo? At qua patrem

Fronte Telamonem contuebor? aut quibus

Me ſuſtinebit ille conſpicere oculis,

Nudum venire, nec aſſecutum præmia

Præcipua, quorum gloriam ille adeptus eſt,

Et nobili ornatus corona? Equidem haud queo

Hæc perpeti, res non ferenda. At quid ſi ego

Troianæ in vrbis mœnia faciam impetum,

Solusq́ꝫ cum ſolis manus ibi conſeram?

Vt, poſtquàm aliqua præclara geſſero, oppetam?

Sed ſic Atridis grata fecero. haud placet.

Eſt tale tentandum itaque nunc mihi facinus,

Quo ætate confecto queam oſtendere patri

Haud me ex eo degenere prognatum indole.

Ignaui id eſt, vbi mala non mutant vices, „

Expetere longa vitæ acerbæ tempora. „

Nam quid diei adiecta delectabile, „

Quæ mortis horam prorogat, dies habet? „

Non huius hominem ego quidem illum fecerim, „

Spe qui vſque & vſque ſuſtinetur credula, „

Sed aut honeſtè viuere, aut mori decet „

Generoſi hominem animi. hæc mea eſt ſententia. „

CHO. *Nihil loquutus es modo quod, Aiax, tuis*
A moribus abhorreat: at iſtos tui animi
Reprime feroces impetus: ac id viris
Concede amicis, vt animum vincant tuum,
Teq́; his moleſtis libera cruciatibus.

Teemeſſa Aiacẽ dehortatur à cõſilio mortis.

TEC. *Aiax here, haud vllum inter homines durius*
Extat malum, quàm euentuum neceßitas.
Siquidem ego libero ſata parente, & opibus
Si quiſquam alius, inter Phrygas pollente, nunc
In ſeruitutem ſum redacta, ſic Deo
Viſum eſt, tuæq́; maximè præſtantiæ. at
Ex quo tori in partem recepta ſum tui:
Te veneror, vnicè te amo, atque res tuas
Curo. Itaq́; quæſo perq́; Epheſtium Iouem,
Perq́; ſocialis iura thalami, infamia
Ne me eſſe dignam hac deputes, vt fabula
Iacter quibuſuis, ſi hoſtium cuiuſpiam
Subdar tuorum arbitrio. Si tu oppetis,
Vitæq́; me linquis tuæ ſuperſtitem,
Id ſtatue firmiter, illo eodem me die,
Gnatumq́; pariter hunc tuum, vi rapiet, ac
Demenſum Achiua turba ſeruili cibum
Compellet ore ſumere. At domini quibus
Ludibrijs, quibus abſtinebunt nos probris
Inceſſere? vt acerbè loquentur? Coniugem
Aiacis hanc videte, nemo eo fuit
Totis Achiuûm copijs præſtantior,
Qua iam illa ſeruitute, poſt quam gloriam

Viciſsitudo rerũ humanarum, qualis qualis ſit, æquo animo ferenda.

Vrgetur?

Vrgetur? atque eiuſmodi paßim ſoni
Spargentur, ac infanda tunc me calamitas
Præcipitem eô dabit, tibiq́ hæc, & tuo
Auditu erunt acerba generi, & turpia.
Sed iam tuum reuerere patrem, quem graui Obteſtationes plenæ affectuum.
Preſſum relinqueres ſenecta: annis matrem
Reuerere multis degrauatam, quæ Deos
Supplex precatur ſæpe, vt incolumis domum,
Saluusq́ redeas: miſerearis filij
O rex tui, qui deſtitutus nunc miſer
Eductione ætatis infirmæ, & patre
Te orbatus, ah puerile ſub tutoribus, ”
Et non amicis, tempus exiget. Vide ”
Quantum mihi, pueroq́, ſi mortem oppetas,
Cumules aceruum calamitatum. Nec mihi,
Te præter, eſt quiſquam, auxilia cuius petam.
Tu patrias populatus es ferro domos,
Et morte matrem. at Parca ſuſtulit patrem:
Sic incola Orci vterque degit. quis mihi
Pro te patria erit? quæ'ue opes meæ? ſalus
In te mea Aiax tota ſolum repoſita eſt.
Memor mei viue, meminiſſe virum decet, ”
Cui volupe quid, cui ſuaue quod fuit, accidit. ”
Nam gratiam generare ſueuit gratia. ”
Animi nec eſt cenſendus ille nobilis, ”
Cui effluit beneficij vnquam memoria. ”
CHO. *Sic te moueri, Aiax, velim, vt moueor ego:*
Vxoris hercle verba laudares tuæ.

AIAX. *Laudem profectò à me aſſequetur:ſi modò,*
Quæcunque iuſſero, expedire illa audeat.
TECM. *Cariſſime Aiax, morem vbique geſſero.*
AIAX. *Huc nunc, vt aſpiciam, mihi adduce puerũ.*
TECM. *Atqui metu perculſa eum emiſi domo.*
AI. *Meam'ne propter calamitatẽ? aut quidnã ais?*
TEC. *Ne, ſi alicubi tibi obuius fieret miſer,*
Moreretur.
AIAX. *Haud alienum id à meis malis.*
TEC. *Vt hoc cauerem, ſedulo à me data opera eſt.*
AIAX. *Factum probo, atque prouidentiam tuam.*
TECM. *Quo modo igitur gratum tibi facere queo?*
AIAX. *Coràm videre fas mihi ſit, & alloqui.*
TECM. *Apud miniſtros hìc propè in cuſtodia eſt.*
AIA. *Quid obſtat igitur, quo minus mihi copia eſt?*
TECM. *Fili, pater te appellat: huc adducito*
Miniſter ocyus, manu qui eum regis.
AIAX. *Venit'ne iam vocatus, an non audijt?*
TE. *Quin à miniſtro adductus in propinquo adeſt.*
AIAX. *Attolle puerum, attolle, nec enim contuens*
Cædem recentem hanc expaueſcet, ſi modò
Ille patrijs imbutus eſt virtutibus.
„ *At aſperis mox legibus generoſi equi*
„ *Ceu pullus, edomandus eſt, vt indole*
Fiat parenti ſimilis. O puer patre
Euade fortunatior, ſed cæteris
Hac rebus vt reſpondeas; ſic non malus
Fies. Beatum nate ſed te prædico

Huc quadrat illud Virg. Diſce puer virtutẽ ex me, verũq; laborẽ, Fortunam ex alijs.

Quòd

Quòd nil malorum, quæ fero, nunc ſentias.
Nam vita demum hic, ſi ſapias nihil, omnium
Suauiſſima eſt. nil ſapere, non dolens malum,
Quo tam diu, fili, fruêre, dum dies
Te, actusq́, gaudio atque luctibus imbuet.
Sed huc vbi perueneris, tum oſtendere,
Quali è parente, qualis ortum traxeris,
Patris hoſtibus decebit. Interim leui
Nutrire ſpiritu, atque puerilem foue
Vitam, matriq́, huic tuæ ſis gaudio.
Nec quiſquam Achiuorum probroſa, ſat ſcio,
Te contumelia notabit, ne quidem
Abſente me, talem relinquam ego tibi
Teucrumq́, cuſtodem additurus ſum, tui
Qui ſedulo curam geret, rectiſſimè
Vt educêre, etſi procul nunc hinc abeſt,
Hoſtilibus prædas agens è finibus.
At iſtud à vobis beneficij peto,
O milites, nauticaq́, turba, iſtæc mea
Mandata Teucro nunciate, vti puerum
Ad patrios ducens lareis, illum offerat
Patriq́, Telamoni, & etiam EribϾ matri,
Vt dulce ſit lenimen illis, & grauis
Solamen vſque ætatis, inferi abditos
Donec Erebi ſinus ſubibunt. Ac veto,
Ne quis Pelaſgis arma ſuſpendat mea
In præmium certaminis Agonarcha. nec
Id moliatur mea lues. Sed tu puer,

„ Sic apud „ Horat. „ Pol me occidiſtis amici, Nō ſeruaſtis, ait, cui ſic extorta voluptas. & demptus per vim mentis gratiſſimus error.

Cōmendat filium ſocijs nauticis, & eſt forma teſtamenti militaris.

Tu ſume tibi, cuius refers nomen quoque
Euryſaces, ac per lora conſutum mouens
Dominus clypei ſeptemplicis Aiax. Ouid. *Septemplicem, inſuperabilemq́ tene clypeum.*
Mandentur arma reliqua mecum ſimul humi.
Sed quàm citiſſimè accipe puerum, & domum
Deducito, nec eiulatus nauticis
„ *Hîc excita in tentorijs procliuis eſt*
„ *In miſericordiam atque fletus fœmina.*
„ *Hei occule puerum ocyus. neque me dici*
„ *Sapientis arbitror eſſe, ſectionibus*
„ *Malum dum eget, carmen ſonare lugubre.*
CHOR. *Malè metuo, ne promptitudo aliquid mali*
Portendat iſta. ac ominoſum eſt hoc quoque
Quod voce acuta verba edis ferocia.
T. *Quidnã premis animo, precor here, aut quid noui*
Moliris?
„ AIAX. *Ingens eſt decus modeſtia.*
„ *Ne iudica, ne exquire curioſius.*
TEC. *Hei vt crucior animi: at per vnicum tuum*
Natum, Deoſq́ ſupplico tibi cœlites,
Ne nos, tuumq́ perditum hîc eas genus.
AIAX. *Obtundis: an neſcis nihil cœleſtibus*
Debere me vllis amplius?
TEC. *Loquere piè.*
AIAX. *Dic iſta tu audientibus.*
TEC. *Nunquid geres*
Morem?
AIAX. *Nimis tu multa nunc hîc occinis.*

TEC. *O me-*

TEC. *O metuo Rex.*

AIAX. *Nunquid aliquò hanc concluditis?*

TEC. *Ah per Deos molli feroces impetus.*

AIAX. *Næ tu mihi parum videre ſapere, quæ*
Formare te animum poſſe nunc meum putas.

CHORVS.

Iamb. Anapæſt.

O Clara Salamis, tu quidem
Errante circum habitas ſalo
Beata, conſpicua omnibus.
Multi at ſoleis iam elapſi ſunt,
Cùm miſer hîc ago dudum,
Idæis in paſcuis
Fertilibus maneo,
Ingloriusq́, verſor,
Longi tritus temporis annis:
Prætereaq́, timore
Cruciatus aſsiduò,
Ne cogar obſcurum migrare ad Orcum,
Ad hæc mala accedit quoque
Immedicabilis Aiax, hei mihi,
Diuina oppreßus veſania.
Quem prius, ô Salamis, victorem
Sæuis emiſiſti in prælijs.
At nunc ſui impos ſolitarius
Vagatur, & amicos ſuos
Luctu conficit acri.

Chor' deplorat iniquam Aiacis ſortem.

Verùm

Verùm priora facta,
Claraq́ꝫ virtutis monimenta
Ingrata apud ingratos
Iacent Atridas.
Quando tu iam multo confecta æuo
Canoq́ꝫ obſita ſenio
Illum mater deſipientem
Miſerrima audies:
Ah quàm miſerabiliter
Non in modum querulæ
Luſciniæ plorabis:
Sed manifeſtos occines
Miſera eiulatus: feries
Pallida anilibus
Pectora palmis. unguibus albos
Diſcindes inimica capillos.
„ *Eſt ſatius atris Ditis operiri umbris,*
„ *Quàm peſtifero, ac immedicabili*
„ *Morbo agitari.*
Aiax Graia cretus origine
Non conſuetis agitur motibus,
Nec compos eſt animi.
O infelix genitor,
Qualem audies, quamq́ꝫ miſeram
De filio tuo calamitatem?
Talem nemo unquam, hunc præter,
Aeacidarum ſuſtinuit.

Aiax ſimulat » AI. *Immenſus ordo temporum omnia quæ latent*

Obſcura

Obſcura profert, & palàm facta occulit:
Nec quippiam eſt, quod non putes poſſe fieri.
Superantur omnia iureiurando quoque
Sancita, & obſtinatior mens. ac ego
Præfracta qui induraueram olim pectora,
Ceu ferrum aquis quod tingitur ſtridentibus,
Nunc percitus mulieris huius lacrymis,
Sum mollius loqui coactus. Nam dolet,
Miſeretq́; viduam hoſteis apud iniquiſſimos
Illam, atque puerum hunc orphanum relinquere,
Verùm ad lauacra, finitimaq́; littori
Me prata confero, cædem vt inſanam gregis,
Qua ſum coinquinatus, expiem, & grauem
Iram effugere Deæ queam implacabilis:
Ac ambulabo donec inueniam alibi
Nullis locum veſtigiјs contritum, vbi
Huncce gladium armorum omnium inimiciſſimũ,
Terra ſub effoſſa recondam, conſpici
Ne poſſit, at Nox, & Erebus Stygiјs eum
Seruent plagis. Nam hoc ex quo ego infeſtiſſimo
Ab Hectore manu munus accepi mea,
Nihil inclyti, nihil tuli ab Achæis boni.
Verumq́; vulgo eſt quod ferunt prouerbium:
Data ab hoſte dona, haud eſſe dona: ſed graueis „
Secum vſque trahere inauſpicata noxias. „
At nos Deis poſthac ſciemus obſequi,
Honorem Atridis debitum exhibebimus.
Sunt principes, cedendum erit. cur non enim? „

ſe mutaſſe ſententiam, ne qua ratione cõſiliũ mortis impediatur.

Nam

„ *Nam robore vſque firma quæ vige[illegible] ſuo*
„ *Subiecta ſunt honoribus.niuoſa ſic*
„ *AEſtati hyems dat fertili locum.dies*
„ *Cùm vecta lucem candidis adfert equis,*
„ *Noctis recedit nigricantis circulus.*
„ *Pontum procellis turgidum,& procacibus*
„ *Auſtris gementem ſedat aura mollior.*
„ *Neque vinculis quæ membra ſtrinxit fortibus*
„ *Somnus potens,vincta illa ſemper occupat.*
Quin eſſe nos modeſtiores diſcimus?
At nunc quidem ſcio,hoſtis ego cùm dicerer,
Huc vſque odia fuiſſe agenda, vt gratiæ
Locus,& amori denuò pateret, & hoc
„ *Etiam colendam amicitiam reor modò,*
„ *Vti perennem cogitemus non fore.*
„ *Nam plurimis mortalium tutus parum*
„ *Portus fuit amicitiæ,& infida ſtatio.*
Sed hæc quidem bene ſeſe habebunt. túque abi
Intrò,Deóſque comprecare,mulier,ſedulo,
Vt,quæ ſtatui apud me, velint rata facere.
Et vos,amici,eadem quoque orate: ac, vbi
Aduenerit, Teucro indicate quæ modò
Mandaui:vt ille beneuolè noſtri gerat
Curam.interim autẽ ego, quò mihi eſt eundum,eo.
Vos quæ imperaui facite.nam videbitis
Mox liberatum his omnibus fortaſſe me
Hoc tempore,quibus vrgeor, doloribus.

Hanc ſententiã quã Bianti attribuunt,reprobat Cicero in Lælio.

CHO-

CHORVS.

Iamb. Anapæſt. Troch.

COmmouit eum amor. aſt ego præ gaudio
Exulto. Iω, Iω, Pan, Pan.
O Pan Marine, Pan ades
A niuibus conſperſo montis
Cylleniȷ cacumine.
O rex ducere Diuûm
Doctè choreas.
Taleis nunc mihi iunge
Te quæſo choros, quales Nyſiȷ
Gnoſiȷq́; ducunt,
Quos nullo didiciſſe te eſt
Fama magiſtro.
Impetus nunc fert choros celebrare.
Qui ſuper Icariȷ ambulas
Aequora pelagi, Delie Apollo,
Huc noſtris dexter ades votis,
Et beneuolus per omnia.
Triſteis etenim abſterſit ab oculis
Mars violentus ſollicitudines.
Iω,
Ter quater Iω.
Iuppiter ô ſupreme,
Candidis adeſt dies
Vecta iugalibus.
Qua fas eſt celeres accedere

Chorus gaudet Aiacem ad ſe rediȷſſe, ſed fallitur.

Grain-

Graiugenûm rateis.
Quandoquidem luctificis Aiax
Obliuioni traditis laboribus
Sanctarumq; obſeruans legum,
Rurſus Deos omni
Colit genere pietatis.
» *Omnia ſpatioſi mora temporis*
» *Accendit, omnia conſumit.*
» *Nihilq; inexpectatum homini*
» *Debet euenire.*
Quando ſic præter ſpem, & expectationem
Ad priſtinam mentem rediȷt Aiax,
Ac ingentia poſt certamina
Animum erga Atridas mutauit.

Iamb.trimetri.

NVNT. *Homines amici, primùm id ego fero nuntij,*
Teucer recens è Myſis adeſt iugis,
Perq; medium dum fert gradus exercitum,
Conuicijs à toto Achæorum agmine
Excipitur, atque progredientem longius,
Vt omnibus fuit agnitus, ſtatim vndique
Cinxêre, mox hinc inde in inſontem probris
Graſſati atrocibus. furore perciti,
Exercitusq; proditoris Achaïci,
Fratrem eſſe, nemo non eum clamabat, &
Qui viribus nullis queat reſiſtere,
Quin lapidibus laniatus ille occumberet.
Res tandem eò deuenit, vt toto vndique

Stricti

Stricti micarent agmine gladij. attamen,
Ad ſummum vbi incruduerat, eſt contentio
Senilibus ſedata mox ſermonibus.
At dic, vbi eſt Aiax? vt iſta illi quoque
Nunc nuntiem: nam ſic neceſſe eſt, integra
Vt res heris recenſeatur ordine.

Senilis ętatis au ctoritas ,,

CHOR. *Non intus eſt, ſed exijt foras, nouis*
Noua conſilia meditatus antè moribus.

NVN. *Hei, hei, hei,*
Tarde'ne miſit Teucer huc me: an verò ego,
Quàm par fuit, confeci iter modo tardius?

CHO. *Quid commodi propterea, precor, intercidit?*

NVN. *Mādauit id Teucer, vt homo arctè in ædibus*
Seruetur, egredi neque ſinatur foras
Vſquam loci, niſi ipſe prius aduenerit.

CHO. *Sed abijt ad mentem reuerſus vtilem,*
Ac vt Deorum iram expiaret cælitum.

NVN. *Hæc verba ſanè plena ſunt dementia,*
Si vera Calchas vaticinia protulit.

CHO. *Quid id eſt? quid hac de re ille nouit, te cedo?*

NVN. *Id quidem ego noui, ac aſtiti præſens quoque:*
Ex concione principum ſeceſſerat
Calchas relictis augur Atridis. dein
Teucrum prehendens perquàm amicè dextera,
Vt diligenter hoc potiſſimum die
Seruetur, Aiax omnibus iubet modis,
Tentorijs ne quò recedat longius,
Vita fruentem ſi modò poſt hac eum

Calchantis de Aiace vaticinium.

Cupit videre, namq́; ſolo ille hoc die
Ira Mineruæ affligitur Deæ graui.
Vis cõſilı e-xpers mole ruit ſua. Horat. „ *Summa at viri quicunque ſunt potentia,*
„ *Simulq́; magna præditi immodeſtia,*
„ *In calamitates ſæpe duras incidunt*
„ *Diuinitus. Sic inquit Augur, legibus*
„ *Qui ſunt ſati mortalibus, nec vt hominum*
„ *Natura, menſq́; poſcit infirma, ſapiunt.*
Aiax lareis ſed cùm relinqueret ſuos,
Dementis in morem bene monenti patri
„ *Reſponderat. ſic ille: Fili bellica*
„ *Virtute fac vincas, deo ſed auſpice,*
Arrogãs Aiacis animus, ac numinis contemptor. *At arroganter hæc parenti rettulit,*
Atque ſtolidè: adiuuante, mi pater, Deo
Victoria potitur ignauiſſimus.
At deſtitutus etiam ope Deorum, ſcio,
Belliq́; me confido adepturum decus.
Hæc glorioſè verba iactabat: dein
Erga Mineruam, cùm iuberet hoſtium
Inferret vt manus cruentas agmini,
Dictu nefanda protulit: Regina, ait,
Fer cæteris Graijs opem, non hoſtium
Hæc quiſpiam perrumpet in tentoria.
Huiuſmodi verbis Deæ implacabilis
In ſe furorem concitauit, ipſe plus,
Quàm ſors ferat mortalium, ſibi tribuens.
Verùm, ô viri, hac ſi luce vixerit, Deo
Fauente, ſaluus, vt monet Vates, erit.

At

At Teucer hæc vbi audijt, ſtatim tibi
Mandata vt iſta nuntiem miſit, vt eum
Cuſtodiatis. fortè ſi hinc euaſerit,
Perijt vir ille, ſi modò Calchas ſapit.
CHOR. *O ſortis infauſtæ miſera Tecmeſſa, ades,*
Vide quid adferat tibi iſte nuntij.
Cutem iſta radunt. gaudia penitus iacent.
TEC. *Quid vix ab immenſis quieſcentem malis,*
E ſede nunc miſeram excitatis denuò?
CHOR. *Audi hunc virum quid adferat tibi nuntij*
De Aiace, quod dolore me miſerum afficit.
TE. *Hei mihi, quid eſt ꝙ ais mi hō? an'ne perijmus?*
NVN. *Res ſanè ego neſcio tuas. de Aiace, ſi*
Egreſſus eſt modò foras, ſpes concidit.
TEC. *Egreſſus ille eſt, quod doleo. Sed quidnam ais?*
NVN. *Tentorijs illum iubet naualibus*
Teucer, domiq; manere, nec ſolum egredi.
TE. *Teucer vbi nā eſt? aut quare id, obſecro, iubet?*
NVN. *Mox præſtò aderit, atq; miſerè quoq; metuit,*
Vt ne ſit exitialis Aiaci exitus.
T. *Hei ter mihi miſeræ: ex quo hominū id edoctꝰ eſt?*
NVN. *Ex Theſtoride Calchante didicit hunc diem*
Aut vitam ei, aut adferre manifeſtam necem.
TEC. *Adferte, amici, opem, vrget hic neceſſitas.*
Eheu amici, veſtrum alij abite ocyus,
Properate, Teucrum accerſite: aſt alij ad iuga
Occidua montium: alij ad orientalia
Inauſpicatum inquirite exitum. Ah ego

Miſerè me ab illo ſentio falſam, & malè
Vetere excidiſſe gratia. hei mihi, quid agam?
Haud conſidendum eſt fili, ego rapidos feram
Quocunque greſſus potero. Eamus, puluere
Tardo fatigemur. ſedendi haud eſt locus,
Si ſtat virum ſeruare, qui properat mori.
CHO. *Paratus ire ſum. nec oſtendam id modò*
Verbis, celeritas conſequetur pedum etiam.

AIAX *ſolus.*

M*Actator iſtoc conſtitit ſolo meus:*
Ac, ſi cui conſiderare id otium eſt,
Qua parte maximè acuta prominet acies.
Donum quidem Hectoris omnium infeſtiſſimi,
Cuiuſq; mihi conſpectus odioſiſſimus
Semper fuit, duris ſubacta cotibus
En cuſpide hic hoſtilibus ſtat Troadis
Defixus agris: ac ego defixi eum
Probè expeditum vndique, paratumq; vt citam
Inferre huic viro necem queat. itaque
Inſtruximus ſic optimè quidem omnia.
Iam tantum id eſt reliquum mihi. tu ô Iuppiter,
Primus, id enim par eſt, iuua me. poſtulo
Haud vſqueadeo magnum beneficiũ vt aſſequar:
Ad Teucrum aliquis vt eat facito, qui nuntiet
Famam hanc acerbam: vt ille me aſportet ſua
Primus manu collapſum in enſem roſido
Tinctum cruore: ne ab hoſtium forſan aliquo
Si conſpicer, proijciar auido vulturi,

Lanie-

Lanienaq́ canibus: iſta voti, ô Iuppiter,
Summa eſt mei. ſimulq́ ſubterraneum
Imploro, maniumq́ Mercurium ducem,
Latus vt vbi hoc mucrone perrupero meum,
Saltuq́ celeri & abſque ſpaſmate auehat,
Ac ſopiat ſuauiter. Etiam inuoco
Illas perennes vindices ac virgines,
Quæ ſemper intuentur oculis miſerias
Mortalium graueis: celeripedes Deas,
Erinnyas, quàm me fera afficiant nece
Atridæ, vt aſpiciant, & illos peßimos
Horrente corripiant ad exitium manu.
Ac vt vident me cadere dextera mea,
Cariſsimorum ſic quoque illi concidant
Icti manu. Ite, ite, properate vindices
Erinnyes, guſtate, nulli parcite,
Concutite, conficite vniuerſum exercitum.
At tu per altum qui regis currum æthera
Aurate Sol, patriam vbi conſpicies meam,
Pauliſper aureas habenas reprime,
Et calamitates, & necem denuncia
Meam ſeniq́ patri, & infauſtæ matri.
Quæ famam vbi miſera ſiniſtram hanc auribus
Excipiet, eiulatibus totam ſtatim
Replebit vrbem. Atqui quid hæc fruſtra attinet
Deflere? rem celeriter aggredi decet.
O mors ades, me reſpice ô mors. iam ſimul
Etiam Deos verſabimur apud inferos.

Sic Furias vocãt, quod muneribus non corrumpantur. quo minus meritas ſceleſtis pœnas infligãt.

Teq́ adeo lux huius diei fulgida,
Ac te quoque auriga alloquor Sol lucide
Poſtremùm hodie, & haud amplius, clarũ ô iubar,
Telluris ô patriæ ſacrum Salamis ſolum,
O patrij lares, Athenæq́ inclytæ,
Aequalium, ô amica turba, ô flumina,
Fonteſq́ lympidi, Phrygiaq́ prata, vos
Compello, nunc valete nutrices meæ,
Extrema iam Aiax verba vobis hæc ſonat.
Reliqua apud Orcum Manibus loquar inferis.

Iamb. Anapæſt. Trochaici,

ALTERA PARS CHORI.

LAbor labori addit laborem.
Quò, quò?
Quônam? quò ego non contuli gradum?
Nec quiſpiam docere me locus poteſt.
At neſcio quis ſtrepitus auribus
Inſonuit meis.

SEMICHORVS. *Nos videlicet*
Socios audis nauticos.

ALTERA PARS CHORI. *Quid? quid igitur?*

SEMICH. *Pars occidua mihi tota caſtrorum fuit*
Peragrata.

ALTERA PARS. *Habes igitur?*

SEMICH. *Multum laboris. nil videre contigit.*

AL. PARS. *At nec mihi quà patet ad ortũ ſemita*
Vſquam vir ille apparuit.

CHORVS. *Quis igitur, heu quiſnam modò*
Sedibus

Suprà fuit diuiſus chorus ad inueſtigandú Aiacẽ, nunc quaſi fortuitò cõgrediuntur.]

Sedibus degens ſopori ignotis
Ex laborioſis
Me docebit piſcatoribus?
Quæ Deabus ex Olympijs, aut
Quæ Threïcij flumina Boſphori
Nymphæ colunt, vbi viderint
Sæui animi errantem virum,
Indicabit? torquent irriti me
Curſuum labores.
Quodq́; ſecundo illum
Non ſim pede aſſecutus.
Viribusq́; iam defecto
Ne conſpicere quidem
Mihi contigit.
TECM. *Hei mihi ter miſeræ.*
CHOR. *Hem cuius è propinquo*
Vox nemore flebilis ſonat?
TEC. *Heu ſortis infauſtæ me.*
CHO. *Miſerrimam video, captamq́; nuptã prælio*
Tecmeſſan, anxiamq́; eam luctu fero.
TEC. *Actum eſt, amici, ego perij, lapſa omnia.*
CHOR. *Quid id eſt?*
TEC. *Aiax recens iugulatus oppetijt necem,*
Mucroneq́; miſer abdito indutus iacet.
CHOR. *Hei meos inauſpicatos reditus.*
Hei mihi, tuos trucidaſti
Claßicos, Rex, ſocios.
Miſero hei mihi. eheu calamitoſam feminam.

TEC. *Res ipſa luctus, & dolorem poſtulat.*
CHO. *At cuius ille concidit miſer manu?*
TEC. *Ipſum ſua, certum eſt: humi infixum ſatis,*
In quod fuit prolapſus, id ferrum arguit.
CHO. *Vitæ meæ, eheu, calamitas.*
Ah qualis, quàm miſerè nullis
Septus amicis hîc periÿſti.
Et ego iam ſtolidiſſimus
Omnium expertiſſimusq́ rerum
Nullam tuæ geſſi ſalutis curam. vbi
Dic, vbinam iacet ille immobilis,
Ille inauſpicati
Nominis Aiax?
TEC. *Non contuendus eſt, ſed illius vndique*
Circumuolutis membra veſtibus tegam:
Nullus enim, amicus qui ſit, aſpicere queat
Graue naribus ſpirantem, atrumq́ vulnere
Quod manat, atque è feruido ictu ſanguinem.
Hei mihi, quid aggrediar? quis aſportabit hinc,
Aiax, te amicorum? ah, vbi eſt nunc Teucer? vt
Veniret huc in tempore, & lapſum fratrem
Componeret! Miſerrime Aiax omnium
Cùm tantus olim fueris, hîc qualis iaces?
Vt lacrymas excutere poſſis hoſtibus.
CHO. *Ah ſatis te miſerum*
Eſſe declarabas.
Ah ſatis præ te ferebas
Pertinacia tua

Vt ſuprà Aiax ipſe queritur nomē ſibi omi noſum eſſe.

Tam diuturna, te aliquid
Machinari infandum,
Atque ſtruere, ex quo ſequutura eſſet
Immenſaq́, infinitaq́ laborum
Series: talia per totos dies,
Talia per nocteis quoque integras
Pectore ducebas ſuſpiria ſæuo.
Talia in Atridas quoque
Hoſtiliaq́ adeo fero
Cum impetu iactabas.
Illa fatum duxit hora,
Tum malorum hyems incepit,
Cùm de armis generoſa
Quæſtio nata eſt.
TEC. *Hei mihi, mihi.*
CHO. *Dolor iſte, ſat ſcio, epar intrat intimum.*
TEC. *Hei mihi, mihi.*
CHO. *Haud miror equidem luctibus te confici,*
Poſtquàm es mulier orba adeo præſtantis viri.
TEC. *Tibi quidem hæc videntur, at ego ſentio.*
CH. *Fateor id.*
TEC. *Heu nate mi, in quæ ſeruitutis recidimus*
Iuga? ah quibus ſeruitum heris abibimus?
CH. *Hei mihi ſæuos*
Geminos innuis
Infandum veſtro in cruciatu
Atridarum facinus.
Verùm Deus iſtæc auertat.

TEC. *Hæc ſic quidem ſe habent, vt ipſe iam vides,*
Diuûm, ſed abſque haud contigêre numine.
CHOR. *Acerbiores, quàm decet, pœnas dedit.*
TECM. *At hanc, Vlyßi grata perficere volens,*
Sæuit Ioue ſata noxiam Pallas grauis.
CHOR. *Profectò atroci variè*
Exercitatus Vlyßes
Animo laceßit, atque correptum
Acri furore ridet Aiacem.
Heu, heu, ſimulq́ cum illo
Gemini cachinnos excitant Atridæ.
TECM. *Quantum volent, Aiacis inſultent malis,*
Et gaudeant: vita fruentem ſi minus
Deſiderauerunt, dolebunt mortuum,
Cùm fortè belli hoc exiget neceßitas.
Sic mente capti, cùm bonum manibus tenent,
Non ſentiunt, priuſquam aliquis excuſſerit.
Mors illius longè accidit mihi acerbior,
Quàm poſſet illis eße grata. Ipſi quidem
Optata fuit Aiaci: id aſſequutus eſt,
Quod expetiuit. morte ſuccubuit ea,
Qua maximè voluit. Quid igitur illi habent
Cur rideant tantopere eum, qui mortuus
Dijs concidit volentibus, non dextera
Ipſorum? Vlyſſes, ſi lubeat, atrocibus
Graſſetur in vita ſolutum iniurijs.
Illis enim amplius eſt nihil, & euanuit
Aiax: at infando dolore mihi miſeræ,

Virtutē incolumē odimus, Sublatā ex oculis quęrim⁹ inuidi.

Luctuq́ue relicto, feram oppetijt necem.

TEVCER. *Hei mihi.*

CHOR. *Sis tacita, vocem audire Teucri ſum modò*
Mihi viſus, iſti calamitati conſonam.

TEVC. *Cariſſime Aiax, dulce fratris ô caput,*
Voti'ne compos factus eſt tui, vt ferunt?

CHOR. *O Teucer id ſcias, vir iſte eſt mortuus.*

TEVC. *Eheu, grauem narras, acerbumq́ue admodũ*
In miſeriam caſum meam.

CHO. *Ita cùm eſt acta res.*

TEVC. *O me ter infelicem, & amplius etiam.*

CHOR. *Materia parta luctui eſt.*

TEVC. *O graue malum,*
Subitumq́ue.

CHOR. *Nimium, ô Teucer.*

TEVC. *O triſtiſſimam,*
Atque miſerandam calamitatem. At vbi eſt puer?
Quis Troadis locus ſoli illum nunc tenet?

CHOR. *Eſt ſolus in tentorijs.*

TEVC. *Ocyſſimè*
Propera, huc eum deduce, ne quis hoſtium
Abſentis vt catulum leænæ vi auferat.
I, adiuua, per pulueres, quantum potes,
Moue gradum. Pro more enim hoc omnes habent,
Ludibrijs vexare caſſos lumine.

CHOR. *Viuus etiam dum Teucer vt pueri iſtius,*
Sicut facis, curam geras, ille petijt.

TEVC. *O omniũ quod vnquã ego oculis viderim* Querela Teucri.

Specta-

Spectaculum triſtiſſimum: ô via omnium,
Quàm nunc ego ſum emenſus, inuiſiſſima,
Animoq́ tædioſa maximè meo!
Cariſſime Aiax, poſteaquam certior
De morte ſum factus tua, accinctus ad iter
Statim omnibus paſſim inſtiti veſtigijs.
Nam fama de te, ceu ab aliquo eſſet numine
Diſperſa, vehemens caſtra per tota ſonuit,
Quòd dextera necem oppetiuiſſes tua.
Id verò ad aureis vt meas percrebuit,
Cùm procul abeſſem, grauia ab imo pectore
Suſpiria protraxi. Aſt vt oculis contuor
Dolore penè exanimor. Hei miſero mihi.
Vade, retege, vt quidquid mali eſt, id conſpicer.
O triſtis aſpectus, ferox audacia!

Deliberatio, vt in rebꝰ perperditis.

Quantas, quàm acerbas ſeminaſti mihi tua
Curas nece Aiax! Nanque quò mihi pedes
Conferre, quas gentes petere erit integrum,
Qui non tuis ſuccurrerim laboribus?

Ab iracũda natura & ſenio patris.

An'ne tuus, & pariter meus, Telamon pater
Reducem abſque te domum benigno atque placido
Excipiet ore? faciet id, quid ni? cui
Vel proſperis in rebus haud vnquam fuit
Ridere volupe, hîc quid ſilentio premet?
Aut quid mali in me, quid probri non congeret?
Me matre bello ſpurium capta ſatum
Ignauia, nimiáque prodidiſſe te
Formidine, ô cariſſime Aiax, aut dolo,

Vt

Vt mortuo te tandem opes tuas ego,
Domoſq́ſ ſolus obtinerem. Talia
In iurgia animum ſuſcitans, & percitus
Ira graui, ſenioq́ morosus, ſcio,
In innocentem effundet, ac è patrijs
Exul focis extrudar: ingenuusq́ cùm
Sim, ſeruus ob atrocia patris conuicia
Habebor: atque ſic quidem mecum domi
Agetur. aſt ad Ilium pauci mihi
Superant amici, hoſteſq́ multi. hæc omnia
Moriente te ſum conſequutus. hei mihi.
Quid agam igitur? quî te à fera gladij extraham
Criſpantis acie? eheu miſer quàm flebili
Mactatus occiſore perijſti? idq́ te haud
Latere debebat, fore, vt te mortuus
Conficeret Hector. Ad duorum, per Deos
Quæſo virorum fata nunc aduortite:
Hector eo, quem dono ab hoc acceperat,
Ex curruum rotis reuinctus balteo,
Donec animam exhalaret, vſque eſt incitis
Raptus quadrigis. Munere hic quoque illius
Confoſſus, enſe hoc concidit ſæuo impetu.
Non'ne Furiæ enſem hunc fabricaſſe, & baltei
Orcus videri poßit immanis opifex?
Ego hæc quidē, & quæcūque paßim alia, haud puto „
Temere euenire. Sed Deum auctorem omnium. „
Si cui minus probetur iſta opinio,
Per me licet, probet aliam, hæc mihi placet.

Ad hiſtoriam referendū. Teucer enim exulauit amiſſo fratre.

Vide Hom. ιλ. χ.

CH. Ne

CHOR. *Ne rem diutius protrahas. Sed id operam*
Da, vt humi virum hunc mandes, ſimulq́ cogita
Quid mox loquare. non amicum enim virum
Huc ferre greſſus cerno, cui fortaſsis hæc
Aduerſa riſus dum excitant, nos, improbi
Vt aſſolent, dictis laceſſet aſperis.
TEVC. *Quemnã virum è caſtris venire conſpicis?*
CHOR. *Menelaon, ob quẽ claſsis huc noſtra appulit.*
TEV. *Video: facile enim, cùm propè adſit, noſcitur.*
Conten-tio de ſe peliendo Aiace. MENELAVS. *Heus te voco, te, ne'ue cõponas manu*
Cadauer, inhibeo: ſed iacere ſic ſinas.
TEV. *At verba quorſum impendere iſtæc attinet?*
MEN. *Ea dico, quæ mihi, quæ Imperatori placent.*
TEV. *Dices'ne quo tu iure talia imperas?*
MEN. *Socium Pelaſgis, ac amicum adducere*
Domo rati, inquiſitione habita, hoſtis hîc,
Quàm ipſi Phryges, deprehenſus eſt infeſtior.
Qui toti Achiuorum agmini ſæuam necem
Molitus, vt conuicijs tum, ac minis
Paſsim fremens ſonabat, in nos irruit
Noctu: & niſi propitius aliquis hos Deus
Fregiſſet impetus, eadem, quæ illius
Nunc in caput ſors recidit, extincti nece
Turpiſsima paſsim iaceremus, ſed hic
Luce ætheris frueretur. At violentiam
Deus hanc remouit, atque vertit in greges.
Atque ideo, quantumuis potenti, nemini
Fas fuerit, vt cadauer hoc humo tegat.

Sed in virentem abiectum arenam littoris,
Illic aueis paſcat marinas. Ac ob hæc
Nihil eſt quod indigneris, aut ferocias:
Si viuum enim non potuimus compeſcere,
Omnino mortuo imperabimus, etiam
Nolente te: manuq́, viq́ cauebimus
Ne ſepeliatur. nam vnus hic, dum viueret,
Semper meis parere iuſsis rennuit.
Priuatus at quicunque degit, ſi obſequi
Recuſat his Reipub. qui præſident,
Peruerſi id indicium viri, nec legibus
Florebit vnquam, ſi metus deeſt, ciuitas:
Nec bene regetur vllus vnquam exercitus,
Niſi ſit pudore, veluti vallis, & metu
Munitus. Atqui cogitare quemlibet
Hoc conuenit, licet antecellat viribus,
Leui repente cadere poſſe ſe malo.
Cuicunque cum pudore ſimul adeſt metus,
Huius ſaluti ſcito conſultum probè.
Iniuriæ aſt vbicunque atroces præualent,
Et cuique quod libet, licet: ſic iudica
Vrbem breui illam è proſpero rerum ſtatu
Ruituram, & imis implicatam iri vadis.
Metus itaque aliquis ſanciatur vtilis,
Nec grata poſtquàm, quæ fuère, egerimus,
Exiſtimemus non viciſsim triſtia
Nos eſſe paſſuros. adeò ſunt mutua hæc.
Antè hic fuerat & contumax, & feruidus:

Stulta oratio hominis inſoleſcẽtis

Locus de auctoritate imperij, & obedictia.

At

At nunc viciſsim ego ſuperbè me effero,
» *Ac tibi veto, ne hunc ſepelias. ne dum ſtudes*
» *Alij ſepulcrum fodere, fouea ipſe incidas.*
CHO. *Menelaë, ſpecioſis caue ſententijs*
Sapientibusq́, ne tuas dum res tegis,
In mortuos videaris eſſe iniurius.
TEV. *Nunquam, ô viri, mirabor amplius virum,*
Ignobili ſi ſtirpe prognatus aliquid
Agat impiè: cùm qui videntur ſanguine
Claro ſati, ſtultis adeo ſermonibus
Peccant. Age vſque ab initio nunc omnia
Repetamus. Hunc tu belli ais duxiſſe te huc
Socium Pelaſgis. non ſuis ipſe Dominus
Sigæa petijt littora ratibus? illius
Dux tu vbi cedo fuiſti? vnde hanc tibi
Illius hominibus, patrio quos huc ſolo
Duxit, poteſtatem imperandi vindicas?
Spartæ dominus, haud noſter ades. vt eum tuis
Frenis domares lege nulla tibi magis
Data eſt poteſtas, quàm illi, uti te ſibi ſubderet.
Subiectus alijs appuliſti, haud omnium
Sanè imperator, & tua vnquam Aiax vbi
Signa eſt ſecutus? Itaque ijs dehinc impera,
In quos tibi imperij poteſtas tradita eſt,
Dictis ſeueris increpa illos. at hunc
Seu tu prohibeas, ſiue dux quiſpiam alius,
Non os reueritus hoc tuum. recondam humo.
Idq́ faciam iure, neque enim ille coniugis

Cauſa

Cauſa tuæ, nec vt hi, ære dum merent,
Quos Martis vſque laſſat immenſus labor,
Hæc belli obiuit munia. aſt vltrò datam,
Vt iureiurando fidem præſtaret, haud
Tua huc profectus, ne quod erres, gratia.
Nec tanti ei vnquam homines fuêre futiles.
Deinde Præconum ſuorum huc appulit
Cinctus caterua, ipſisq; ſuum adduxit ducem,
Strepitus at ob tuos, minasq; dexteram
Non verterim, vt ſis, qualis eſſe poſtulas.
MEN. *Talẽ in malis non admodũ linguam probo.*
TEV. *Nam dura nimium, quamlibet ea iuſta ſint,* „
„ *Mordent tamen, & urunt malè.* „
MEN. *Nihil humile.*
Vt ſpirat! vt iaculator hic altum ſapit!
TEV. *Nõ ſordidæ vnquã artis ego opificia didici.*
MEN. *Si ſcuta ferres, quos proflares ſpiritus!*
TEV. *Veles etiam, ſuffecero armato tibi.*
MEN. *Animum ferocẽ te alere, lingua tua arguit.*
TEV. *Cùm cauſa iuſta eſt, ſic ferocire licitum eſt.*
MEN. *Iuſtum'ne cenſes, qui peremit me, cum eo*
Bene agi?
TEV. *Peremit? mirum id, vt qui viuit, is*
Sit mortuus.
MEN. *Sed me Deus tutatus eſt:*
Quod ad hunc, perieram funditus.
TEV. *Ne igitur Deos,*
Seruatus ope Deûm, probro contamines.

Quãuis hic multa leniter videãtur dici, & indecora principibus, tamẽ intelligẽdum eſt, Sophoclẽ exprimere affectiones iracũdiæ. Ea enim feruente multa dictu turpia, ęqua, iniqua effundunt.

E M. *Egó-*

MEN. *Egóne Deorum iura ſacrata violem?*
TEV. *Si quidem ſepulcro contegi mortuũ inhibes.*
MEN. *Hoſtem ſuum vetare, quàm id factũ male?*
TEV. *An hoſtis vllo tempore Aiax tibi fuit?*
MEN. *Oſorem is oderat ipſe non es neſcius.*
TEV. *Illi dolo, quod calculos ſubtraxeras.*
MEN. *Quid? iudicum, non culpa id eſt factũ mea.*
TEV. *Hoc clàm modo quoque multa furari queas.*
MEN. *Eſt verba cui malum iſta maximum dabũt.*
TEV. *Tantũ haud dabũt, vt maius hinc nõ ingruat*
MEN. *Vnũ hoc tibi dico, haud volo hũc ſepelirier.*
TEV. *Id rurſus audi: ſepeliam, & quidem cito.*
MEN. *Vidi virum lingua feroce præditum,*
Qui nauitas, ſecurus ingruens atris
Quid aduehat notis hyems, vt ſoluerent,
Cogebat. at celeri deprenſus turbine,
Maloq́; preſſus, ne quidem mutire erat
Auſus: ſed obuolutus illic ſtragulis
Latitabat, atque à nauitarum quolibet
Se conteri pedibus ſinebat. Sic quoque
Te pariter ac effrænis oris hanc tui
Petulantiam, ſtrepitusq́; inaneis mox leui
Ex nube turbo concitus repreſſerit.
TEV. *At ego hominem dementia plenum mala*
Vidi, graui qui calamitate ſodalibus
Petulanter inſultabat obrutis. dein
Quidam mei haud diſsimilis, ac ira pari
Intuitus illum increpuit iſtis vocibus:

O, inquit,

O, inquit, homo, ne quæſo contumelijs
Manes laceſſas inferos, ſi feceris,
Id ne putes impune tibi fore. Sic virum
Stolidum monebat ille qui præſens erat.
Ac nunc quidem oculis intueor illum, & (niſi
Opinione fallar) haud quiſpiam alius
Te præter eſt. recte'ne diuinaui ego?
MEN. *Diſcedo: nanque, ſi audiatur, turpe ſit*
Punire verbis, quem queas vi reprimere.
TEV. *Abi itaq;, nanq; audire mihi turpiſsimũ eſt*
Futilem hominem tam fabulantem inania.

CHORVS.

Anapæſtici.

IVrgia ad ingens hæc certamen
Eruptura videntur. verùm,
Quantum poteris, propera Teucer,
Concauam alicubi circunſpicias
Foſſam, vbi clarum ac perpetuum habeat
Martius Aiax iam monumentum.
TEV. *Atqui peropportunè adeſt cum coniuge* Iamb. trimetri.
Huiuſce filius viri, exequias vti
Miſero parent cadaueri. ô puer huc ades, Deſcriptio ceremoniæ funebris.
Et propius aſsiſte, inq́; ſupplicis modum
Corpus parentis, quo ſatus es, attingito.
Flexiſq́; procumbe genibus manu tenens
Comas meas, huiusq́;, & vnà etiam tuas.
Theſaurus hic eſt ſupplicantium. At aliquis

Si te ex Pelaſgo exercitu mortalium
Auulſerit violenter hoc à funere,
Malus malè inſepultus diſpereat, humo
Eiectus, atque cum genere radicitus
Toto ſuo extirpetur, hoc quo nunc modo
Hunc præſeco cirrum. Tene hunc, ſerua, ô puer.
Nec te aliquis hinc amoueat: apprendito manu
Genu aduolutus. Sed mulieres, ne adeò vos
Accedite propè: ſinite conſiſtant viri
Loco priore. vos iuuate, dum paro
Huic ſepulcrum, etſi facere nemo id ſinat.

CHORVS.

Anapæſt. Troch.

Chorus execrat̃ bellũ, & queritur de miſerijs vitæ militaris

QVæ mihi tempora tantarum adferent
Optatum ærumnarum finem?
Semper immenſos labores
Militiæ horridæ,
Atque miſerias cumularunt atroces
Squallidos per Ilij campos,
Doricisq́ copijs probroſos.
O vtinam prius ætheris ardui
Euanidus ille abijſſet in auras,
Merſus ue in atri flumina Ditis,
Quiſquis Danais triſtium
Communem armorum monſtrauit
Vſum. hei alios alij
Progenuêre labores.

Exitialis mortalibus ille fuit,
Ille virentibus humida
Cingere vetuit tempora ſertis,
Intercepit calicum dulcem
Efferus vſum,
Concentumq́ ſuauem tibiæ,
Nocturnæq́ quietis
Delicias & amores.
Hei mihi, amores prorſus ademit.
Neminem pia noſtri
Cura ſollicitat.
Deſolatus iaceo,
Humenteis crebro madefactus
Rore capillos
Hæc ſunt Dardaniæ monimenta
Triſtia Troiæ.
Ac antè mihi fuerat
Nocturnos contra metus,
Tortaſq́ ſagittas munimen
Martius Aiax.
Ille nunc triſti peremptus
Nece iacet. quidnam mihi, quid
Poterit oblectare pectora
Aſsiduis defeſſa laboribus?
O vtinam ſim, vbi
Imminet ſiluoſa pelago rupes, Optat in patriam reditum.
Quam marinæ verberant vndæ
Sunÿ ſub montis æquore,

Vbi ſacris ſalutem Athenis
Dicere liceat.

Hic alia oritur cõtẽtio inter Agamemnonem & Teucrũ.

TEV. *Properè citum moui gradum, vt vidi ducẽ*
Huc ferre greßum Agamemnonem. neq; dubiũ eſt,
In iurgia os, rixasq; ſoluet improbum.

AGA. *Te plurima in nos rumor eſt, atrocia*
Patulisq; iam effudiſſe buccis. heus, tibi
Qui genitus ex ſerua es: tibi, inquam, ego loquor.
Quòd ſi parente natus eſſes libera,
Quas ederes voces? vt arrogantia
Sufflatus in ſummis graderere vnguibus?
Quando nihili homo cùm ſis, pro eo iam dimices,
Qui eſt prorſus in nihilum redactus. nec duces
Claßis, nec etiam exercitus veniſſe nos
Summos Achiuûm, nec tuos iuraueris.
Sed, vt ais, Aiax ipſe dux ſuus appulit.
Hæccine homine à ſeruo nefandum audire erat?
De quo viro tandem ita ſuperbis intonas

Thraſonica iactantia.

Clamoribus? quò abijt? vbinam conſtitit,
Vbi non etiam ego? an præter hunc nullos habet
Danaus viros exercitus? certamina
Armis de Achillæis tibi viſi ſumus
Acerbiora inter Pelaſgos Principes
Fortè ſtatuiſſe. An vbique Teucro gentium
Exiſtimabimur improbi? quando ſemel
Victis lubebit cedere, & tot Iudicum
Sententiæ acquieſcere? an conuicijs
Nos ſemper impetetis, aut latentibus

Pungetis

Pungetis inſidijs, doloq́; ? His moribus
Leges profectò non queant ſtatui bonæ.
Si iure quicunque ſuperior euaſerit,
Extruſerimus, atque ſuperatum habuerimus
Potiore dignitatis ordine. at vnicè
Id eſt cauendum. Non enim his, qui corporis » Prudē-
Sunt mole vaſta, atque ſpacioſis præditi » tia vi-
Humeris, oportet maximè niti viris: » tibus
Verùm magis prudentia qui præualent, » corpo-
Vbique dominantur. ita vaſto corpore » ris po-
Bos ſemitam in rectam leui compellitur » tior.
Flagello. at id etiam tibi eſſe remedium »
Cenſeo adhibendum mox, niſi modeſtius
Compoſueris animum ferocem, qui viro
Non amplius viuente, & vmbra euanida
Fretus, procaci verba nimis atrocia
Profundis ore. an non modeſtius agere
Aliquando diſces? quoq́; ſis genere ſatus
Intelliges? alium mihi adduc liberum
Hominē, tuā hîc pro te qui agat cauſam. haud enim
Capio ſatis quidnam loquaris, ruſticos
Nec barbaræ linguæ ſonos intelligo.
CHO. *Vtrique veſtrûm vtinā foret mens ſanior:*
Nihil hoc queam vobis precari ſalubrius.
T. *Heu quàm celeriter mortui, apud homines perit* »
Ac effluit beneficium! quando hic tui »
Ne rebus in minimis quidem, Aiax, memoriam
Conſeruat. etſi ſæpe vitæ prodigus

Tuæ, caput apertis pro eo periculis,
Bello exigente, obieceris. Sed irrita hæc
Euanuêre. ô quàm ſtolida nunc, multaq́;
Verba es locutus! Ecquid, Agamemnon, memor
Es temporis adhuc illius, quo aliquando vos
Hîc ſepta valli intra coactos vndique,
Aciam fugatos, prælioq́; perditos
Ille eripuerit ſolus ex diſcrimine?
Quid? quando populabatur iniectus rateis
Ignis, foroſq́; ſerperet per nauticos
Flamma rutilans, Hectorq́; ſuperatis ferox
Foßis Achiuas inſiliſſet in ſcaphas,
Quis iſta propulſauit? Aiax an ſua id
Non præſtitit manu? Quid igitur nunc ais
Cum nemine auſum conſerere? is hæc facinora
Tam clara deſignauit. atque cum Hectore
Rurſum ille ſolo ſortibus iactis ſtatim
Suapte ſponte eſt ſolus auſus congredi,
Neque, fugitiuam, & fundo inheſuram dolo
Sortem humido in medium ex luto ille calculum
Coniecit: aſt eum foras qui caßide
Criſtis decora primus exulturus erat.
Hæc ille fecit. ac ego pars quoque fui
Non parua, ſeruus matre natus barbara.
Quid animi erat tibi hæc, miſer, cùm diceres?
Qui quę vult dicit, quæ nō vult, audiet. *Non cogitabas quis patris fuerit tui*
Progenitor: antiquus Pelops & Barbarus
Phryx? Atreum autem, quo genitus es, omnium
Homi-

Hominum fuiſſe flagitioſum maximè?
Qui proprios dedit epulandos impia
Dape liberos fratri. Ipſe verò Gnoſia
Genitrice es editus. hanc ſimul cum adultero
Tuus deprendiſſet parens, mox piſcibus
Obiecit illam pabulum. talis ſatus,
Adhuc mihi audes exprobrare meum genus?
Qui ſum quidem parente Telamone genitus,
Cui propter altum fortitudinis decus
Hic præter alios eſt habitus honor, meam
Vt coniugem acciperet matrem, quæ regia
Prognata ſtirpe Laomedontis filia
Fuit, Herculeſq́; munus eximium dedit.
Cùm vir igitur præſtans vtroque parente ſim
Progenitus optimo: graui mihi ſanguine
Iunctos nota contaminarem, quos iubes
Triſti depreſſos calamitate iam abijci
Sic inſepultos: nec pudet te hæc dicere.
Verùm id tibi dictum eſto, ſi quò abieceris
Iſtud cadauer, eò quoque ſimul conijce
Nos treis. honeſtius id enim, ac præclarius
Puto fore, ſi pro fratre dimicans cadam,
Quàm pro tua, fratris tui, inquam, coniuge.
Proinde non minus, quod ad me pertinet,
Expende tecum, quàm quod ad te, cogites.
Nam ſi quid in me machinaberis mali,
Faxo equidem, vt huius te ferociæ malè
Pœniteat: ac te timidiorem poſt modò

Fruſtra voles fuiſſe potius, quàm ferum.

Prudẽtia Vlyſsis ſedantur rixæ, & res tota componitur.

C H O. *In tempore, ô Vlyſſe ades. ſi non tamen*
Iſtos vt incites, ſed vt dirimas, ades.
V L. *Quid id eſt viri? clamorẽ enim audiui eminus*
Geminorum Atridûm ad ſtrennui iſtius viri
Cadauer.
A G A M. *Indignis, Vlyſſe, hoc ab homine*
Conuicijs ſumus laceſſiti.
V L Y. *Quibus?*
Veniam meretur, ſi laceſſitus prior
Verbis, dicta regerat maledica.
T E V. *Mala audijt, ſed ille fecit talia.*
V L Y. *Quanam te ab illo re fuiſſe læſum ais?*
A G A. *Hunc inſepultum ſe relicturum negat.*
Quin me quoque inuito ſepulturum ſe ait.
V L Y. *Fas'ne erit amico vera dicere, & tamen*
Carina, vt antea, ſocia tecum vehi?
A G A. *Age fare: nec enim mente ſana eſſem, niſi*
Te inter Pelaſgos ſummum amicum ducerem.
V L Y. *Audi ergo. Ne hunc virũ inſepultũ, ꝑ Deos,*
Funebribus nec abſque iuſtis abijce.
Nec ſæuus animi te impetus ita vincat, vt
Odio huius incitatus aſpero, omne ius,
Fasq́; obteras. Quin me quoque, vt Achillis fui
Potitus armis, vſque peſſimè oderat.
Ac talis erga me licet tum ille fuerit:
Tantum tamen abeſt, vt probro afficere velim,
Vt, dempto Achille, iudicem etiam illum omnium,

Quicun-

Quicunque Dardanias petiuimus domos,
Fortiſsimum. Non iure itaque honore hoc eum
Spoliaueris. neque adeo eum afficies probro,
Sed quas dij ſanxêre,leges obrues.
Iuſtum haud puta, poſt funera viros ſtrennuos
Inceſſere, etſi offenſus illos oderis.
AGA. *Pro illo'ne contra nos Vlyſſe dimicas?*
VLY. *Quid ni? oderam illũ odiſſe quando fas erat.*
AGA. *Nunquid etiam inſultare par te eſt mortuo?*
VLY. *Ne gaudeas Agamemnon impio lucro.*
AGA. *Non ſemper eſt facile pia facere regibus.*
VLY. *At bene monenti amico honorem tribuere.*
AGA. *Parêre principi virum decet probum.* »
VLY. *Quieſce, vinces victus ab amicis tuis.* »
AGA. *Expende, cui beneficia conferas viro.*
VLY. *Etſi fuerit hoſtis, fuit præſtans tamen.*
AGA. *Quid agis? honorem impertis hoſti mortuo?*
VLY. *Virtus apud me pluris eſt, quàm hoſtilitas.*
AG. *Genus hominum id mortalium leuiſsimũ eſt.*
VL. *Sunt multi amici, inter ſe odia qui pòſt gerũt.*
AG. *Taleis tibi parare amicos tu velis?*
VL. *Præfractum ego, durumq́; pectus non probo.*
AG. *Auctore te timidi hoc die videbimur.*
VL. *Imo Pelaſgis omnibus iuſtiſsimi.*
AG. *Quid? vt cadauer humo tegi ſinam iubes?*
VL. *Iubeo, atq; eò quidem ipſe conferam gradum.*
AG. *Vt quiſque ſemper ea ſuis quæ congruunt*
Studijs facit!

VL. *Cui*

VLYS. *Cui magis, quàm me mihi*
Conſulere conuenit?
AGA. *Tuum hoc vocabitur*
Opus, haud meum.
VLYS. *Si feceris, habebere bonus.*
AGAM. *Age, id ſcias, me rebus in maioribus*
Gratum tibi facturum. at iſte iam ſit hîc,
Aut ſit etiam illîc, mihi erit inuiſiſſimus.
At tu, tibi quæ viſa ſunt, fac, liberum eſt.
CHO. *Sapientem, Vlyſſe, mente qui te hac præditũ*
Non eſſe cenſet, illum ego fatuum puto.
VLY. *At verò nũc Teucro iſta abeo vti nunciem:*
Meq́, antè ſi inimicus fuerim, amicum iam ei
Eſſe, & ſimul velle ſepelire mortuum.
Vnà laborabo: nec vllum denique,
Quod debet impendi viris fortiſſimis,
Hoc tempore officij genus neglexero.
TEV. *Vlyſſe præſtantiſſime, hîc te ego omnibus*
Laudare compellor modis. multumq́ ſpe
Iam ſum mea fruſtratus. etenim cùm tibi
Ille fuerit toto Pelaſgorum agmine
Maxime inimicus, ſolus ex omnibus ei
Opem tuliſti, nec laceſſere mortuum
Iniurijs voluiſti atrocibus impiè.
Vecors, vt Imperator ille cum fratre,
Hunc contumelia, probrisq́ turpibus
Contaminatum, ac inſepultum ſtatuerant
Abijcere! Quare vtinam qui Olympi lucida

Gubernat

Gubernat aſtra Iuppiter, & Erinnyes
Memores, & vltrix ſupplicia quæ atrocia
Vindicta deportat, malos perdant malè.
Vt hunc virum voluêre laceratum probris
Abijcere. At, ô proles ſenis Laërtis, haud
Equidem audeo permittere, vt funus tuis
Hoc manibus attrectes, acerbum ne quid huic
Quod mortuo ſit, fecero. At alia, ſi qua ſunt,
In his tuam operam naua, & aliquem ſi voles
De exercitu alium id facere, non ingratum erit.
Reliqua ego perficiam omnia. Atqui tu quidem
In nos boni es perfunctus officio viri.
VLY. *Volui equidem. at ſi facere nos non ſit tibi*
Gratum, abeo, & approbo tuam ſententiam.

Anapęſtici.

TEV. *Satis eſt, multum iam eſt elapſum*
Temporis: hic veſtrum alij foueam concauam
Feſtinate effodere: aſt alij tripodem
In flammis ſublimem ſacris,
Aptumq́; lauacris ſiſtite, & vnà
Ex caſtris citò turma virorum,
Ornamenta armorum
Fulgida portet.
At care puer, tu quod vires ferent,
Genitorem apprendito amantiſſimè,
Mecumq́; vna latera hæc allcua.
Atrum adhuc feruidæ in altum
Venæ eructant ſanguinem.

Sed

Sed age hic quiſquis amicus huic adeſt,
Adiuuet, operam det viro
Præſtanti Aiaci, mortalium
Quo non alius, tunc quidem
Cùm frueretur, dico,
Lumine vitæ, fuerat melior.

Prudēs futuri tēporis exitum Caliginoſa nocte premit Deus. Horat.

„ CHO. *Quàm multa homines edocet vſus!*
„ *Nec quiſquam eſt vates tam præſcius,*
„ *Qui rerum poſſet, niſi viderit,*
„ *Fatidico euentum edere pectore.*

FINIS AIACIS FLAGELLIFERI.

Louanij Idib. Octob. Anno à Chriſto nato

M. D. XLVIII.

ARGVMENTVM ANTIGONES EX GRAECO.

MORTVVM Polynicem in ſingulari, quo cum fratre depugnauerat certamine, Creon inſepultum abijcit, publicoque edicto cauet, ne quis ſepeliat, mortem violatę legis pœnam ſtatuens. Hunc ſoror eius Antigone ſepelire conata clam cuſtodibus terra obruit: quibus mortem minatur Creon, niſi auctorem facinoris producant. Diſiecto itaque puluere, vt ante, excubias agunt. Reuerſa autem Antigone, cum retectum cadauer videret, eiulatu ipſa ſe prodit: ac mox à cuſtodibus tradita, ſententiaque Creontis condemnata, viua in ſpeluncam concluditur. Hæc cum perquàm dolenti ferret animo Aemon, cui ea deſponſata erat, ſibi ipſe iuxta virginem laqueo ſtrangulatam manus adfert. Omnia hæc ante cùm Teireſias vaticinatus eſſet. Vxor verò Creontis Eurydice tam triſti caſu commota ſe interimit. Ad extremum luget Creon & filij ſui & vxoris necem.

ALIVD ARGVMENTVM EX GRAECO ARISTOPHANIS GRAMMATICI.

ANTIGONE præter edictum regiū ſepelire fratrem deprehenſa, in ſubterraneum ſpecum concluſa à Creonte necatur. qua de re Aemon dolore, & vehementi, quem erga virginē gerebat, amore, concitatus, enſe ſe transfigit. cuius item morte mater perculſa, ſe ipſam occidit. Fabula ab Euripide eadem tractata eſt in Antigone. Sed ibi cum Aemone deprehenſa, illi in matrimonium datur, & Mennonem parit.

FABVLAE actio Thebis Boeotiæ conſtituitur. Chorus ex indigenis ſenibus conſtat. Præfatur Antigone. Finguntur autē geri hæc regnante Creonte. Præcipua ſunt ſepultura Polynicis, Antigones ſupplicium, & mors Eurydices matris Aemonis. Aiunt Sophoclem magno ſibi parato ex editione Antigones nomine præfecturam Sami obtinuiſſe. Acta fabula eſt bis & tricies.

SOPHOCLES hic oſtendit præſentem eſſe Principibus atque reip. peſtem τὴν ἀβουλίαν. Creon enim Thebarum Rex, cùm omnia pro libidine ageret, nec ſano conſilio locum vllum relinqueret, Vatem Tireſiam bene monentem reijceret, ex alia in aliã calamitatem prouolutus, ſe & ſuos funditus perdidit. Et quem ratio docere non poterat, euentus, quem apud T. Liuium Fab. Maximus ſtultorum eſſe magiſtrum ait, malo tandem accepto ſapientiorem reddidit. Porrò à veteribus obſeruatum eſt, nimiam illam pertinaciam magni cuiuſdam mali atque calamitatis eſſe plerunque prænuntiam. Conſiderandæ autem hîc ſunt, atque expendendæ diſputationes inter duas ſorores. vt etiam in Electra. quantaque veteribus fuerit religio circa mortuorum atque funerũ curam.

PERSONAE FABVLAE.

ANTIGONE.

ISMENE.

CHORVS Thebanorum ſenum.

CREON.

NVNTIVS.

CVSTOS NVNTIVS.

AEMON.

TEIRESIAS.

ALIVS NVNTIVS.

EVRYDICE.

SERVVS.

SOPHOCLIS
ANTIGONE.

ANTIGONE.

Ariſsima Iſmene omnium mihi, ô ſoror.
Ecquid malorũ, quo Oedipi agitatur domus,
Nunc reſtat amplius, quod in noſtrum caput
Dum viximus, Iouis ira non effuderit?
Etenim nihil tam triſte, nec durum, nihil
Tam turpe, nec probris refertum, quod tuis,
Et in meis non conſpicata ſim malis.
At nunc quid eſt quod publico præconio
Creonta toti vrbi imperaſſe prædicant?
Nihil'ne inaudiſti? tenes'ne? an te latent
Nunc hoſtium graſſantia in amicos mala?
ISMENE. *Nec lætus ad me ſermo, nec perlatus eſt*
Acerbus, ex quo fratribus duæ ſumus
Orbæ duobus, qui die vno mutua
Iacent perempti cæde, & Argiua agmina
Hac eſſe nocte cæſa: nil ſcio amplius,
In proſpero'ne res ſtatu ſint, an ſecus.
ANT. *Id ego ſciebam, teq́; ea huc nunc gratia*
Acerſij extra regiam, vt ſola audias.
ISM. *Quid id eſt? videris enim mihi turbatior,*
Et neſcio quid animo reuoluere anxio.

 A. *Quid?*

Tuæ, caput apertis pro eo periculis,
Bello exigente, obieceris. Sed irrita hæc
Euanuêre. ô quàm ſtolida nunc, multaq́;
Verba es locutus! Ecquid, Agamemnon, memor
Es temporis adhuc illius, quo aliquando vos
Hîc ſepta valli intra coactos vndique,
Ac iam fugatos, prælioq́; perditos
Ille eripuerit ſolus ex diſcrimine?
Quid? quando populabatur iniectus rateis
Ignis, foroſq́; ſerperet per nauticos
Flamma rutilans, Hectorq́; ſuperatis ferox
Foßis Achiuas inſiliſſet in ſcaphas,
Quis iſta propulſauit? Aiax an ſua id
Non præſtitit manu? Quid igitur nunc ais
Cum nemine auſum conſerere? is hæc facinora
Tam clara deſignauit. atque cum Hectore
Rurſum ille ſolo ſortibus iactis ſtatim
Suapte ſponte eſt ſolus auſus congredi,
Neque, fugitiuam, & fundo inheſuram dolo
Sortem humido in medium ex luto ille calculum
Coniecit: aſt eum foras qui caßide
Criſtis decora primus exulturus erat.
Hæc ille fecit. ac ego pars quoque fui
Non parua, ſeruus matre natus barbara.
Quid animi erat tibi hæc, miſer, cùm diceres?
Qui quę vult dicit, quæ nõ vult, audiet. *Non cogitabas quis patris fuerit tui*
Progenitor: antiquus Pelops & Barbarus
Phryx? Atreum autem, quo genitus es, omnium
Homi-

Hominum fuiſſe flagitioſum maximè?
Qui proprios dedit epulandos impia
Dape liberos fratri. Ipſe verò Gnoſia
Genitrice es editus. hanc ſimul cum adultero
Tuus deprendiſſet parens, mox piſcibus
Obiecit illam pabulum. talis ſatus,
Adhuc mihi audes exprobrare meum genus?
Qui ſum quidem parente Telamone genitus,
Cui propter altum fortitudinis decus
Hic præter alios eſt habitus honor, meam
Vt coniugem acciperet matrem, quæ regia
Prognata ſtirpe Laomedontis filia
Fuit, Herculeſq; munus eximium dedit.
Cùm vir igitur præſtans vtroque parente ſim
Progenitus optimo: graui mihi ſanguine
Iunctos nota contaminarem, quos iubes
Triſti depreſſos calamitate iam abijci
Sic inſepultos: nec pudet te hæc dicere.
Verùm id tibi dictum eſto, ſi quò abieceris
Iſtud cadauer, eò quoque ſimul conijce
Nos treis. honeſtius id enim, ac præclarius
Puto fore, ſi pro fratre dimicans cadam,
Quàm pro tua, fratris tui, inquam, coniuge.
Proinde non minus, quod ad me pertinet,
Expende tecum, quàm quod ad te, cogites.
Nam ſi quid in me machinaberis mali,
Faxo equidem, vt huius te ferociæ malè
Pœniteat: ac te timidiorem poſt modò

E 5 *Fruſtra*

Quicunque Dardanias petiuimus domos,
Fortiſſimum. Non iure itaque honore hoc eum
Spoliaueris. neque adeo eum afficies probro,
Sed quas dij ſanxêre,leges obrues.
Iuſtum haud puta, poſt funera viros ſtrennuos
Inceſſere, etſi offenſus illos oderis.
AGA. *Pro illo'ne contra nos Vlyſſe dimicas?*
VLY. *Quid ni? oderam illũ odiſſe quando fas erat.*
AGA. *Nunquid etiam inſultare par te eſt mortuo?*
VLY. *Ne gaudeas Agamemnon impio lucro.*
AGA. *Non ſemper eſt facile pia facere regibus.*
VLY. *At bene monenti amico honorem tribuere.*
AGA. *Parêre principi virum decet probum.* ”
VLY. *Quieſce, vinces victus ab amicis tuis.* ”
AGA. *Expende, cui beneficia conferas viro.*
VLY. *Etſi fuerit hoſtis, fuit præſtans tamen.*
AGA. *Quid agis? honorem impertis hoſti mortuo?*
VLY. *Virtus apud me pluris eſt, quàm hoſtilitas.*
AG. *Genus hominum id mortalium leuiſſimũ eſt.*
VL. *Sunt multi amici, inter ſe odia qui poſt gerũt.*
AG. *Taleis tibi parare amicos tu velis?*
VL. *Præfractum ego, durumq́; pectus non probo.*
AG. *Auctore te timidi hoc die videbimur.*
VL. *Imo Pelaſgis omnibus iuſtiſſimi.*
AG. *Quid? vt cadauer humo tegi ſinam iubes?*
VL. *Iubeo, atq; eò quidem ipſe conferam gradum.*
AG. *Vt quiſque ſemper ea ſuis quæ congruunt*
Studijs facit!

VL. *Cui*

VLYS. *Cui magis, quàm me mihi*
Conſulere conuenit?
AGA. *Tuum hoc vocabitur*
Opus, haud meum.
VLYS. *Si feceris, habebere bonus.*
AGAM. *Age, id ſcias, me rebus in maioribus*
Grátum tibi facturum. at iſte iam ſit hîc,
Aut ſit etiam illîc, mihi erit inuiſiſſimus.
At tu, tibi quæ viſa ſunt, fac, liberum eſt.
CHO. *Sapientem, Vlyſſe, mente qui te hac præditũ*
Non eſſe cenſet, illum ego fatuũm puto.
VLY. *At verò nũc Teucro iſta abeo vti nunciem:*
Meq́ue, antè ſi inimicus fuerim, amicum iam ei
Eſſe, & ſimul velle ſepelire mortuum.
Vnà laborabo: nec vllum denique,
Quod debet impendi viris fortiſſimis,
Hoc tempore officij genus neglexero.
TEV. *Vlyſſe præſtantiſſime, hîc te ego omnibus*
Laudare compellor modis. multumq́ue ſpe
Iam ſum mea fruſtratus. etenim cùm tibi
Ille fuerit toto Pelaſgorum agmine
Maxime inimicus, ſolus ex omnibus ei
Opem tuliſti, nec laceſſere mortuum
Iniurijs voluiſti atrocibus impiè.
Vecors, vt Imperator ille cum fratre,
Hunc contumelia, probrisq́ue turpibus
Contaminatum, ac inſepultum ſtatuerant
Abijcere! Quare vtinam qui Olympi lucida

Gubernat

Gubernat aſtra Iuppiter, & Erinnyes
Memores, & vltrix ſupplicia quæ atrocia
Vindicta deportat, malos perdant malè.
Vt hunc virum voluêre laceratum probris
Abijcere. At, ô proles ſenis Laërtis, haud
Equidem audeo permittere, vt funus tuis
Hoc manibus attrectes, acerbum ne quid huic
Quod mortuo ſit, fecero. At alia, ſi qua ſunt,
In his tuam operam naua, & aliquem ſi voles
De exercitu alium id facere, non ingratum erit.
Reliqua ego perſiciam omnia. Atqui tu quidem
In nos boni es perfunctus officio viri.
VLY. *Volui equidem. at ſi facere nos non ſit tibi*
Gratum, abeo, & approbo tuam ſententiam.

Anapęſtici.

TEV. *Satis eſt, multum iam eſt elapſum*
Temporis: hic veſtrum alij foueam concauam
Feſtinate effodere: aſt alij tripodem
In flammis ſublimem ſacris,
Aptumq́ue lauacris ſiſtite, & vnà
Ex caſtris citò turma virorum,
Ornamenta armorum
Fulgida portet.
At care puer, tu quod vires ferent,
Genitorem apprendito amantiſſimè,
Mecumq́ue vna latera hæc alleua.
Atrum adhuc feruidæ in altum
Venæ eructant ſanguinem.

Sed

Sed age hîc quiſquis amicus huic adeſt,
Adiuuet, operam det viro
Præſtanti Aiaci, mortalium
Quo non alius, tunc quidem
Cùm frueretur, dico,
Lumine vitæ, fuerat melior.
„ CHO. *Quàm multa homines edocet vſus!*
„ *Nec quiſquam eſt vates tam præſcius,*
„ *Qui rerum poſſet, niſi viderit,*
„ *Fatidico euentum edere pectore.*

Prudēs futuri tēporis exitum Caliginoſa nocte premit Deus. Horat.

FINIS AIACIS FLAGELLIFERI.

Louanij Idib. Octob. Anno à Chriſto nato

M. D. XLVIII.

ARGVMENTVM ANTIGONES EX GRAECO.

MORTVVM Polynicem in ſingulari, quo cum fratre depugnauerat certamine, Creon inſepultum abijcit, publicoque edicto cauet, ne quis ſepeliat, mortem violatę legis pœnam ſtatuens. Hunc ſoror eius Antigone ſepelire conata clam cuſtodibus terra obruit: quibus mortem minatur Creon, niſi auctorem facinoris producant. Diſiecto itaque puluere, vt ante, excubias agunt. Reuerſa autem Antigone, cum retectum cadauer videret, eiulatu ipſa ſe prodit: ac mox à cuſtodibus tradita, ſententiaque Creontis condemnata, viua in ſpeluncam concluditur. Hæc cum perquàm dolenti ferret animo Aemon, cui ea deſponſata erat, ſibi ipſe iuxta virginem laqueo ſtrangulatam manus adfert. Omnia hæc ante cùm Teireſias vaticinatus eſſet. Vxor verò Creontis Eurydice tam triſti caſu commota ſe interimit. Ad extremum luget Creon & filij ſui & vxoris necem.

ALIVD ARGVMENTVM EX GRAECO ARISTOPHANIS GRAMMATICI.

ANTIGONE præter edictum regiũ ſepelire fratrem deprehenſa, in ſubterraneum ſpecum concluſa à Creonte necatur. qua de re Aemon dolore, & vehementi, quem erga virginẽ gerebat, amore, concitatus, enſe ſe transfigit. cuius item morte mater perculſa, ſe ipſam occidit. Fabula ab Euripide eadem tractata eſt in Antigone. Sed ibi cum Aemone deprehenſa, illi in matrimonium datur, & Mennonem parit.

FABVLAE actio Thebis Boeotiæ conſtituitur. Chorus ex indigenis ſenibus conſtat. Præfatur Antigone. Finguntur autẽ geri hæc regnante Creonte. Præcipua ſunt ſepultura Polynicis, Antigones ſupplicium, & mors Eurydices matris Aemonis. Aiunt Sophoclem magno ſibi parato ex editione Antigones nomine pręfecturam Sami obtinuiſſe. Acta fabula eſt bis & tricies.

SOPHO-

SOPHOCLES hic oſtendit præſentem eſſe Principibus atque reip. peſtem τὴν ἀβουλίαν. Creon enim Thebarum Rex, cum omnia pro libidine ageret, nec ſano conſilio locum vllum relinqueret, Vatem Tireſiam bene monentem reijceret, ex alia in aliã calamitatem prouolutus, ſe & ſuos funditus perdidit. Et quem ratio docere non poterat, euentus, quem apud T. Liuium Fab. Maximus ſtultorum eſſe magiſtrum ait, malo tandem accepto ſapientiorem reddidit. Porrò à veteribus obſeruatum eſt, nimiam illam pertinaciam magni cuiuſdam mali atque calamitatis eſſe plerunque prænuntiam. Conſiderandæ autem hîc ſunt, atque expendendæ diſputationes inter duas ſorores. vt etiam in Electra. quantaque veteribus fuerit religio circa mortuorum atque funerũ curam.

PERSONAE FABVLAE.

ANTIGONE.

ISMENE.

CHORVS Thebanorum ſenum.

CREON.

NVNTIVS.

CVSTOS NVNTIVS.

AEMON.

TEIRESIAS.

ALIVS NVNTIVS.

EVRYDICE.

SERVVS.

SOPHO-

SOPHOCLIS ANTIGONE.

ANTIGONE.

Ariſsima Iſmene omnium mihi, ô ſoror.
Ecquid malorũ, quo Oedipi agitatur domus,
Nunc reſtat amplius, quod in noſtrum caput
Dum viximus, Iouis ira non effuderit?
Etenim nihil tam triſte, nec durum, nihil
Tam turpe, nec probris refertum, quod tuis,
Et in meis non conſpicata ſim malis.
At nunc quid eſt quod publico præconio
Creonta toti vrbi imperaſſe prædicant?
Nihil'ne inaudiſti? tenes'ne? an te latent
Nunc hoſtium graſſantia in amicos mala?
ISMENE. *Nec lætus ad me ſermo, nec perlatus eſt*
Acerbus, ex quo fratribus duæ ſumus
Orbæ duobus, qui die vno mutua
Iacent perempti cæde, & Argiua agmina
Hac eſſe nocte cæſa: nil ſcio amplius,
In proſpero'ne res ſtatu ſint, an ſecus.
ANT. *Id ego ſciebam, teq; ea huc nunc gratia*
Accerſij extra regiam, vt ſola audias.
ISM. *Quid id eſt? videris enim mihi turbatior,*
Et neſcio quid animo reuoluere anxio.

ANT. *Quid? non ſepulcri nunc Creon fratrū alteri*
Tribuit honorem, infamia ſed alterum
Notauit. Eteoclem quidem imos Tartari
Iam celebrē apud manes humo ille, vt fama fert,
Et iuri, & æquis obſecutis legibus,
Mandauit. at Polynicem acerbo heu funere
Raptum vetat, ne quis ſepulcro contegat,
Neu lugeat, ſed indefletum, inhumatum eum
Auibus ſinant iacere diris pabulum.
Atque hæc bonum ferunt Creonta tibi & mihi,
Quin mihi quoque edixiſſe dico, & neſcijs
Veniſſe, vt iſta voce clara nuntiet:
Nec leuiter hanc rem cordi ei eſſe, qui audeat
Contrà facere, eum capite luiturum nefas.
Atque hæc ita, vt narro tibi, ſe habent, ſoror.
Tu degener num nata ſis ex optimis,
An nobili indole, vt decet, mox videro.
ISM. *Ah quid ego miſera, ſi ſe habent ſic res, queā*
Efficere, ſi nunc legibus non obſequar,
Fratriſq́ corpus ſi ſepulcro contegam?
ANT. *Num me velis iuuare tecum cogita.*
ISM. *Heu quale facinus. ſaná ne ſatis es ſoror?*
ANT. *Cumq́ hac necatum an ſubleuabis dextera.*
ISM. *Auſurá ne ſepelire, cùm ſit inhibitum?*
ANT. *Fratrem meum, etſi non velis, etiam tuum.*
Nec proditrix fratris fuiſſe velim argui.
ISM. *Quid miſera, cum Creon id inhibuit, paras?*
ANT. *At non poteſt vetare, quin faciam id meis.*

Contentio inter duas ſorores, vt in Electra.

ISM. *Eheu*

ISM. *Eheu*
Quanto pater flagrarit odio, cogita
Mea ſoror, & vt inglorius ſit mortuus.
Peccata poſtquam reſcijt ſua, proprijs
Effodit oculos vnguibus. deinde genitrix
Et pariter eadem vxor, duplex illud malum,
Collum implicata fune, vitam finijt,
His adde tertium necem miſerrimam
Fratrum duorum, quos die vna mutuis
Scis concidiſſe cædibus. Solæ ſumus
Superſtites, conſidera quantò, ſoror,
Peribimus crudelius, tyrannica
Si edicta, vel potentiam aſpernabimur.
Quin hoc decet nunc cogitare, feminas „
Nos eſſe natas, nec viris reſiſtere „
Pugnando poſſe: deinde legibus „
Sumus potentiorum ſubditæ. Quare hæc, & his
Audire triſtiora cogemur. vtique
Id cogita. Veniam igitur nunc poſcere
Ab inferis certum eſt, quia huc violentia
Compellor, & ſummis parebo regibus.
Vires ſupra quid aggredi dementia eſt. „
ANT. *Nec ego iubebo, nec feram, etiam ſi voles*
Operam mihi nauare: quin ſequere tuam
Sententiam. illum ego ſepeliam. ac emori,
Si fecero, pulchrum videbitur: lubens
Iacebo cum fratre omnium cariſſimo,
Sancto hoc peracto facinore: etenim longius

Eſt multo tempus quo placere manibus
Debebo, quàm ſupero fruentibus æthere.
Illic iacebo ſemper. at per me licet,
Tu, quæ dijs probantur, impia neglige.
ISM. *Nihil impiè faciam, ſed imbecillior*
Sum nata, quàm inuitis vt auſim id ciuibus.
ANT. *Prætexe talia, ſi lubet. ego nunc eo*
Fratrem ſepultura mihi dilectiſſimum.
ISM. *Væh mihi miſeræ, vt ego tibi metuo malè.*
ANT. *Hîc te otioſam eſſe iubeo, tuas res age.*
ISM. *Verùm caue facinus indices cuiquam: occule,*
Atque operam ego tecum dabo, ne quis ſciat.
ANT. *Apage, indica: multò futura odioſior*
Si rem premas, nec omnibus denunties.
ISM. *In frigidis tibi feruidum cor æſtuat.*
ANT. *At volo placere, quibus decet me maximè,*
ISM. *Si quidem queas: moliris ardua nimium.*
ANT. *Ceſſabo, cùm nihil efficere potero amplius.*
ISM. *Quod perfici nequit, nec aggredi decet.*
ANT. *Si ſic loqui perrexeris, odio eris mihi,*
Inimica iure iacebis extincto fratri.
Sed ſine mea me temeritate triſtia
Hæc ſuſtinere. nihil graue adeo perferam,
Vt non honeſtè glorioſeq́; moriar.
ISM. *Si ſic tibi viſum eſt, abi. ſcito hoc tamen*
Stulta aggredere, ſed rectè amicis conſulis.

CHO-

CHORVS.

Hendecaſyll. Sapphi. intermixtis Adonijs.

Solis ô pulchrè radij micantes,
Luxq́, Cadmeis celebranda Thebis,
Nulla conuexo magis auſpicata
Fulſit ab axe.
Aurea tandem hic oculus diei
Prodijt curru radiante vectus,
Et ſuper Dirces ſpatiatur altè
Fulgidus vndas.
Militem claris venientem ab Argis,
Mox fugæ turpi dare terga fecit,
Martio quanuis foret apparatu
Diues ab omni.
Qui duce in noſtram Polynice terram
Venerat ſæua ſtimulatus ira,
Iurgijs motus dubiisq́, rixis
Dira fremebat.
Vt Iouis ſummo veniens Olympo
Armiger plumis coopertus albis,
Deuolat, latè ſtrepituq́, acuto
Aethera complet.
Conſtitit celſæ ſuper arcis ædeis
Enſe munitus, galeaq́, & armis,
Vndequaque haſtis inhiabat vrbi
Sanguine tinctis.
Victus at fugit trepidè, prius quàm.
Poſſet inſanas ſatiare fauceis,

Chorus celebrat lætũ victoriæ diem de cęſis Argiuis.

Et nimis noſtro cupidum cruore
Tingere guttur.
Ante quàm poſſet piceus flagranteis
Igne Vulcanus populare turreis,
Flammaq́; incenſi ſuperaret ardens
Culmina tecti.

Aiũt inter Aquilas & dracones naturale diſsidiũ eſſe.

Terga mox hoſti per iniqua ſerpſit,
Tantus incuſſus timor eſt repente,
Aggerem circum dedit hunc Draconi
Dextera Martis.
Iuppiter linguæ petulantis odit
» *Glorias, & conſpiciens venire*
Impetu magno, & crepitu ſuperbos
Diuitis auri.
Diſpulit faſtum nimis inſolentem,
Mœnia & cum iam ruerent ad vrbis,
Ac modo læti canerent triumphum,
Fulmine ſtrauit.
Flammiger ſæuis metuendus iris
Mænadum diro furioſus œſtro
Turbine infeſto violenter vrbis
Mœnia perflat.
Sed miſer pœnas dedit hîc atroces,
Saucius triſti cecidit ruina,
Occidit cæco temeratus atri
Fulminis ictu.
Dexterum Mauors moderatus agmen
Nunc in hac felix agitabat ora,

Nunc

Nunc in aduerſos veniebat hoſteis
Omnia turbans.
Vrbis ad ſeptem totidem ordinati
Sunt Duces portas paribus locatis
In pares liquêre Ioui Tropæo
Aenea dona.
At fratres vno genitore nati
Matreq́, infeſtis iaculis furentes
Mutuam in mortem miſeri ruerunt,
Flebile fatum.
Fauit at Thebis Dea bellicoſis,
Atque præclarum peperit triumphum:
Nunc Duces veſtrum eſt rigidum quietos
Ponere ferrum.
Nocte Diuorum ſocijs choreis
Templa veloci pede nunc petamus,
Sed ſatus Thebis Eleleus choreas
Ducat anhelas.

Phaleucium Hendec.

At rex auſpicijs nouis Deorum,
Et nunc imperio recens potitus
Proles clara Menætij Creon, en
Prodit neſcio mente quid reuoluens,
Indixitq́, ſenum celebriorum
Conuentum, omnibus huc palàm citatis.

CREON. *Res publica, ô viri, Dijs volentibus,* Iamb. trimetri.
Diu procellis concitata turbidis,
In priſtinum redijt decus. Quocirca ego Elegans oratio

noui Regis, qua ciuium ſibi animos cõciliat.

Miſsis ſeorſum nuntijs accerſier
Vos imperaui: quòd ſciam vos ſedulo
Coluiſſe ſemper Laij potentiam:
Et idem tenente regni habenas Oedipo
Feciſſe, poſtquàm autem ille ita perijt, fidem
Seruaſtis eius liberis hanc integram.
Dein vt quoque illos vnica rapuit dies,
Gemino ſimul fato, impieq́; mutua
Iacent manu perempti: ego nunc proximo
Cognationis iure ſceptra hæc occupo.

Hic loc⁹ à Demoſthen. citatur in παραπρ.

At difficillimum puto viri vllius
Perſpicere penitus indolem, aut pernoſcere
Senſus, Magiſtratu niſi ſit functus, &
» *Bene vrbis antè exercitatus legibus.*
» *Is qui regendæ vrbi præeſt, interrito*
» *Debet animo verſare conſilia optima. at*
» *Linguam cui ſuſpendit incluſam metus,*
» *Vt nunc, ita olim viſus eſt mihi peſſimus,*
» *Quiq́; propriæ præfert amicum patriæ,*
» *Nihili hominem talem eſſe quis non iudicet?*
» *Etenim ego, teſtis ſit mihi, qui conſpicit,*
» *Et nouit omnia Iuppiter, ſilentio*
» *Nec tegere quicquam, quod nocere ciuibus*
» *poſſet, velim: nec hunc amicum exiſtimo*
» *In patriam quiſquis animum hoſtilem gerit.*
» *Huius ſalute noſtra conſiſtit ſalus.*
» *Hac dum vigebit ſalua, amici ſuppetent.*
Eiuſmodi vrbem promouebo legibus,

Atque

Atque his ſimilia ciuibus præconio
Laturus adueni Oedipi de prolibus.
Ac de Eteocle quidem ſtatuo, quia fortiſſimè
Pro patria pugnans cecidit, ac ſtrennue
Vbique ſe geſſit, ſepeliatur: ſimul
Alia obruantur, quæ ſolent clariſſimis
Adferre manibus decus. Sed alteri,
Puto Polynicen, qui volebat patrios
Exul focos, Deos penateis, funditus
Vaſtare flammis: qui volebat ſanguine
Satiare ſe fratris, atque ciueis liberos
Preſſos iniqua ſeruitute abducere:
Huic itaque, publicè vniuerſæ vrbi veto,
Ne quis parentet, lugeat'ue funera:
Sed inſepultum auibus, dapes gratas, ſinant
Atque canibus laniari, & affici à feris
Hac contumelia. atque hæc mea eſt ſententia.
Neque verò apud me vnquam ſceleſti præmia,
Bonis'ue honorem conſequentur debitum.
Sed beneuola quicunque in vrbem hanc mēte erit,
Viuusq́, mortuusq́, præmia auferet.
CHO. *Sic tibi, Creon, viſum eſt, vterque vti ſuis*
Promerita factis conſequatur præmia.
Leges tibi, de mortuis, & pariter his
Qui viuimus, rogare, quas libet, licet.
CRE. *Seruate igitur hæc, quæ imperaui, ſedulo.*
CHO. *Negotium hoc impone iunioribus.*
CRE. *Sunt additi hi cuſtodiæ cadaueris.*

Proponit edictū de nō ſepeliēdo Polynice,& ſubdit cauſas. Hoc ſpectat ad ritum funerum. cadaueribus enim inijciebātur quęcūq; viuētibus grata fuerant, Veſtes, arma equi, canis.

CHO. *Quid igitur aliud præter hæc nunc imperas?*
CRE. *Ne aſſentiatis qui minus parent mihi.*
CHO. *Tam ſtultus eſt nemo, mori qui ſic velit.*
CRE. *Merces quidē hæc eſt conſtituta. at credula*
Pleroſque ſpe luſos in exitium trahit
Sæpe miſerabile improba lucri cupiditas.

Nuncius de ſepultura Polynicis.

NVN. *Quod nunc anhelus hūc, Creon, accurrerim,*
Velociter leuem tollens pedem, haud queam
Bene gloriari. Nam inciderunt per vias
Sæpe mihi cogitationes plurimæ,
Sæpe retuli vagum reuerſurus gradum.
Mens multa ſic tacitè monebat, ah miſer,
Quô tendis? itionis vbi pœnam huius luas?
Si reſtitas, reſciſcet id tamen Creon
Tandem ab alio. quis te hinc putas luctus manet?
Talia animo diu volutans tardius
Confeci iter. Sic fit via breuis longior.
Demum enim animus peruicit huc vt currerem.
Etſi volupe nihil adferam, dicam tamen.
Spe fretus hac adſum, niſi mea me huc trahant
Nunc fata, nil paſſurum ob hæc me noxij.
CRE. *Quid eſt quod anxiè adeo te ſollicitū habet?*

Talis eſt ſeruuli apud Terent. præfatio.

NVN. *Primum tibi id de me aſſero, nec hoc ſcelus*
Patraſſe me, nec ſcire quis patrauerit.
Neque iure malè mulctarer hic, aut plecterer.
CR. *Scopum petis, cauſamq; munis vndique*
Tuam. At aliquid videre dicturus noui.
NVN. *Cunctationem infanda plerunque ingerunt.*

CR. *Dic*

CRE. *Dic igitur, vt ſolutus omni abeas metu.*
NVN. *Id nuntio, aliquem iam ſepulcro mortuum*
Mandaſſe furtim, abijſſe verò puluere
Cadauer vt texiſſet arido, ac ſimul
Soluiſſet imis quæ ſacrantur manibus.
CR. *Quid ais? quis eſt auſus hominũ tantũ ſcelus?*
NVN. *Ignoro, nec enim ferri ibi veſtigium,*
Nec ſaucia bipenne vſpiam, ligone nec
Effoſſa humus, arida & æqua, nec fracta, aut rotis
Protrita fuerat: conijci auctor non poteſt.
Atqui diei illius, vbi monſtraſſet hoc
Cuſtos, ſtupenda eſt omnibus ea viſa res.
Nil conſpici potuit, neque tumulus vllus erat.
Puluis, perinde lege ſancito, atque qui
Fugiſſet inquinarier piaculo,
Iniectus exiguus erat cadaueri.
Præterea nuſquam nec ferarum, nec canum
Venientium, aut laniantium veſtigium.
Ac dimicatum eſt acriter verbis quidem,
Cuſtosq́; cuſtodem arguebat criminis.
Incruduiſſent penè rixæ ad verbera.
Neque enim aderat tum quiſpiam qui dirimeret.
Suſpectus alter alteri, certum nihil:
Purgabat vnuſquiſque ſe ignorantia.
Candens parati ferrum eramus tollere
Nuda manu, aut tranſire flammas, & Deos
Iurare, nos nec eſſe peccati reos,
Nec conſcios iuuiſſe verbis, vel opera.

Interpres Græcus hic notat Buzigem Athenis diris cũ deuouiſſe qui cadaueri inhumato terram non iniecisset. De hac cõſuetudine cũ alibi tũ in iure Canon. mẽtio eſt in c. Men. de vulg. purg. & c. cõſuluiſti. 2. qu. 4.

At cùm

At cùm relictus nullus eſſet amplius
Indagini locus. hic ſtatim quidam ſuo
Sermone perculit omnium animos, ac metu
Deſigere caput humi coëgit. nihil enim
Rectè ſatis quod diceremus, aut bene
Faceremus in promptu erat: at hæc fuit illius
Sententia, Omne mox tibi negotium
Patefaciendum, nec tegendum eſſe amplius.
Et viſa potior. ſors at ô miſerrimum
Me elegit, hoc vt compararem commodi.
Adſum igitur inuitus apud inuitos, ſcio:
„ *Nam nemo nuntia adferentem amat mala.*
CHO. *Ad hoc, Creon, diuinitus'ne euenerit*
Negotium, animus diſputat meus diu.
CRE. *Deſine priuſquàm penitus ira me occupet.*
Neu ſtultus inueniare pariter & ſenex.
Nam nòn ferenda dicis, huius mortui
Curam gerere Deos? honoribus, putas,
Dignentur illum afficere, & vt bene meritum
Mandare humi, qui venit vt templa vndique
Celſis columnis fulta, cum donariјs
Vaſtaret igne funditus? Et eorum humum
Legesq́; diſpergeret? an vnquam apud Deos
Malis honorem habitum fuiße exiſtimas?
Erras. Sed hæc ægrè ferebant plurimi,
In me fremebant clanculum ciues caput
Tacitè vibrantes, & iugum impatientius
Ceruice ſuſtinuêre, qua ex re ſuſpicor

Mercede peruerſos patraſſe illud ſcelus.
Etenim nihil hominibus perinde noxium
Natura, vt argentum, aut malum maius tulit. ”
Euertit vrbeis, proprijs è ſedibus, ”
Domoq́; ciueis excutit, docet, animos ”
Mutat bonos, vt ſe ad malas res applicent: ”
Fallacias quaſuis ſtruere quibuſlibet, ”
In rebus omnibus impiè agere. At qui ſcelus ”
Conductus iſtud præmijs patrauerit,
Grauiſsimas tandem mihi pœnas dabit.
Ac ſi Iouem ſummum colo, certò tibi
Perſuadeas, id iureiurando aſſero.
Facinoris auctorem niſi indicabitis,
Coramq́; me hic ſiſtatis inuentum, vna mors
Non ſatis erit, ſed penſiles, viuosq́; vos
Supplicia cogent hanc fateri iniuriam:
Vt tum ſciatis vnde lucrum poſtea
Vobis petendum. atque ſimul id veſtro malo
Diſcatis, haud vbique, nec re ex qualibet ”
Eſſe aucupanda lucra. turpis haud iuuat ”
Quæſtus, ruina plurimos triſti opprimit. ”
NVN. *Pauca'ne licebit pace mihi tua loqui?* ”
An ad meos referre greſsus imperas?
CRE. *Quin, i, moleſtus ſermo iamdudum eſt tuus.*
NVN. *Aureis'ne quæſo mordet, an animum tibi?*
CR. *Quorſum id requiris, vbi dolor me cõmouet?*
NV. *Diſcruciat auctor ſceleris animum, aureis ego.*
CR. *Heu quàm mihi, plus quàm ſat eſt, es garrulus.*

N. *Huius*

Sceleratæ res auri cupiditas.

Turpis quæſtus noxius.

NVN. *Huiúſne criminis reum me eſſe autumas?*
CRE. *Et prodigus vitæ ob pecuniam es tuæ.*
NV. *Heu ſuſpicari quàm graue eſt. quamq́; grauius*
Ratione duci ad ſuſpicandum friuola.
CRE. *Famam loquacitate ſatis ornas tuam.*
At ni mihi auctorem breui indicabitis,
Quanta, mala lucra, damna pariant, videbitis.
NVN. *Vtinam inueniri poſsit: at ſiue fuerit,*
Seu non deprenſus fuerit, id ſitum in manu eſt
Fortunæ: ego huc nunquam reuertar amplius,
Nunc præter omnem opinionem, ac ſpem meam
Seruatus: eſt quod gratias Dijs agam.

CHORVS.

Anapæſtici mixtis Iamb. Dimet. Acephalis & Acatalect.

Locus de induſtria humani ingenij.

Plurima vbique ſtupenda videmus:
Sed nihil æquè ſtupendum, ac hominem
Natura parens protulit vnquam.
Ille canas æquoris
Obruentibus ratem
Fluctibus tranſire aquas, dum
Sæuit notis hyems proteruis,
Non horret, ac Deorum
Summam, Tellurem incorruptam, &
Indefeſſam obliquis
Scindit aratris.
Annoſq́; exercet per ſingulos,

Equiſq́;

Equisq; validis verſat.
Volucrum pennigerum genus,
Tenſis implicatum caſsibus
Aſportat.atque belluarum
Genteis agreſtium, & ſalſo
Editos mari piſceis
Fune nexis retibus
Incluſos trahit omni plenus
Induſtria homo.
At montiuagas variis machinis
Vincit feras : hirſutum
Pendente per colla iuba
Subiugat equum : ferocem
Et montium incolam domat taurum.
Quid quod eloquentiæ,
Quod ſapientiæ
Antecellat laude?
Leges quoque didicit,
Et quæ arguto dirimuntur foro,
Litium tenet vias.
Sub Ioue gelido nimium duras
Vitare didicit ſedes,
Aſperáque iacula imbrium.
Rerum omnium peritus, "
Inſtructus, nihil eſt imperuium. "
Solius Orci effugium "
Non inuenit : ſed morborum "
Excogitauit grauium "

Medici-

Medicinam: artibus, & ſapientia,
Quàm credi poſſet, maiore
Eſt præditus. Aliquando
Ad virtutis ſtudium fertur,
» *Aliquando ad vitium. Cùm patrias*
» *Seruat leges & iuſtitiam,*
» *Tota colitur in vrbe.*
» *At quando nullo temerarius*
» *Studio mouetur honeſti*
» *Vilior eſt, quàm vt ciueis inter*
» *Numeretur, aut locum habeat.*
» *O vtinam neque eodem mecum*
» *Tecto vnquam contingat viuere,*
» *Nec amicus fiat, qui talia*
» *Patrare facinora audet.*
At at, hoc infelix prodigium
Adducitur deprehēſa Antigone. *Terret, nec me fallunt oculi,*
Cùm videam quî potero inficias
Ire Antigonam hanc eſſe? ô miſera
Miſeri Oedipodis filia patris.
Quid? legibus num ducunt
Te rebellem regijs,
Deprenſamq́; in factis ſtolidis?
NVN. *Iſta huius eſt facti auctor. hanc cadaueri*
Tumulum parantem cæpimus. ſed vbi eſt Creon?
CHO. *Eccum domo reuerſus opportunè adeſt.*
CRE. *Quid hoc rei eſt? iuſta'ne pœna plectitur?*
NVN. *Nihil homini abiurandum ego, Rex, cenſeo*
Prima

Prima tibi ſæpe quæ putabis, ſubſequens
Mutabit illa cogitatio. antea vt
Nunquam reuerſurum me ego iuraueram,
Perculſus atrocibus tuis minis. Sed hoc
Quod præter omnem ſpem obtigit mihi gaudium
Superare quaſlibet voluptates poteſt.
Adſum itaque propria tibi obſtrictus fide
Licet aliter iuraueram. ac tibi virginem hanc
Adduco, quam ornare tumulũ deprehendimus.
Non iacta nunc ſors eſt. ſed hoc proprium eſt meũ
Lucrum: alteri non obtigit. Age hanc tu tibi
Rex ſume, proq́; tuo arbitratu iudica,
Conuince: ego autem abſoluar, vti iuſtũ eſt, mala
Huiuſce ſuſpicione liber criminis.
CR. *Quid? hãccine adducis? vbi nactus? quo modo?*
NVN. *Hæc ſepeliјt virum, vt ſemel dicam omnia.*
CRE. *Nunquid ſatis, quæ dicis etiam intelligis?*
NVN. *Hanc ego quidem ſepelire vidi mortuum,*
Quem vetueras: manifeſta ſunt quæ nuntio.
CR. *Dic quo modo conſpecta, qui deprehenſa ſit.*
NVN. *Sic acta res eſt, vt minis perterritus* Narratio quomodo deprehenſa ſit.
Abs te receßiſſem, cadaueri leuem,
Quo tectum erat, deterſimus mox puluerem,
Taboq́; corpus diffluens nudauimus.
Altisq́; iuſſas dum agimus excubias locis,
Ne grauior aliquis læderet nareis odor:
Auerſi ab aura conſidemus, vbi interim
Vir excitando virum agitabat aſperis,

Si quis labori parceret, conuicijs.
Ac tempus hoc tranſegimus totum modo,
Donec coruſcum ſplendidi ſolis iubar
Fulgeret æthere medio, æſtusq́ ureret:
En de repente humo excitus nigras mouet
Turbo procellas, replet arua, & flamine
Campeſtris horrido comas ſyluæ quatit.
Turbatus aër vndique eſt: percellimur
Veniente morbo cælitus: viſus oculis
Præripitur. At ceſſante turbinis impetu
Statim puella cernitur, quæ flebili
Lamenta voce perſonat auiculæ in modum
Orbata nidi quando conſpicit ſui
Cubilia, & pullis vacua. Sic hæc quoque
Cadauer vt nudum videt, acerbè gemit,
Et eiulat, dirisq́ deuouet omnibus
Facinoris auctores. neque mora, puluerem
Fert manibus aridum, & operoſo vaſculo
Artificis optimi ornat inferias ſuas,
Funditq́ terna cadaueri libamina.
Id conſpicantes, imus, omnes currimus,
Illamq́ venati ſumus nullo metu
Perterritam, factumq́ prius, & nunc recens
Exquirimus: nihil negat. Volupe id mihi
Audire fuit, & triſte pariter. Nam malis
Quod hoc modo ſum liberatus gaudeo, &
» *Vocari amicos in pericula doleo.*
» *Sed ſemper eſt cuique ſua potior ſalus.*

CR. *Tibi*

CR. *Tibi heus, tibi, quæ oculos humi figis, loquor,*
Tu'ne hæc ais patraſſe te, an verò negas?
ANT. *Egò me patraſſe aio, nec eſt quare negem.*
CR. *Tu quo voles, te hinc auferas, licet, graui*
Hoc abſolutus crimine. At tu breuiter id
Non vſa multa ambage, dic mihi, ſciueras
Præconio id fuiſſe publico inhibitum?
AN. *Quid ni? ſciebam, perſpicuum erat omnibus.*
CR. *Qua fronte leges auſa eras has tranſgredi?*
AN. *Non ſummus hæc mihi imperarat Iuppiter:* »
Nec iuſtitia Deos quæ habitat apud inferos »
Inter homines qui iura ſanxerunt pia. »
Nec iuſſa tanti ponderis tua æſtimo, »
Mortalis vt perennia Deorum queas »
Temerare iura, inſculpta mentibus hominum. »
Non hæc heri, aut ſunt nuper admodum edita: »
Vixêre ſemper: quoq; tempore cœperint »
Scit nemo. Non hæc debui ego hominis vllius »
Perculſa ſceptro, aut arrogantiam timens »
Violare, poſtmodo Dijs pœnas graueis
Penſura. Moritura ſum, id me haud fugerat,
Quid ni? etiam id etſi publico præconio
Non imperaſſes, ſi ante tempus oppetam,
Id in lucro poſitura ſum. Nam plurimis »
Quicunque viuit inuolutus miſerijs, »
Veluti ego, qui non, ſi occidat, lucrum ferat? »
Sic quoque mihi hoc fato mori nihil dolet.
At ex eodem progenitum vtero fratrem

Sic inſepultum ſi reliquiſſem, dolor
Iuſtus foret. at illud nihil me commouet.
Ac ſi ſtolida nunc aggredi tibi videar,
Stulti propemodum arbitrio ſtulta æſtimor.
CHO. *Durum genus videtur ex duro patre.*
Dare neſcit ingruentibus locum malis.
Locus de pertinacia » CRE. *Præfracta ſucceſſu carent. plerunque fit*
» *Dura nimis vt conſilia vi ruant ſua.*
» *Ferri vides vt igne lenteſcat rigor?*
» *Lupis ferocis equi vt dometur impetus!*
» *Nec conuenit ei altos proflare ſpiritus,*
» *Qui ſubditus paret aliorum legibus.*
At hæc fuit tantum auſa flagitium, vt mea
Violarit edicta: neque viſum ei hoc ſatis,
Mox alterum adiecit nefas: ceu re optimè
Geſta, ſuperbè gloriata eſt, ac ſcelus
Riſit. ſed illa vir profecto ſit, haud ego
Impunè ſi illi audacia iſta ceſſerit.
At ſiue ſit ſorore progenita mea,
Seu ſit etiam Hercæo propinquior Ioue,
Nec illa, nec iam effugere poterit peſſimam
Soror necem: nam de ſepultura hanc quoque
Fuiſſe conſilij puto ſociam. Aſt eam
Nunc euocate. nam modò intus percitam
Furore vidi, neque ſat animi compotem.
Heu quàm difficile eſt » *Siquidem ſolet hominum mali mens conſcia,*
» *Qui fraudis aliquid moliuntur clanculum,*
» *Prius deprendi ſæpe quàm patrent nefas.*

Talem

Talem odi ego, qui ſceleris etſi ſit palàm „ crimē
Conuictus, illud adhuc vt ornet, nititur. non pro-
ANT. *An amplius quid quàm necare me potes?* dere vul-
CRE. *Nihil quidem: id cùm fecero, omnia fecero.* tu.
ANT. *Quid ergo cunctare? vt mihi non grata ſunt*
Nunc verba tua, nec vnquam erunt: ſic arbitror
Nihil meorum quoque tibi probarier.
Atqui vnde gloriam mihi magis nobilem
Paraſsem ego, quàm ſi fratris corpus mei
Contegerem humo? hoc his omnibus dici queat
Placere, niſi linguam metus conſtringeret.
Verùm beata non parum tyrannis eſt
Et rebus in aliis, & in eo plurimum,
Quòd liberè illi, quæ lubet, facere licet.
CR. *Solá ne tuorum ciuium id tu perſpicis?*
AN. *Vident quidem. Sed os metu illi comprimunt.*
CR. *At non ſecus quàm iſti pudet ſentire te?*
AN. *Non eſt pudendum colere cognatos ſuos.*
CR. *Nunquid etiam ille qui periit, frater fuit?*
AN. *Fuit, atque iiſdem natus ex parentibus.*
CR. *Cur igitur hos tribuis honores impio?*
AN. *Ne ſic quidem peremptus alter iudicat.*
CR. *Sed non eo illum honore quo impium afficis.*
AN. *Non interemptus ſeruus, at frater iacet.*
CR. *Vaſtans ſolum natale, cùm hic defenderet.*
AN. *Tamen haſce Stygius Pluto leges flagitat.*
CR. *At non paria ſumere bonis debent mali.*
AN. *Quis nouit, an apud inferos hæc ſint pia?*

 CR. *Nun-*

CR. *Nunquam mihi ſit amicus hoſtis, ne quidem*
Vbi mortuus fuerit.
„ ANT. *At ego non ad odium*
„ *Sum nata, ſed colendum amorem mutuum.*
CR. *Ad Orcum vbi deſcenderis, ſi amandum erit,*
Illos amato. at donec ego cæleſtibus
Auris fruar, nunquam imperabit femina.

CHORVS.

Anapæſtici quibus mixtus eſt Iamb. Acephalus.

EN proportis nunc Iſmene
Lacrymas ſororias
Extillans, nube ſupercilij
Vultum deformat purpureum,
Formoſasq; genas humectat.

Trimetri Iamb. CR. *Tu vero dimiſſa vt per ædeis vipera*
Meum latenter quæ ebibiſti ſanguinem.
Neque id ſciebam me duas regni mei
Nutrire peſteis. At age tu dicito mihi,
Huius ſepulturæ fuiſti ne ſocia?
An iureiurando negas te noxiam?
ISM. *Fui, modò hæc conſentiat, ſum particeps,*
Culpæq; eidem, ſi qua ſit ea, obnoxia.
ANT. *Non id ſinet iuſtitia: nec enim tibi fuit*
Studium iuuandi me, aut voluntas: neque etiam
Communicaui rem.
ISM. *At tuorum non pudet,*
Soror, malorum, qua tu, eadem rate vehar.

AN. *Quo-*

AN. *Quorum id opus eſt Pluto, Deiq́; conſcij*
Sunt inferi. at verbis amantem non amo. ”
ISM. *Ne me, ſoror, ne hac quæſo te me infamia*
Macules, vt vnà me mori tecum vetes,
Fratremq́; funere expiare mortuum.
AN. *Nec tu oppetas necem, neque tibi vendices,*
Quæ haud attigiſti: me mori ſuffecerit.
ISM. *At quæ eſſe, ſine te, vita mihi grata poterit?*
AN. *Roga Creontem, nam illius curam geris.*
ISM. *At quid ita me excrucias ſoror, nec adiuuas?*
ANT. *Doleo equidem, quantumlibet te rideam.*
ISM. *Qua re tibi poterit vſui eße mea opera?*
ANT. *Seruato te ipſam, non enim inuideo, tibi*
Quòd conſulas, atque fugias periculum.
ISM. *Væh*
Miſeræ mihi, non mortis ero conſors tuæ?
ANT. *Tu perfrui vita, aſt ego mori malui.*
ISM. *Nunquid futurum id antè prædixi tibi?*
ANT. *Rectè his ſapere videre: at ego malui alijs.*
ISM. *Vtriuſque ſed commune peccatum id fuit.*
ANT. *Confide, tu viues: at animus mortuus*
Dudum eſt mihi, vt gratum facere functis queam.
CR. *Harum puellarum alteri iam erepta mens*
Eſt, alteri autem inde vſque fuit ab initio.
ISM. *Non mentis ille rebus afflictis ſtatus,*
Rex, permanet, qui eſt res ſecundæ dum virent.
CR. *Tibi excidit, mali eſſe cùm vis particeps.*
ISM. *At quid ſine illa viuere mihi volupe ſit?*

CR. *Quieſce, non enim illa viuit amplius.*
ISM. *Quid? ſponſa filij tui necabitur?*
CRE. *Haud feminæ deerunt creandis liberis.*
ISM. *Non inter illas hoc modo conuenerat.*
CR. *Haud filium volo feminæ iungi improbæ.*
ANT. *Cariſsime Aemon te vt facit parui pater!*
CRE. *Et tu, & quem ais, mihi moleſtus eſt torus.*
ISM. *Priuabis igitur filium hac ſponſa tuum?*
CRE. *Pluto tremendus nuptias has finiet.*
ISM. *Itaque ſtatutum eſt, hanc tibi neci dedere?*
CRE. *Satis eſt, tibi nec mihi moras necte amplius.*
Corripite famuli has intrò: poſthac non erit
Fas liberè iſtas obuagari virgines.
Audacibus etiam fugam ſuadet metus.
Vitæ imminere cùm vident finem ſuæ.

CHORVS.

Anapæſt. Dimetri Archiloch. mixtis Aſclepiad. & Glyconicis.

Querela Chori de infinitis miſerijs familiæ Labdacidarum. Vt ventis mare, ita vita humana calamitatibus agitatur.

„ *FElices quibus ærumnis ſine*
„ *Tranſiit elapſa ætas.*
„ *Nam cui quaſſa eſt à ſuperis domus,*
„ *Nulla eſt luctificis meta doloribus,*
„ *Longamq; petunt poſteritatem:*
„ *Non aliter quàm tumidum fluctibus*
„ *Efferuet pelagus, cùm Boreas furens*
„ *Sæuis incubuit flatibus, & ciet*
„ *Toto denſa mari nubila, nigrum*
„ *Ex imis ſabulum proruitur vadis,*

Triſti

Triſti cum gemitu littora perſonant.
Hei quæ video damna ruentium
Labdacidarum, ac alia excipiunt
Mala rurſum alia: eq́; his aßerere
Nunquam progeniem poſteritas poteſt?
Obruit illam ſæua Deorum
Ira, ærumnis nullus adeſt modus.
Aliquod radicibus extremis
Oedipodis per ſtirpem reliquum
Fulgebat adhuc lumen, quod nunc
Infernales Dij extinxerunt
Puluere letali, dementia,
Sæuisq́; animi furijs. Quis precor
Hominum faſtus diuinam vnquam,
Rex Diuûm ſupreme, potentiam
Cohibere queat? quam nec languidus
Labefactet ſomnus, nec menſes
Longi, indefeßiq́; Deorum?
Aſt æternis regis imperijs
Splendorem fulgentis Olympi,
Quod nunc eſt, & quod præteritum,
Quodq́; futurum eſt, ſemper adeſt tibi, „
Arbitrioq́; tuo ſubiectum eſt. „
Atqui lex hominum eſt hæc generi data, „
Vt nemo ſine noxijs „
Aetatis peragat ſuæ „
Tempora luctibus. „
Etenim incertis ſedibus errans „

„ Cadmus Polydorus Labdacus Laius Oedipus.

Spem innuit quæ fuerat de nuptijs Aemonis & Antigones.

„ *Spes multos iuuat homines:*
„ *Rurſusq; leui ſæpe cupidine*
„ *Multos decipit: opprimit inſcium*
„ *Citius, quàm ardentem rogum*
„ *Pedibus calcet. Verùm pulchrè*
Sapienterq́; à quodam dictum
Eſſe videtur,
„ *Apparere malum, quod tamen eſt bonum*
„ *Illi, cui mentem ad perniciem Deus*
„ *Impellit: temporeq; exiguo*
„ *Contingit ſine flebili*
„ *Viuere luctu.*

Ita ſe res habet vt plerunque cui fortunam muraturus eſt Deus, cōſilia corrumpat, efficiatque quod miſerrimum eſt, vt quod accidit, etiam merito acciſſe videatur, & caſus in culpam tranſeat. Vel. Paterc.

Trochaici.

En nouiſsimum tuorum
Liberorum germen Aemon
Anxius venit puellæ
Miſera propter fata mærens,
Quæ toris illi iugalibus
Dedicata eſt nuper. his ſe
Nunc miſer fruſtrarier
Impotenter angitur, doletq́;.
CR. *Mox vatibus ſciemus ipſis rectius.*
Fili, an vbi quæ in ſponſam tua decreta ſunt
Fando audyſti, nunc ades graui in patrem
Ira fremens: an potius ea quæ fecimus
Grata, vt decet, tibi acciderunt omnia?

Aemō producitur ingenuę & verecundę indolis adoleſcens.

AEM. *Pater, tuus ſum, ac mente præditus bona*
Me corrigas, quam ſemper ego lubens ſequar.

Nec

Nec enim foret honeſtum gubernanti tibi ,,
Legittimè, præferre me vllas nuptias.
CR. Hoc te decet ſentire toto pectore,
Vt cuncta poſtponas patris ſententiæ,
O nate. & hæc eſt cauſſa cur homines velint
Summisq́; votis gignere optent liberos
Obtemperanteis ac fouere in ædibus,
Vt vindicare iniurias ab hoſtibus
Factas queant, æquisq́; amicum honoribus
Cum beneuolis pariter colant parentibus.
Quiſquis at inutileis ſerit proleis, cedò ,,
Quid niſi ſibi plantat labores? & graueis, ,,
Multosq́; præbet hoſtibus riſus ſuis? ,,
Caue nate, ne ſanam tibi mentem auferat ,,
Vnquam nefaria feminarum cupiditas. ,,
Ac eſſe noris frigidum nimis improbæ ,,
Mulieris amplexum, toris quæ iuncta ſit ,,
Iugalibus. Quod enim eſſe tetrius poteſt, ,,
Hulcus'ue maius, infideli & improbo ,,
Amico? igitur hanc vt maleuolam reſpue. ,,
Sine Stygio alicui ſub Orco nubere.
Nam poſteaquam ciuitatis legibus
Inueni eam ſolam rebellem ex omnibus,
Mendacij vrbs ne me me coarguere queat,
Illam neci dedam. Iouem quantum volet
Cognationis præſidem imploret. ſi enim
Qui genere ſunt iuncti mala patrant, arbitror
Longè eſſe ſatius mihi alienos paſcere

Erga

„ Erga propinquos, atque iunctos ſanguine
„ Quicunque iuſtitiæ decreta amplectitur,
„ Præſtabit vrbi is hoc, Reiq́ publicæ
„ Conſtantius, tranſgreſſor æqui, Principum
„ Contemptor, imperium Magiſtratum ſuo
„ Frenare qui contendit, haud equidem is ego
Sum, laude talem qui eueham, aut dignum putē.
Sed rerum habenas, ciuitas cui tradidit,
Is prorſus audiendus eſt, ſeu parua ſint,
Seu iuſta, ſeu contraria omnino imperet.
Atque hunc ego tandem virum rectè ſimul
Et imperare poſſe & obſequi puto.
Ac horrida vbi procella Martis ingruit
Locatus in acie manebit, ac bonum,
Sociumq́ ſe præſtabit imperterritum.
„ Nullum eſt enim inobedientia grauius malum:
„ Hæc perdit vrbeis, turbat, euertit domos.
„ Hæc pugnam, vbi res poſtulat, fugas ciet.
„ Sic ſubditorum rurſus obedientia
„ Multis ſaluti eſt. hæc bonis erit omnibus
„ Tuenda principibus, nec, à mulieribus
„ Vti violetur, perferendum. Nam à viris,
Si quidem neceſſum eſt, ſatius eſt pelli loco,
Ignauiores nè vocemur feminis.
CHO. Sapienter hæc ſanè videris dicere
Nobis, niſi iam ætate fortè fallimur.
AEM. Pater Dei mentem indiderunt hominibus.
Ea eſt quibuſlibet opibus præſtantior.

Montē Plato vocat cęli & terrę reginam.

Equidem

Equidem ego quod non iſta rectè dixeris,
Neque potero ſanè, neque ſciam dicere,
Et fortè quod dicis alij probabitur.
Verùm mei eſſe exiſtimo officij, Pater,
Notare dicta, factaq́; in te ciuium,
Quid quiſque laudet iure, quid vituperet:
Illi tuum aſpectum expaueſcunt, nec alius,
Quàm qui tuis ferat voluptatem auribus,
Præſente te, ſermonis vſus. Interim
Illos ſuſurranteis ego audio clanculum,
Vtq́; hanc puellam tota ploret ciuitas,
Ceu quæ mulieribus toleret ex omnibus
Indigna maxime. & neci modo peßimæ eſt
Adiudicata ob glorioſa facinora.
Quæ luctuoſo in prælio cæſum fratrem
Non inſepultum à cruda deuorantibus
Perire canibus ſinit, aut auibus feris
Iacere pabulum. aureo non'ne hæc fuit
Potius honore digna? tacitè ſpargitur
Obſcura de te fama talis. Mi pater
Salute nihil mihi tua optabilius,
Nec cogitari antiquius quicquam poteſt,
Quàm regni vt incolumis ſtatus duret tui. "
Ecquæ voluptas gratior ſit liberis, "
Quàm nobili florere patrem gloria? "
Quid rurſus eſt à liberis iucundius "
Parentibus? Ne quæſo conſuetudinem hanc "
Tueare pertinacius: nihil vt putes

Rectum,

„ *Rectum, niſi quod ipſe dixeris. Etenim*
„ *Quicunque ſe ſolos ſapere, linguaq́; vi,*
„ *Vel pectoris pollere, quam alij non habent,*
„ *Exiſtimant, iſti retecti ſæpius*
„ *Comperti inaneis ſunt. Viro etiam diſcere*
„ *Non turpe ſapienti eſt, minus ue renitier.*
„ *Vides adauctis imbre quæ torrentibus*
„ *Concedit arbor, integros vt ſurculos*
„ *Illæſa ſeruet, quæ reſiſtit, ſtirpitus*
„ *Vt eruatur? Nauita quoque ſi nimis*
„ *Tendit pedem, nec cedit auræ & fluctibus*
„ *Verſa rate tabulis inhærens nauigat.*
„ *At cedito iræ: da locum ſententiæ*
„ *Meliori, & ego (ſi quod modo adoleſcentiæ*
„ *Iudicium adeſt) præcellere virum hunc autumo*
„ *Alijs hominibus, maxima ſapientia*
„ *Qui præditus ſit: at ſecus ſi res habet,*
(Namque huc ſolent perraro vergere) vtile eſt
Qui recta ſuadent, his libenter obſequi.
CH. *Rex ſi quid hic dicat boni, æquũ attendere eſt*
Te nunc viciſſim: vtrinque enim dictum probè.
CR. *Aetate an hac diſcendum erit mihi ſapere*
A iuuene ſtulto, & prædito tali indole?
„ AEM. *Iniuſta nulla. Si iuuenis ego ſum, decet*
„ *Spectare non tam tempus, ac rem expendere.*
CR. *Egregia verò res ſceleſtos vt colam.*
AEM. *Nunquam id iubebo, in impios vt ſis pius.*
CR. *Deprenſá ne hæc obnoxia fuit morbo huic?*

Eadẽ apud Heſiodũ & T. Liuium ſentẽtia eſt lib. 22.

AEM. *The-*

AEM. *Thebana non id tota dicit ciuitas.*
CR. *Præſcribet vrbs ne quæ mihi imperanda ſunt?*
AEM. *Conſidera vt loquaris hæc pueriliter.*
CRE. *Alij gerenda ſceptra non mihi forent.*
AEM. *Quæ vnius eſt viri, illa non eſt ciuitas.* "
CRE. *Quid? non regenda vrbs imperantis legibus?*
AEM. *Vt ſolus in deſerto agro regnum geras.*
CRE. *Certamen iſte pro muliere ſuſcipit.*
AEM. *Si tu mulier es, nam tui curam gero.*
CRE. *Sceleſte cum parente diſceptas tuo?*
AEM. *Non iure te patrare talia video.*
CRE. *An pecco regni iura dum colo mei?*
AEM. *Non ſic colis, cum dijs honorem debitum*
Calcas pedibus.
CRE. *O indolem impuriſſimam,*
Victamq́; fallacis mulieris artibus.
AEM. *Nunquam manus ego vitijs victas dabo.*
CRE. *An non tueris ſedulò illius vicem?*
AEM. *Tuam, meamq́; & inferorum numinum.*
CRE. *Non hanc habebis coniugem viuam amplius.*
AEM. *Si quidem illa moritur, alterum ſecũ trahet.* Semetipſũ innuit. Creon autẽ de ſe dici putat.
CRE. *Erumpit etiam iſta in minas audacia?*
AEM. *Quæ ſunt minæ, quãdo ad animi vanũ impetum*
Reſpondeo?
CRE. *Non ſine tuo magno malo.*
Faxo docebis me, ipſe cùm mentis es inops.
AEM. *Niſi pater eſſes dicerem te haud compotem*
Tui.

CR. *Mu-*

CRE. *Mulieris vile mancipium ſile,*
Caue talibus poſthac mihi hic obgannias.
„ AEM. *Vis dicere, nec audire quicquam ſuſtines.*
CRE. *Sanè, atqui Olympum teſtor, haud cedet tibi*
Impunè tanta iſta in patrem conuicia.
Adducite huc illud odium, vt ſponſi ſui
Præſentis ante oculos necem mox oppetat.
AEM. *Non id futurum eſt, ne hoc tibi perſuadeas.*
Nunquam illa me inſpectante vitam finiet.
Nec tu meum cernes caput. itaque maneas
Apud hos, tuam qui perferunt inſaniam.
CHO. *Gradu citato hinc, & furore percitus*
Diſceßit: atqui huiuſmodi ingenium graui
Dolore commotum fit atrociſſimum.
CRE. *Struat omnia, efferatur ille ſuperbius,*
Sapiatq́ue, quàm decet, magis, nunquam tamen
Duas puellas haſce ſurripiet neci.
CHO. *Vtranque cogitas'ne morti tradere?*
CRE. *Innoxiam nolo. probè quidem admones.*
CHO. *Quo genere ſtatuiſti necis eam perimere?*
CRE. *Deductam, vbi hominũ nulla ſunt veſtigia.*
In ſola loca mox ſaxeo abſcondam ſpecu
Viuam: cibiq́ue ſuggeram quantum poteſt
Ferri manu: vniuerſa vt hæc piaculo
Vrbs liberetur: atque ibi Orcum, quem colit
Inter Deos ſolum, precetur, præmij vt
Id conſequatur, ne feram mortem oppetat.
Addiſcet ibi, quàm ſit ſuperuacaneum,

Interpres Græcus ait veteribus vſitatũ fuiſſe quando aliquem in ſpecũ concludere volebant cibi aliquid adhibere, ne

Laborq́ue

Laborq́; inanis, colere Diuos inferos.

CHORVS.

Trochaici, Glycon. Anapæſt. Iamb.

O Amor,
O nulla ſuperabilis
Pugna Cupido.
Qui magnificas irruis in opes,
Qui pernoctas mollibus in genis
Teneræ virginis.
Aequora cani per maris ambulas,
Et ſtabula alta ferarum agreſtium.
Nemo tela fugit tua.
Immortalia figunt numina,
Humanumq́; genus.
Quemcunque occupas
Agis in furorem.
Ad noxamq́; probos rapis animos,
Domeſticumq́; hoc concitaſti diſsidium.
Euidens amor genarum
Nubilis puellæ
Vincit legum venerandarum
Principem:
His ei præſtigijs
Inſuperabilis illudit Venus.
At nunc etiam ipſe hæc cum video
Feror extra legum metas, nec
Cohibere queo lacrymarum humidos

fame necatus videri poſset, quod impium habebatur.
Chorus dolet impotētiam animi quā in Aemone conſpicit, qui amorē virginis volūtati paternę præfert.

Fonteis, quando thalamum conſpicor
Qui omneis conſopit, & Antigonen
Illo miſeram flectere greſſus.

Querela Antigones, cùm capitis damnata ad ſupplicium duceretur.

ANTI. *Aſpicite, patrij*
Ciueis ſoli,
Nouiſſimum me
Carpentem iter,
Et nouiſſimum iubar
Fulgidi intuentem
Solis, nec amplius intuebor.
At me, qui omneis ſepelit, viuam
Orcus ad opacas
Acherontis deducit ripas
Exortem hymenæi, nec carmen
Nuptiale fuit mihi
Cantatum. aſt Acheronti
Nuptura abeo.

CHO. *Ergo celebris nec ſine gloria*
Abdes te in iſtas mortuorum latebras.
Nec voracibus agitata morbis,
Nec gladiorum ictus ſortita:
Solaq; nec mortalium
Vinculis aſtricta legum, viuaq;
Stygium migrabis ad Erebum.

De Niobe, Ouid. libro VI. Metamorphoſ.

ANT. *Audire memini*
Phrygiam hoſpitam
Tantalo ſatam miſerrimam
Perijſſe alti in vertice Sipyli:

Quam,

Quam, veluti circunfuſa hedera,
Saxoſum perdomuit germen:
Ac, vt fama eſt, liquentem imbre
Perpetuo nix nunquam deſerit:
Sed ſub ſupercilijs
Lacrymantibus, iuga humectat.
Me quoque iſtoc nunc Deus ſopit modo.
CHO. *Sed Dea fuit illa, atque Deo ſata:*
Nos mortales & mortalibus
Progeniti. atqui magnum id quiddam eſt,
Stirpe prognatas caduca
Dici æqualia Dijs ſortiri.
ANT. *Hei mihi miſeræ*
Rideor. quid hîc
Per Deos penateis
Me contumelia afficis non mortuam,
Sed viuentem etiamdum?
O vrbs, & ſimul vrbis
O locupletes incolæ,
O Dircæi fonteis
Thebarumq́, nemus pugnacium,
Teſteis vos ſimul aduoco,
Quomodo indefleta nunc ab amicis,
Quaq́, lege carceris
Vadam ad effoſſi ſepulcrum
Inuſitatum. heu me ter infelicem
Nec viuos inter nec mortuos.
CHO. *Nec mortuorum nec etiam inquilina*

Viuentium extremam progreſſa
Ad temeritatem etiam in extremas
Incidiſti, ô virgo, pœnas.
Grauiter luis paterna ſcelera.
ANT. *Ah dolores mihi refricuiſti*
Sæuiſſimos, luctumq́ acerbum,
Ac peruulgatum de patre,
Omnemq́ tetigiſti priorem
Labdacidarum ſortem.
Eheu materni ærumnoſæ
Coniugij faces!
O incæſti concubitus patris,
Miſeræq́ matris: è quibus ego infelix
Nata ſum parentibus!
Ad quos execrabilis & tædis
Ignota iugalibus ipſa ego nunc
Inquilinaq́ abeo.

Adraſti enim filiam duxerat Polynices, quæ affinitas cauſſa belli erat: vt in Oedipo Colon. latius explicatur.

Heu, heu infauſtiſſima frater
Adepte connubia,
Iam leto datus, occidiſti
Me etiamdum viuentem.
CHO. *Facere piè pietatis eſt cuiuſdam.*
Porrò illorum qui ſceptra tenent
Haud quaquam eſt violanda auctoritas.
Te ſpontanea perdidit ira.
ANT. *Indeplorata, & amicorum*
Præſidij inops, ac nuptialibus
Fruſtrata honoribus miſera,

Per viam iam præparatam
Deducor. haud amplius erit fas
Hoc ſacrum ſolis iubar tueri.
Hei mihi miſeræ, nec amicorum
Quiſquam eſt qui gemat hanc meam
Adeo-uſque lacrymoſam ſortem.

CREON. *Scitíſne luctus & quærelas vtileis*
Si ſentiant, cùm tempus inſtat funeris
Sedare poſſe neminem? citiſſimè
Hinc nunquid abripitis? opaca, vt iuſſeram,
Operite tumba, ibiq; ſolam linquite.
Siue moritur, ſeu viua tali condita
Tecto maneat. Etenim quod ad eam virginem
Intaminati nos ſumus. de cætero
Superûm illa nunc priuabitur conſortio.

ANT. *O tumulus, ô torus iugalis, ô domus*
Effoſſa, quæ me continebit perpetim!
Hac ad meos concedo, quorum maximum
In mortuis numerum recepit inuida
Proſerpina: horum nunc ego nouiſſima
Deſcendo, & omnium miſerrima, citius
Quàm deſtinatum funeri fatis diem
Exegerim. Veniam quidem, hac me ſpes fouet,
Caro parenti grata, ſimul etiam tibi
Mater, tibiq; grata fraternum caput:
Quando mea vos mortuos laui manu,
Ornaui, & inferias ſepulcraleis dedi.
Nunc verò Polynices tuum quòd texerim,

Compoſuerimq́; corpus, id fero præmij.
At me tibi impertiſſe honorem debitum
Fatentur omnes, qui modò bene iudicant.
Non, mater equidem ſi tuliſſem liberos,
Nec ſi maritus morte conſumptus foret,
Subeunda iudicaſſem ego iſta pericula,
Contra vrbis edictum. Sed id qua gratia?
Quòd mox marito mortuo foret alius
Cui nuberem: ac alio ex viro quoque liberi,
Orbata ijs, ſuppetere poſſent. Sed patre
Ac matre tenebroſo obrutis Orco, haud queat
Vnquam mihi frater alius naſci, & adeo
Hac mota cauſſa, quòd te honore affecerim
Peccare viſa ſum Creonti & graue ſcelus,
Nefariumq́; auſa eſſe, frater optime.
Ac nunc manu violenter apprehenſam rapit
Tædæ iugalis & tori expertem, ac rudem
Eductionis prolium. itaque ſic eo
Miſera, & amicis deſtituta priſtinis,
In mortuorum viua proficiſcor ſpecus.
Quibus Deorum legibus non parui?
Quid attinet ita calamitoſam me amplius
Ad cælites deflectere Deos lumina?
Cuius potiſſimum inuocare potero opem?
Cùm pium opus exercens, id auferam, vt rea
Facinoris impij agar. At iſta ſi Dijs
Probantur, ignoſco equidem, & admiſſum ſua
Pœna luatur. Sin penes eos noxia eſt,

Videtur Sophocl. ad hiſtoriam alludere quæ apud Hero. in Thal. recuſetur de Iataphernis vxore.

Quæſo

Quæſo Deos tantundem vt etiam perferant,
Quantum mali iniuſtè irrogauerunt mihi.

Iamb. Anapæſt. Troch.

CHO. *Ventorum eorundem impetus ÿdem adhuc*
In huius animo virginis
Aequè violenter ſpirant.
CR. *At ductores iſti lacrymas*
Sibi conciliabunt hiſce moris.
ANT. *Hei mihi, vox hæc ſæua prodÿt*
Proxima morti.
CR. *Non vt ſpem concipias iubeo*
Irrita fore quæ ſunt decreta.
ANT. *O Thebana vrbs, natale ſolum*
Dÿq́ penateis.
Abducor, nec cunctari licet.
En Thebani cernite principes
Reginam nunc ſolam reliquam,
Qualia miſera à qualibus,
Quod pietatem colui, perfero.
CHOR. *Suſtinuit quoque Danaës corpus*
Mutare poli lumina fulgida
In munitis ære cubilibus.
Ac occulta ſepulcrali
Thalamo vincta eſt. atqui ô proles
Claro fuerat ſtemmate nobilis,
Et quæ gremio ſeruabat Iouis
Aurea ſemina.
Immenſa at eſt fati potentia »

Nec imber illam, nec ferus
Martis furor, nec turris, aut
Aequora ſecanteis fugerint carinæ.
Et ferox ira Dryantis proles
Rex Aedonum
Conſtrictus à Baccho fuit,
Conuiciatricemq́ ob iram
Obſeptus ſaxoſo carcere.
Hoc modo deſtillat illic
Terribilemq́ furorem,
Animiq́ florentem impetum:
Ille nunc intelligit
Furijs impulſum ſe lingua
Petulante Deum laceraviſſe.
Namq́ afflatas numine feminas
Diſturbauit,
Bacchoq́ ſacras extinxit faces,
Ac Muſas in ſe dulciſonas
Irritauit.
Hîc vbi Cyanæi ſcopuli eminent
Geminiq́ maris littora Boſphori
Ac Salmydeſſus Thracius,
Ibi propinquus Mauors
Geminorum conſpexit
Dirum vulnus Phineidarum,
A crudeli factum matre,
Quæ infelices excæcauit
Oculorum orbeis,

Dextra

Dextera vulnus ſanguinolenta,
Lancearumq́; rigidis atque radiorum
Laniatum cuſpidibus.
Tabeſcentes igitur miſeri
Miſeram matris flebant ſortem,
Infauſtis progeniti nuptijs.
Illa verò nobili ſata
Stirpe Erechthidarum
Longinquis nutrita ſub antris
Ac rupe fuit ardua.
Par equis pernicitate
Inter patrios Boreæ turbines,
Nata Deo. verùm etiam illa fuit
Fatis agitata immortalibus.

TEIRES. *Proceres Agenoridæ ecce communi via*
Adſumus, & ex vno duobus ſuppetit
Viſus, dum iter cæcus facit, duce indiget.

CRE. *Quid verò Teireſia ſenex adfers noui?*

TEI. *Docebo: tu vati modo fac obtemperes.*

CRE. *Quid? an ego monitis antè diſceſsi tuis?*

TEI. *Atque hinc ſtatum moderaris vrbis proſperè.*

CRE. *Confiteor, atque agnoſco tua beneficia.*

TEI. *Sapias itaque nouaculæ in acumine tua*
Fortuna cùm verſetur.

CRE. *At at id quid ſibi*
Vult quod ais? vt nunc pauidus os tuum horreo.

TEI. *Scies, vbi indicia artis audieris meæ.*
Nam vetere cùm ſederem in auguraculo,

Omnigenæ vbi volucres ſuum ceu portum habent,
Inuſitata ferijt aureis vox meas
Auium malo impetu ac peregrino ſonos
Edentium, ac ſeſe cruentis vnguibus
Laniantium. nec enim nihil ſonorior
Portendit alarum ſtrepitus. at ego metu
Perculſus, aris illico in flammantibus
Adolere cœpi, ac immolata è victima
Haud vlla flamma promicuit. in cineribus
Fumus liquefaciebat inflata femora,
Lentisq; adurens expuebat ignibus.
Sublataq; exta diſsipabantur, adipe
» *Suo iacebant femora nudata. hæc enim*
Sic accidiſſe meus mihi retulit puer,
Obſcura prorſus & inauſpicata eſſe Orgia.
Siquidem mihi dux eſt hic, at alijs ego.
Te propter vrbs nunc calamitoſis his malis
Affligitur. Deorum enim immortalium
Aræ, fociq; ſunt repleti volucrium,
Canumq; pabulo, Oedipi poſtquàm genus
Furore concidit peremptum bellico.
Dein ſacra dum fiunt, preces quas fundimus,
Accipere Dij, femorumq; flammas rennuunt,
Nec auſpicatas edidit voces auis
Satiata vt eſt cadauerum pinguedine.
» *Hæc cogitare te decet. Hominibus enim*
» *Nihil æquè procliue eſt, vt errare, omnibus.*
» *Ac poſtquàm aliquis eſt lapſus, haud is dicitur*

Conſi-

Conſilij inops, miſer'ue qui malo obrutus »
Quærit medelam, nec manere pertinax »
Decreuit. eſt res ſtulta pertinacia. »
Age cede mortuo, nec extinctum fode. »
Quæ fortitudo eſt enecare mortuum? »
Tibi bene volens hæc moneo. verùm vtile »
Si quid monetur, illud excipere decet. »

Teireſias Regem monet ne religionem, quę mortuis debetur, violet.

CR. *Senex, ad vnum omneis vti ſagittarij*
Scopum petunt, in hunc virum iaculamini,
Tuq; ipſe Vates propter iſtam familiam
Mihi exhibes negotium. Sum venditus,
Sum proditus: ſic facite quæſtum, atque pretium
Accipite, ſi videbitur, Sardenſium
Electrum, & auri pondera Indici, tamen
Nunquam ſepulcro illum tegetis: nec etiam
Si nunc rigentibus Iouis aueis vnguibus
Aquilæ, cadauer lucidos in ætheris
Rapiant thronos, illud, timens piaculum
Permittam humo vt condatur, id ſcio, Deos
Non poſſe ab vllo hominum inquinari cælites. »
Quin ſæpe Teireſia inter homines maximi »
Labuntur inſanum ob lucrum turpiſſimè, »
Verbis bonis cùm palliant ſubtiliter »
Cauſſas iniquas. »

TEIR. *Hei quis id mortalium*
Cognouit vnquam, quis'ue ſuſpicatus eſt?

CR. *Quid ais? in ore eſt omnibus, res cognita eſt.*

TEIR. *Quanto anteït opes rectitudo conſilij!*

CR. *Quan-*

CRE. *Quanto mali deſipere plus ſecum trahit!*
TEI. *Hoc tu laboras genere morbi peſſimè.*
CRE. *Conuicia in vatem regerere non volo.*
TEI. *Atqui id facis: vaticinia mea falſa ais.*
CRE. *Semper auidum pecuniæ eſt Vatum genus.*
TEI. *Sed lucra amant plerunque Reges improba.*
CRE. *An ſcis tua hæc ferire dicta Principes?*
TEI. *Scio. at regis ductu hanc meo vrbē proſperè.*
CRE. *Sapiens quidē es vates: malis tamen artibus*
Non rarò deditus.
TEI. *Adiges me vt efferam*
Immota meo animo Deorum oracula.
CRE. *Moue, eloquere, ne quid tamen cauſſa lucri.*
TEI. *Sic tibi videbor, quod quidem ad te pertinet.*
CRE. *Sed mens mea tuis non patebit fraudibus.*
Vaticiniū Teireſiæ. TEI. *At neſcius ne ſis futurum, antequam*
Sol aliquot orbeis aureus confecerit,
Ex liberis vnum repoſiturum tuis.
Ac exanimem etiam loco cadauerum:
Quod vnius animam ſpecu incluſam tetro
Ad inferos ſuperſtitem demiſeris,
Aliudq́ ſeruas inferorum expers Deûm
Cadauer, exequijsq́ funeralibus
Nullis piatum: quod tamen tibi haud licet,
Superi nec approbant Dei: ſed perpetras
Violenter iſta: vindices quorum latent,
In poſterum vt te puniant Erinnyes,
Erebiq́ cælitumq́ diræ Erinnyes,

Vtq́

Vtq́; in eadem te deuolutum iam mala
Corripere poſſint. iſta fac conſideres,
Corruptus an vaticiner ego pecunia.
Nec enim futura eſt longa temporis mora,
Cùm tua virorum & feminarum luctibus
Reſonabit vndique domus, hoſtiliq́; te
Vrbs qualibet mox impetet meritum manu,
Quarum cadauera laniata, vel feræ,
Vel polluêre canes, auisq́; rapax tulit
Sceleratum odorem in lucidos vrbis focos.
In te iſta, ceu iaculator, emiſi incitus
Furore tela, ac valida adeò, quorum haud queas
Effugere virus noxium. Sed nunc puer
Hinc me domum deducito: atque hic impetum
Crudelis animi in iuniores expuat:
Linguamq́; diſcat erudire, vt prædita
Maiore ſit modeſtia: ac ſimul animum
Quàm nunc fouet, diſcat fouere rectius.
CHO. *Vir abijt ô Rex auguratus atrocia.*
At ſcimus hoc, ex quo nigra mihi iſtæc fuit
Aſperſa canicie coma, haud inuentus eſt
Dixiſſe falſiloqua vrbi huic vaticinia.
CRE. *Noui, ac proinde mihi cor attonitum ſtupet:*
Sed cedere eſt durum, ac reſiſtere ſi velim,
Me damna, cum periculum præſto eſt, manent.
CHO. *Conſilio opus prudentiaq́; eſt ô Creon.*
CRE. *Quid facto opus ſit conſulas, ego obſequar.*
CHO. *Specu puellam eximito mortuoq́; huic.*

Ac

Ac inſepulto buſta des cadaueri.

CR. *Hóccine videtur? ac vti cedam mones?*

CHO. *At quàm queas ocyßimè. celeri ingruit*

„ *Pede noxa, cùm Dij perdere improbos volunt.*

CR. *At at, animum vix huc queo perpellere.*

„ *Sed cum neceßitate pugnare arduum eſt.*

CHO. *Hæc igitur ipſe fac, nec alijs impera.*

Mutat conſilium Creon, ſed ſerò

CR. *Quin iam iam cò me confero. At famuli ocyus*

Quicunque adeſtis, ac abeſtis, tollite

Validas bipenneis, petite conſpicuum locum.

Ac poſtquam ego ſententiam mutauerim,

Quam colligaui, vinculis quoque eximam.

Nam melius eſſe exiſtimo atque tutius

Nunc vſitatis paruiſſe legibus.

CHORVS.

Variè mixtus, eodem penè carm. genere, quo eſt vſus Sophocles.

Hymnus in Bacchũ præſidem Thebarum vt afflictis ſalutem adferat.

VAriјs Bacche inſignis

Nominibus, & nymphæ decus

Cadmææ, Iouis altitonantis

Genus eximium, qui inclytæ

Excolis Italiæ iuga:

Quiq; foues in communi ſinu

Spicigeræ Cereris

Fertileis Eleuſidis agros.

Bacche qui genitriceis

Mænadum Thebas colis:

Hic vbi liquida Iſmeni

Per-

Perluunt agros fluenta,
Et ſunt agreſtis conſiti dēteis Draconis:
Te bifidi ſuper arduos
Parnaſsi conſpexit colleis
Prorumpens è ſacris fumus
Lucidus hoſtiis:
Vbi Coryciæ nymphæ
Bacchides ambulant:
Vbi Caſtalius fons & Nyſseorum
Montium hederacei
Tumuli, virideſq; & vitiferi
Carmine reſonanti
Deducunt te colleis,
Thebanæ vrbis præſidem:
Quam tu vrbibus magis omnibus
Vnam colis,
Cum matre pariter fulmine
Percuſſa graui.
Et ciuitas cùm nunc fero
Vbique morbo affligitur:
Luſtrali pede valleis
Parnaſsias, aut littora
Pete reſonantia.
Igniuomarum præſultor Iω ſyderum
Atque vociferationum
Præſes nocturnarum,
Nate Iouis ſummi
Huc ades ancillis

Naxijs comitatus,
Quæ furore percitæ
Nocturnis te celebrant præſidem
Choris Iacchum.

Nũtius interitus Aemonis & Antigones.

NVNT. *Amphionis, domusq́ Cadmææ incolæ,*
Haud amplius hominum beatam dixero
Vitam, nec accuſabo. nam rotat omnia
» *Fortuna: præcipites dat, & rurſum erigit*
» *Iuxta potenteis atque miſeros: nec aliquis*
» *Extat futuri præſcius mortalium.*
Creon enim ſi quiſquam alius, erat, vt quidem
Mihi ſemper eſt viſus beatus, aſſerens
Ab hoſtibus Cadmæam humum, atque totius
Regionis imperio potitus, dulcium
Virebat etiam multitudine prolium.
At nunc ruerunt cuncta, lapſaq́ ſunt retrò.
Nam nulla cui mentem voluptas recreat,
Non viuere hercle exiſtimo, ſed mortuum
Viuentis illum ferre præ ſe imaginem.
Sis diues, ac ædeis ſuperbas occupes,
Viuas tyranni præditus potentia,
Niſi omnia hæc præſens voluptas condiat.
Ego omnia hæc ne vmbra quidem fumi emerim.
CHO. *De Regibus quid rurſum acerbi nuntias?*
NVN. *Periêre, ſed ſunt cauſſa, qui viuunt, necis.*
CHO. *Quiſnam peremit? fare: quis'ue eſt mortuus?*
NVN. *Sua occubuit Aemon cruentatus manu.*
CHO. *Vtra, patris'ne, an propria perijt manu?*

N. *Sua*

NVN. *Sua ipſe dextra, ſæuam ob Antigones necem,*
Ira in patrem motus, mucrone ſe induit.
CHO. *O augur vt iam vera vaticinatus es!*
NVN. *Cùm ſic tulit res, alia conſulenda ſunt.*
CHO. *Sed calamitoſam video regis coniugem*
Creontis, Eurydicen tuliſſe domo gradus.
De filio fortè audijt, caſu'ne adeſt.
EVRYDICE. *O vrbis incolæ, quid hoc eſt nuncij,*
Quod limine excepi efferens pedem,
Delubra dum peto, ad precandum, Palladis,
Nam ianuæ relaxans clauſtra, mox mali
Domeſtici aureis perculit rumor meas.
Pauore conſternata, & exanimis ſtatim
Inter pediſſequas ſupina concidi.
Sed quis fuit ſermo iſte rurſum dicite,
Nec enim mali ignara, aut rudis eum exaudiam,
NVN. *Regina cariſſima mihi, præſens loquar.*
Nihilq; omittam quod potero verè eloqui.
Quid enim attinet mulcere te rumoribus,
Ob quos queam fortaſſe pòſt redargui
Mendacij? rectiſſima ipſa eſt Veritas. "
Ego tuum ponè comitabar coniugem
In edita loca, vbi polynicis ſqualidum,
Canibusq; laniatum iacebat corpus: ac
Id mox quidem, Hecaten obſecrati, & inferum
Plutonem, vt iras beneuoli deponerent,
Puro abluentes latice, quod adhuc ſupererat
De corpore reliquum, arbore euulſis recens.

Ritè implicatum ramulis cremauimus,
Buſtoq; terreno excitato ex aggere,
Rurſum ſubimus lapide conſtratam ſpecum,
Thalamum inferis Dÿs dicatæ virginis,
Vbi cuidam vt eminus vox lugubris
Audita erat, currens Creonti hoc indicat.
Verùm hunc etiam vbi propius admorat gradum,
Cingunt, & infelicium eiulatuum
Obambulant ſoni. ille ingemiſcens flebili
Has ore voces edit: Hei mihi miſero
Vates'ne ſum? viam'ne tero nunc omnium,
Quas anteà, infauſtiſſimam? num filÿ
Vox me pepulit? ite famuli, ite celeriter,
Petite ſepulcrum, inſpicite tumuli ſaxeam
Molem, ſubite oſtia ſpeluncæ, an Aemonis
Vocem audiam miſerabilem, an verò à Dÿs
Decipiar. At nos, veluti triſtis iuſſerat
Herus, ſpecum luſtramus, ac in vltimo
Procul receſſu illam quidem conſpeximus
Pendère colla faſcÿs ex ſindone
Nodatam. at ille virginem amplexus mediam,
Iacebat, & plorabat interitum ſuæ
Sponſæ, patriſq; immitia facinora, & tori
Iugalis infauſtum ſtatum. Vt verò pater
Conſpexit, intrò irrupit, & ſuſpiria
Ducens ab imo corde, & attonitus graui
Mærore tali filium appellat ſono:
Ah quid miſer te is perditum? quas res agis?

Quo

Quo præditus es animo miſer? quæ calamitas
Sic te premit? fili egredere, id ego parens
Supplex precor. Sed trucibus oculis intuens,
Vultuque toruo, reſpuit patris preces.
Nihilq́ dicens, ſtringit ancipitem manu
Gladium, ac patre elapſo fuga, errauit: dein
Iratus infelix ſibi, incubuit ſtatim
Lateriq́, medium infigit enſem, ac brachia
Complectitur, adhuc compos animi, virginis.
Mox naribus ſpirans grauia, celerem eiјcit
Pallente ſpiritum cruentatum gena.
Et mortuus apud mortuam infelix iacet,
Connubialia vterque ſortitus ſacra,
Vmbras vbi Pluto coërcet inferas.
Tantum malorum fert aceruum temeritas.
CHO. *Quid hoc ſibi vult? mulier hinc ſeſe abſtulit,*
Verbum priuſquam triſte, ſeu bonum edidit.
NVN. *Atque ipſe id attonitus ſtupeo: ſed ſpe tamen*
Paſcor, ſimul vt accepit è gnati nece
Dolorem acerbum, nolle luctus publicè
Teſtarier: ſed laribus in domeſticis
Luctum imperabit, vt puto, pediſſequis.
Non mentis eſt tam inops, vt in ſe ſæuiat.
C. *Haud ſcio equidē: at nimia iſta nūc taciturnitas* ” Curę le-
Aliquid mihi portendere videtur mali. ” ues lo-
quuntur
Quanquam nimius eſt clamor etiam inutilis. ” ingentes
NVN. *Sed mox domum ingreſſi, ſciemus, an animo* ſtupent.
Ira incitata aliquid mali occultum gerat. Sen.

» *Nam pondus eſt graue, nimium ſilentium.*

CHORVS.

Anapæſt. vt in Græco.

EN, en, Rex ipſe huc approperat,
Manibusq́ cadauer geſtat ſuis:
Haud alterius, ſi fas dicere eſt,
Verùm ipſius culpa perditum.
CREON. *O menteis ter ſtolidas!*
Variè mixti. *O peccata atrocia!*
Letaliaq́, iam mortis auctores
Mortuosq́ cernitis
Conſanguineos.
Hei mea tam infelicia
Conſilia!
Heu fili iuuenilibus
Annis erepto nouo
Fati genere.
Vah, vah,
Eheu perijſti non propria,
Verùm mea dementia.
CH. *Hei quàm videris iuſta ſerò cernere.*
CR. *Ah iam meo didici miſer malo.*
Et hoc Deus capiti meo
Hoc grande coaceruans onus
Me perculit,
Pariterq́ atroceis haſce adegit in vias.
Hei, vſitatum funditus mihi gaudium
Subuertit, heu heu.

O ter

O ter quater hominum labores miſeros!

SERVVS. *Oppreſſe varijs ô Creon nunc miſerijs*
Alia manu geſtas, aliáq; mox mala
Tuis videbis perpetrata in ædibus.

Seruus nunciat mortē Eurydices.

CR. *quid peius eſſe queat? quid eſt reliquum mali?*

SER. *Vxor recenti miſera vulnere concidit,*
Occubuit huius vera mater mortui.

CR. *O nefaria Erebi*
Cuncta perdentis domus.
Quid toties iuuat
Perdere miſerum?
Hei, damna vt infauſta mihi nuntias?
Quemnam ſermonem edis?
Heu, heu, heu,
Me iam trucidas mortuum.
Quidnam ais? quidnam noui adfers?
Coniugem iacere propter Aemonis
Necem cadauer?

SER. *Conſpicere, cùm non deliteat abdita, licet.*

CR. *Hei mihi.*
Hoc iam ſecūndum conſpicor malum miſer.
Quod fatum adhuc mihi miſero reſtat? habeo,
Manibusq́; geſto filium, ac aliud procul
Video cadauer. heu matris miſerabilis
Sortem nefandam: heu nate ſolamen patris!

SER. *Illa celeri occidit perempta vulnere,*
Sacrasq́; circa aras nigranteis palpebras
Cùm ſolueret, celebreis prioris coniugis

Tædas Megarei luxit: ac huius etiam,
Dira eſt deinceps imprecata numina
Cuncta tibi, parricidæ uti atrociſſimo,
CR. *Me miſerrimum:*
Cor pauido labat timore.
Quare nemo tranſadigit mihi,
In modum hoſtilem, mucrone ancipiti
Pectus? me infortunatum,
Eheu, è quàm ſæuis conflatus
Sum calamitatibus!
SER. *Quaſi præbuiſſes cauſſam utrique funeris,*
Ita moribunda iam peregit te reum.
CR. *Quonam perempta vitam finijt modo?*
SER. *Vt filij miſerum audijt caſum tui,*
Lacerans atroci vulnere epar occidit.
CR. *Hei non in alium culpa competit hominem,*
Atque in me: ego te, ego interemi, ah miſer ego.
Id dico quod res eſt. agite famuli, ocyus
Abducite hinc me, atque procul amolimini,
Qui nihilo plus ſum, quàm ille, qui iam nullus eſt.
» CH. *Bene admones, ſi quid boni ſit in malis,*
» *Ac cætera inter, quæ grauiſſimè premunt,*
» *Re nulla ita citò, ac morte, pelluntur mala.*
CR. *Acceleret, acceleret:*
Vltimum mihi meorum
Appareat fatorum,
Extremumq́, adducat
Diem: acceleret, acceleret,

Vt ne

Vt ne poſt hunc alium contuear diem.
SER. *Futura omitte, cura ſit præſentium.*
Siquidem illa Dijs curæ, quibus debent, erunt.
CR. *Sed quæ velim accidere, illa votis comprecor.*
SER. *Nihil precare. ſtatuta enim mortalibus* „
Fato, calamitas præcaueri non poteſt. „
CR. *Abducite è medio virum miſerrimum,*
Qui te interemi, cara mihi proles, licet
Inuitus: ac te ipſam quoque vxor. hei mihi
Miſero: oculos quò dirigam? cadauera
Vbi collocem non habeo.
Siquidem omnia aduerſa mihi conſpicor, alia
Manibus teneo, alia in caput redundant.
Ah ineluctabile iuuaſit me
Dirumq́ue fatum.
CH. *Præcipua eſt ac longè prima* „
Rectè ſapere felicitas. „
Verùm religio ſupremi „
Numinis haud eſt afficienda „
Iniuria, nam cœlites poſtquam Dei „
Pœnas ſumpſere ſuperbis „
De ſermonibus: „
Aetate docent ſapere extrema. „

Σοφοκλέους τῆς Ἀντιγόνης τέλος.

Louanij octauo Calend. Feb. Anno à Chriſto nato

M. D. X L V I I I.

Hoc carmẽ priori editioni adiectũ ſuit.

CLARISS. VIRO STEPHANO STRATIO BITVRIGIBVS LEGVM ANTECESSORI,

GEORGIVS RATALLERVS.

Ad Muſam

Sic te Pegaſeis Muſa liquoribus
Parnaſſiq́ iugis Delius arceat,
Sic Daphneïde nunquam
Cingas tempora virgine:
Vt ſecura ruis quò libet, & ſine
Delectu ſtudijs obſtrepis omniũ
Caſtum oblita pudorem, &
Famæ prodiga candidæ.
Ecquò fers Tragici relliquias ſenis?
Cui doctus proceres inter Achaïcos
Semper Phœbus honorem,
Et ſummum tribuit decus.
Qui quà Cecropij terra patet ſoli,
Et gratus latijs hoſpes in vrbibus
Graio incedit amictu,
Pallaq́ inclytus aurea.
Illum ſic lacera non pudet in toga,
Expertem Auſonij nectaris, & malè
Romano ore loquentem,
Clarum ferre ſub æthera?
Hei quæ tu pariter verbera perferes.

Nemo

Nemo non rigidis impetet vnguibus,
Ceratimq́ cruentis
Vultum confodiet notis.
Tunc ſerò patrijs te laribus voles
Non mouiſſe pedem, tunc temeraria
Fruſtra optabis opacum,
In quo deliteas, locum.
Sed ſi tam ſtolida luminis æſtues
Inſanaq́ flagres cæca cupidine,
Ne ſis fabula vulgò,
Riſusq́ omnibus excites:
Cui primam ætheræ lucis originem
Olim terra dedit Belgica Stratium
Clarum accede poëtam,
Et Iuris gemini decus:
Quem primum puerum ſub viridantibus
Nutriuere Deæ Caſtaliæ iugis,
Et tinxere ſacratum
Fontis Gorgonei vadis.
Quem delubra Themis tranſtulit ad ſua,
Præfecitq́ ſacris Iuſtitiæ libris,
Muſarumq́ ſacerdos
Diæq́ vt Themidis foret.
Illi ſi placeas, i pede libero
Per terras, mare per, quò rapit impetus,
Inſanosq́ frementis
Morſus ſpernito Zoili.
En claro ſoboles nata Agamemnone,

Et retro proauis edita regibus,
Nunc Electra penates,
Strati docte, tuos ſubit.
Non ſublimis equo, nec vehitur rota,
Non oſtro, aut tyrio murice fulgidos
Auris pandit amictus,
Nec gemmæ variant comas:
Sed luctu atque crebris ſquallida lacrymis,
Fortunæq́ gerens nunc habitum ſuæ,
Membris non ſatis apta
Induta eſt Latia ſtola.
Heu quò non homines præcipitat furor?
Ad quid ſecus amor pectora non rapit?
Haud contenta iugaleis
Fœdo concubitu faces
Conſpurcaſſe, aliud iam ſceleri ſcelus
Regina accumulans, innocui impia
Dextram cæde mariti
Interſperſit adulteram.
Sic ſeſe abſque metu viuere ſuſpicans,
Aegiſthum tepido confouet in ſitu,
Et quæ rapta dabantur
Furtimq́ oſcula, nunc palàm
Figuntur, proprijs funera liberis
Moliturq́ necem, ſed procul vrbibus
Indignatur Oreſtem
Vitam degere in exteris.
Hic ſcrupulus reliquus pectoris intima

Vrgetq́ & cruciat, ne veniat patris
Vindex, ſceptra tyranno
Vi rapta atque animam auferens.
Hinc diris mulier percita Erinnybus,
Nil præter furias euomit, omnium
Electram eſſe malorum
Fontemq́ aſſerit, & caput.
Sed tandem patrijs redditus vrbibus,
Conſultoq́ Dei numine Delphici,
Pœnam cædis Oreſtes
Inflixit meritam impijs.
Sic qui de ſupero conſpicit æthere, „
Quæ patrant homines Iuppiter, omnia, „
Nil impunè relinquit: „
Pœna eſt flagitij comes. „
Electram hanc igitur candidus excipe,
Velata Oenotria quæ venit inſtita,
Ac ſub nominis exit
Claris auſpicijs tui.
Non noſter, meritò fœtus hic eſt tuus,
Vt quem iam Stygijs Manibus additum,
Plutoniq́ dicatum
Auræ reddideris nouæ.
Sed ſumes placidè, ſat ſcio, munera,
Quæ non pro meritis offerimus tuis.
Sunt multo illa minora,
Sed nunc qualia ſunt mihi.
Et qui læto animo dat, dare quod poteſt,

Quam-

Quamuis exiguum eſt, gratus habebitur.
Thuris ſumit odorem,
Vt pingueis Deus hoſtias.

Biturigibus III. Non. Aprileis,
Anno à Chriſto nato
M. D. XLIX.

ARGVMENTVM IN ELECTRAM SOPHOCLIS.

AVCTORE G. RATALLERO.

RAPTA Helena, cùm propè omneis totius Græciæ principes iuriſiurandi religione obſtricti in Aulide conueniſſent, vt communibus viribus iniuriam à Troianis illatam vindicarent, Agamemnon vniuerſi exercitus declaratus fuit Imperator. Is cùm animi gratia venatum exijſſet, in luco vicino ceruum quendam inſignem, & notis certis diſtinctum, Dianæque ſacrum, interemit: ob quod facinus irata Dea, copias omneis tempeſtate detinet, vt neque domum redeundi, neque, quò deſtinauerãt, proficiſcendi facultas eſſet. Itaque conſulto numine iram Deæ placari poſſe, vates negauerunt, niſi Agamemnon loco cerui interfecti, filiam ſuam Iphigeniam victimam immolaret. Quod cùm factum eſſet, belloque Troiano confecto, domum redijſſet, ab vxore Clytemnęſtra, inſtinctu Aegiſthi, quem ſibi belli tempore adulterum aſciuerat, necatur. Necem patris indignè ferens Electra generoſo prædita animo virgo, metuenſq; ne eadem quoque crudelitate in Oreſten graſſarentur, infantem etiamdum eum clàm in Phocidem ad Srophium ablegat, vt ibi enutritus, vltor paternæ cædis, adulta aliquando ætate reuerteretur. Multis autem annis elapſis, cùm varijs quotidie à matre contumelijs inceſſeretur, neque quicquam comperti, exploratique de Oreſte haberet, iam profligata deſperataque ſalute, extrema molitur. Precibus, ira, minis, omnibus denique modis Chryſothemidis animum oppugnat, eoque pertrahere conatur, vt, ſi Oreſtes non redeat, ipſę patris necem ſua manu vlciſcantur. Sed molliore animo prędita ſoror, ſuo ſe pede metitur: neque hoc virginũ opus eſſe: ſe omni præſidio deſtitutas, tyrannicæ potentiæ reſiſtere non poſſe, multaque alia prætexit, quibus & ſe purgat, & Electram ab eo propoſito conatur abducere. Verùm illam in concepta ſemel ſententia perſiſtere, & pietas erga patrem hortatur, & flagitij magnitudo indignitaſque exſtimulat, mortemque oppetere, quàm ſcelus tam nefarium inultum relinquere, honeſtius ducit. Vigeſimo tandem poſt interemptum patrem anno, diu ſperatus, ac iam deſperatus, Argos Oreſtes cum Pylade à Pædagogo

dagogo reductus clàm venit. Vt autem id quod moliebantur commodius tutiuſque poſſent perficere, edocti Apollinis oraculo, falſos rumores Clytæmneſtræ de morte filij adfert Pædagogus, quem ad modum in Pythicis certaminibus occubuiſſet: quoque certior dictis fides eſſet, uaſculum apportant, in quo Oreſtis cineres reconditos iacere fingebant. Illa igitur læta morte illius, quem ſolum metuebat vindicem paternæ cædis futurum, Electræ perpetuò fratris ſortem deflenti, quàm ſolet, inſolentius inſultat. Sed Oreſtes tandem ϛοργῇ fraterna motus ſe ſorori aperit. ac Clytæmneſtram, quæ Aegiſtho in ſuburbanum profecto domi ſola erat, occidunt. Aegiſtho reuerſo, qui iam de aduentu hoſpitum Phocenſium, ac obitu Oreſtis rumores acceperat, oſtendunt cadauer Clytæmneſtræ: quod cùm tectum eſſet, Oreſtis eſſe ſuſpicatur. Dolo autem cognito, in eodem, quo Agamemnonem interemerat, loco necatus, dignas ſui ſceleris pœnas perſoluit.

Genealogia Agamemnonis, & Ægiſthi talis eſt.

Iuppiter.

Tantalus.

Pelops.

Atreus.	*Thyeſtes.*
Agamemnon.	*Agiſthus.*
Oreſtes.	

QVOD

QVOD apud Valer. Max. dicitur, lentè ad vindictam procedere diuinã irã: id in hac Tragœdia luculenter exprimitur: Libidines, adulteria, cædes, nõ impunè cõmitti, atq; à Deo tandem grauiter puniri: Innocentiam, & integritatem Deo curæ eſſe: atque etiamſi boni multis interdum calamitatib. premantur, tandem tamen aliquando etiam cùm res omnino diſperatæ atque profligatæ videntur, ſubitò & ſæpè ex inopinato erigi. Scitè Homerus ait, Mercurium à Dijs immortalibus in terras demiſſum, vt Aegiſthum moneret, à thalamis vxoris propinqui ſui temperaret, néue animo conceptam iam Agamemnonis cædem moliretur: niſi pareret, vltorem illi Oreſtem imminere: illum tamen contempto diuino monitu & libidine & cæde ſe polluiſſe. Vnde hic pœnas dat cum adultera. pulchreque ab Horatio: Ὀδυσσ. ά.

Rarò antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

Atque huius fabulæ, vt etiam aliarum argumentis quadrat illud, quod olim à nobis è Græco Φιλῶν conuerſum fuit, quod quia elegans in primis, & lepidum nobis ſemper eſt viſum, non piguit hic ſubijcere.

Ah nimis erramus quotquot vitalibus auris
Veſcimur, & cæcis inducti fallimur vmbris,
Munera dum Diuûm inſtabili nutantia lance
Pectore perferimus ſtolido. nam quiſquis egenus
Immiti preſſus ſub paupertate laborat,
Mæſtus in innocuos fundit conuicia Diuos,
Virtutem negligit propriam, atque è pectore robur
Eijcit. atque odit cæli formoſa tueri
Lumina, nec quicquam præſtare, aut dicere magnum,
Hic vbi diues adeſt, trepida formidine captus
Suſtinet, at duræ illi ærumnæq́, pudorq́,
Anxia perpetuo conſumunt pectora morſu.
Contra, ſors placido quem reſpicit aurea vultu,
Munere quiq́ Deûm eſt ſceptris regalibus auctus,
Non hominem ſeſe eſſe putat, ſed ſtirpe creatum
Mortali, & greſſus humili ſe figere terræ
Immemor, inſano fertur ſuper æthera faſtu,
Fulmineq́ & tonitru inſtar Iouis omnia turbat.
At quamuis parui ſit corporis, erigit altè

A ceruice caput, mortales deſpicit omneis,
Lætaq́ formoſæ connubia Pallados ambit.
Deniq́ vbiq́ viam ſibi ad alti culmen Olympi
Quærit, vt æthereos inter numeratus alumnos,
Splendida cum magnis agitet conuiuia Diuis.
Aſt Ate rapido glomerans veſtigia greſſum,
Verticibus non viſa, nec expectata propinquat.
Iamq́ ſenes vrget, iuuenili prædita forma,
Iam rurſus iuuenes vultus induta ſeniles
Opprimit, & tanta ducens in retia fraude,
Iuſticiæ, & ſummo gratum facit illa Tonanti.

Actio fabulæ Argis fingitur.
Chorus ex indigenis virginibus conſtat.
Præloquitur Pædagogus.

PERSONAE FABVLAE.

PÆDAGOGVS.

ORESTES.

ELECTRA.

CHORVS.

CHRYSOTHEMIS.

CLYTEMNÆSTRA.

ÆGISTHVS.

SOPHO-

SOPHOCLIS
ELECTRA.

PAEDAGOGVS.

PROLES *Atridæ Agamemnonis ſummi ducis*
Cùm Danaa peteret Pergamas claſsis domos,
En nunc tibi coràm intueri ea licitum eſt,
Quorum fuiſti ſemper antè maximè
Cupidus. id Argos eſt vetus, quodq́ toties
Deſideraſti. illic at æſtro percitæ
Furente virginis ſtat Inachiæ nemus.
Porrò ô Oreſta hoc eſt Lycæi Apollinis
Forum. ad ſiniſtram, verò cernis inclytam
Iunonis ædem, quóque nunc conſiſtimus
Hic loco, opulentas te Mycenas cernere
Exiſtima, diramq́ Pelopidûm domum
Multa cruentam cæde, & exitio: vnde te
Ego, parens cùm olim necaretur tuus,
Tua à ſorore traditum mihi, abſtuli,
Seruaui, & educaui ad huius tempora
Aetatis vſque, qua paternæ vltor necis
Exiſtere queas. Nunc igitur Oreſta mi,
Ac tu quoque hoſpitum mihi chariſsime
Pylades, agendum quid ſit, opus eſt celeriter
Deliberare: nam coruſcum ſplendidi

De hac vide Ouid. li. 1. Metam.

Solis iubar prænuntij nunc alites
Cantu cient, fugatis humida
Receſsit aſtris nox. Proinde ex ædibus
Hominum aliquis pedes priuſquam proferat,
Conſilia ſunt ineunda. nam quo eſt iam loco,
Non patitur vllam res moram: eſt properato opus.
ORESTES. *Miniſter ô cariſsime, vt ſignis tuum*
In nos amorem oſtendis euidentibus!

ἦθος boni, & verecundi adoleſcentis.

„ *Nanque generoſa vt præditus equus indole,*
„ *Et ſi grauetur debili ſenio, tamen*
„ *Non rebus abijcit animos in aſperis,*
„ *Sed acer arrectis ſtat auribus: ita tu*
„ *Nos excitas, interq́ primos is comes.*
Conſilium itaque tibi ſtatim meum aperiam,
Tu dicta fido noſtra conde pectore.
Et ſi loquar quid fortè non ſat commodè,
Aut ſicubi aberraro, tuum eſt, me vt corrigas.
Oraculum ſimul atque veni ad Delphicum,
Vt ſciſcitarer, quo necem patris modo
Vlturus eſſem, atque meritas auctoribus
Cædis cruentæ infligerem pœnas, ea
Nunc quæ audies, monuêre Phœbi numina:

Explicatio oraculi.

Nulla vel armorum, vel exercitus ope
Munitus, inſidijs, doloq́ ſumito
Supplicia iuſta. Cùm igitur hoc ſit editum
Oraculum, tu, temporis opportunitas
Vbi ſuadebit, domum ingredere, vt ſcias
Quid rerum ibi geratur: vbi reſciueris,

Mox

Mox omnium nos certiores reddito.
Facient ſenectus, longitudo temporis,
Habitusq́ iam mutatus in te corporis,
Vt non modo te non queant agnoſcere,
Sed nec quidem vt de te vlla ſuſpicio incidat.
Atque hoc quidem ſermonis vtere genere:
Te ex Phocide hoſpitem venire à Phanoteo
Miſſum: ille enim eſt arctiſsimo ipſis vinculo
Iunctus neceſsitudinis. neque dubita
Vel iureiurando fidem dictis tuis
Aſtruere. Oreſtem nuper è pernicibus
Lapſum quadrigis Pythico in certamine,
Ceſsiſſe fatis morte violenta. hancq́ tu
Orationis ſummam habe breuem tuæ.
Nos interim, Phœbus vti iuſsit, ad patris
Libabimus tumbam, reciſisq́ capite
Eam vndiq́ exornabimus comis. dein
Rurſum huc reflectemus pedem, æream manu
Vrnam ferentes vepribus quam tu quoque
Scis alicubi fuiſſe nobis abditam.
Fallace vti rumore lætum nuntium
Eis feramus, corpus ignibus meum
Conſumptum, & in atros iam redacta oſſa cineres.
Quid enim hoc mihi queat nocere, mortuus
Verbo quidem ſi fuero, re autem vixero,
Atque ipſe me magnam reportans gloriam,
Seruauero! nullum mihi dictum malum
Videtur eſſe, quod modò ſit vtile.

Ἀναχρονισμὸν hic notat Interpres Græcus. Poſt Oreſtis enim ætatem hęc certamina fuerunt inſtituta.

His enim in exequijs veteres vtebãtur, vt in Aiace, in Antigone: quod tamẽ non faciebant, niſi genere proximi, vt in hac Fabula.

Nanque ipſe vidi ſæpe magna præditos
Sapientia viros inani mortuos
Rumore creditos, larem reduces ſtatim
Vbi tetigiſſent patrium, auctos gloria
Decuſq; maius conſecutos, atque ego,
Cur famã ob hanc triumphẽ, habebo. vtq; hoſtibus
Oblatus aſpectus cùm erit ſubitò meus,
Ceu ſidus illis ominoſum ſplendeam.
Sed ô ſolum natale, Dijq; patrij
Excipite fauſto me omine, atque proſperi
Fauete cœptis: tuq; patris Regia,
Tua huc enim incitatus à Dijs gratia
Veni, vt, quod æquum faſq; poſtulant patris
A cædibus te iam cruentis expiem:
Ne me precor telluris huius finibus,
Ne qua notatum infamia repellite.
Sed præficite opibus, & paternæ regiæ.
Atque hæc quidem hactenus. Senex, tu muneris
Quod eſt tui, facito vti cures ſedulo.
„ *Nos hinc abimus, temporis oportunitas*
„ *Ne diffluat: ſiquidem hæc operis eſt optima*
„ *Magiſtra cuiuſuis, & incepti artifex.*
ELECTRA. *Hei me miſerrimam.*
PAE. *Lugubria famulæ alicuius audire videor*
Lamenta, Oreſte, regiæ in tectis domus.
ORES. *An'ne miſera eſt Electra? vis parumper hic*
Moremur, vt fletum audiamus lugubrem?
PAE. *Minimè, nihil prius nobis ſit atque Loxij*
Complere

Alludit ad παλιγγενεσίαν Pythagoræ.

Complere iuſſa Apollinis: nam ab his erunt
Sumenda principia: atque ſacro ante omnia
Tumulum parentis irriga libamine:
Non dubiam enim iſta conferent victoriam.

ELECTRA.

Anapæſt. varij generis.

O Lux pura, & fulgida,
Aequiſq; ab humo diſtans vndique
Interuallis æther,
Triſteis ô quoties ſonos,
Nox cùm cæca receſſit,
Audiſti, inq; vicem feris
Sanguinolenta feriri
Pectora palmis!
At quid agam per longa
Tempora noctis domibus poſitus
In ſceleratis conſcius eſt torus
Quantum triſtia cæſi lugeam
Fata parentis: quem Mars atri
Sanguinis auidus Phrygiæ barbara
Per iuga terræ haud perdere valuit,
Huic mea mater, eodem quique nunc
Thalamo cubat Aegiſthus,
Vt ramoſa in ſyluis quercus
Cæditur altis, caput infeſta
Diſſecuere bipenni.
Nec mouet vllum caſus

Querelæ Electræ de interfecto patre.

Hom. Od. λ.

Tam miſerabilis, in me ſolam
Ille redundat. Te pater adeò
Perfidè & inſidioſè
Lugeo cæſum.
Nunquam diri finem gemitus,
Nec lacrymarum faciam,
Dum rutilantia cernam ſydera,
Dum iubar iſtud ſplendidum
Sum viſura diei.
Non aliter, quàm amiſsis pullis,
Daulias ales:
Triſtes fundam gutture cantus,
Vt noti tandem omnibus
Reſonent patrias gemitus ad fores.
O Erebi domus, & Proſerpinæ,
Imprecatio vindictæ. *O terreſtris Mercuri,*
O Dea vindex, voſq; Deorum
Stirpe creatæ Eumenides,
Scelerate facta omnibus in locis,
Quà patet orbis, cernitis omnia.
Quiq; iniuſta cæde necantur,
Aut furtiuo qui cocubitu
Sacri fœdera violant thalami,
Huc properate, auxilium ferte,
Sumite pœnas, illum occidite,
Qui temerauit ſe mei
Cæde parentis.
Dilectum mihi mittite fratrem:

Tantæ

Tantæ ſiquidem pondera molis,
Neque ego immenſum valeo ferre
Sola dolorem.

CHORVS *mulierum indigenarum.*

HEi infandæ filia matris,
Quid continuis miſeram queſtibus
Te ſic conficis?
Sine fine patrem fraudibus impiæ
Implicitum matris Agamemnona, ac
Turpi ploras dextra proditum.
O vtinam iſtius ſtragis auctor
(Si modò fas ſit concipere mihi
Talia votis) pereat peßimè.
ELEC. *Claro ah nate ſtemmate virgines*
Huc noſtros lenire dolores
Solamenq́ malis adferre venitis,
Scio id, ac intelligo, nec me fugit.
At, ſic ſtatui, haud ceſſabo vnquam
Miſeram patris lugere necem.
Quapropter vos edoctæ optimè
Fido in amore rependere gratiam,
Luctibus, ah rogo, ſinite indulgeam.
CHO. *At neque lacrymis, nec precibus tuis* "Ab inuti-
Excire lacu, quo merguntur "litate lu-
Mortali omnes ſorte creati, "ctus.
Tartareo, patrem queas. "
Et qui nunc moderatus eſt,

„ *Si lacrymis, ſi gemitu foueas,*
„ *Creſcet in immenſum dolor.*
„ *Quo te conficies tandem, nec*
Vlla malorum hinc veniet requies.
Quale hoc, quale haud tolerabilium
Exercet te deſiderium?
ELEC. *Senſu caret, ac excors ille eſt,*
Quiſquis nullo funera planctu
Libat mæſta parentum.
Sed mihi mæſta placet auis,
Iouis altifremi nuntia,
Quæ plorans Ityn,
Ingeminat Ityn.
Eheu Niobe miſera
Diuis te immortalibus æquo,
Quæ perpetuis tumulum ſaxeum
Lacrymis irrigas.
CHO. *Non tu ſola hoc carpere luctu*
A ſocietate malorum. *Filia, at immoderatius aliis,*
Quibus eſt tecum hic communis dolor,
Diſcruciare, Chryſothemis
Viuit, & Iphianaſſa.
Occulteq́ dolet Oreſtes ſimul.
ELEC. *O ter Oreſtem felicem, & quater,*
Quem mox aduenientem
Cum pompa atque triumpho celebrem
Excipiet terra Mycenenſium.
Illum ſingulos

Expe-

Expecto in dies.
Dulciq́ue carens fructu prolium,
Innupta infelix etiamnum,
Lacrymisq́ue humens ſemper obambulo,
Omnibus infeſtam malis
Immenſamq́ue viam tero. at ille
Non meminit mei,
Nec beneficia
Secum reputat, vel quæ literis
Ex me didicit?
Quod enim allatum eſt ab eo nuncium
Non vanis plenum rumoribus?
Huc ſemper enim ille venire expetit,
At nunquam animum inducit, vt
Ingrediatur iter ſemel.
CHO. *Sis forti animo filia, fide:*
Magnus Olympum Iuppiter incolit: Ab vltione diuina,
Is videt, & regit omnia:
Illi hanc vehementem iram,
Sæuumq́ue animi committe impetum:
Nec, plus quàm ſatis eſt, fræna odijs „
Laxa, nec prorſum excute pectori. „
Tempus, commodus eſt Deus, „
Mitigat omnia. „
Aliquando expectatus veniet,
Phocydis altricis boum
Qui colit arua,
Agamemnone progenitus.

Ac qui Stygijs imperat oris
Terga premet Deus hoſtium.
ELEC. *Atqui ſine ſpe maxima noſtri*
Portio iam nunc tranſiit æui.
Confectum mihi curis cor ſtupet,
Pereo miſera orbata parentibus,
Nuſquam firmus amicus eſt.
Sortis vt infauſtæ aduena, patrijs
Tractor in ædibus.
Nullius æſtimor aßis.
En, en, veſteis ſordidas,
Vacuisq́; domi aßiſto menſis.
CHO. *De reditu vox nuntia patris*
Triſtis fuit, & non triſtis minus
De ſecretis fama cubilibus.
Aduerſa cùm in illum plaga irruit,
Nil metuentem inflicta ſecuri.
Inuenit fraus hoc ſcelerata
Conſilium, cædisq́; Cupido
Extitit auctor. ſæuam ſæuis
Animis concepit latrocinij formam,
Siue fuit Deus ille,
Seu quiſquam mortalium,
Qui patrare eſt auſus talia.
ELEC. *O lux nobis omnium*
Infeſtißima meritò,
O nox, ô epulæ execrabiles,
Atque nefandæ, horrenda calamitas,

Ah mors atra parentis, gemina
Illata manu: vitam eripuit
Illa quoque mihi. prodidit hoſtibus,
Ac me perdidit.
Sed ſummus qui regnat Olympo
Vltrices Deus illis pœnas
Precor infligat: gloria nulla,
Nulla voluptas mulceat illos,
Talia quando facta patrarunt.
CHO. *Caue ne plura loquaris,*
Nunquid tecum reputas animo,
Quibus è fortunis, in qualia
Turpiter adeò damna incideris?
Plus tibi ſemper cumulas luctuum,
Et paris animo prælia duro.
Non hæc contra debent principes
Peragi iurgijs.
ELE. *Huc me, grauibus compellor malis,*
Grauibus compellor malis
Me conuertere. noui, nec latet
Impetus animi, ac ira meæ:
Aſt immenſis quaſſa doloribus
Non mihi tempero, nec, dum lumine
Perfruar ætheris,
Conſtituam modum.
Nam ex quo, cara mihi progenies,
Ex quo tandem delectabile
Audire vnquam potero verbum?

Ex quo ſapiente opportuna
Sperem noſtris dicta doloribus?
Ah deſiſtite conſolari,
Rogo deſiſtite:
Nam luctus perpetuus
Iſte vocabitur.
Nec ab his vnquam requiem ærumnis
Capiam, lacrymas, vt cernis, ſine
Numero ſemper, & ordine fundam.
CHO. *Atqui mota tui hortor amore,*
Et fida quidem veluti mater,
Aerumnis ne ærumnas cumules.
ELEC. *At noſtri rogo quis modus eſt mali?*
Age nunc, dic mihi, qui ſit honeſtùm
Nullis defunctorum vita
Carpi curis? cuinam hæc homini
Ingenerata eſt feritas vſpiam?
Nil horum laudes moror. Et ſi
Thalamis eſſem iuncta iugalibus,
Haud vnquam vel mandante viro,
Cohibere animus ferret
Mæſti celeres alas fletus.
Meritò functus iſte parentibus
Libatur honos.
Verùm ille quidem vita caſſus
Lumine, ſi in nihilum iam miſer eſt
Morte redactus, neque rurſum illi
Iuſtas ſoluant cædis pœnas,

Effluet

Effluet omnis pudor, & pietas
Homines inter nulla futura eſt.

CHORVS.

Iambici Trimetri.

EGo quidem mea, ſimulq́ etiam tua,
O filia, huc iam gratia me contuli.
Si quid minus fortaſſe rectè dixero,
Tu vince, nos pariter tibi parebimus.
ELEC. *Quod tam impotenti videar animo luctui*
Me dedere, ora, ô feminæ, ſubit pudor.
Sed me huc agit vis, adigit huc neceſſitas,
Ignoſcite, oro, intemperatis queſtibus.
Qui fieri enim queat, vt ſata genere nobili,
Animoq́ prædita generoſo filia,
Paterna damna conſpicans, quæ ego, diem
Seu ſol reducit, ſeu polo nox incubat,
Magis vſque pullulare, quàm marceſcere
Videre cogor, non faciat eadem quæ ego?
Primò quidem quæ enixa me eſt mater, mihi
Vult peſſimè, me odit hoſtilem in modum.
Dein meis in ædibus cæſoribus
Conuiuo patris, ſubditaq́ eis aſpera
Fero imperia: dant vel negant, vt vt lubet,
Quæ poſtulat vitæ vſus, at qualeis putas
Me agere dies, cùm conſidentem patrijs
Video thronis Aegiſthum, amictumq́ inſuper
Quibus indui pater ſolebat veſtibus?

Dijsq́

Dijſq; laribus eo ipſa in loco libamina
Fundentem, vbi trucidauit illum perfidè?
Ac quæ mihi videtur extrema omnium
Petulantia eſt, cùm patris in cubilibus
Video latronem matre cum miſerrima,
Si fas ſit appellare matris nomine,
Hanc, quæ nefando cum hoc homine cubat, & eò
Peruenit impudentiæ, impuriſſimo
Vt ſe ſociet, & execrabili viro.
Non vindicē metuens aliquam Erinnym, at velut
Re laude geſta digna ridet, & patrem
Illo doloſè quo meum necuit die
Sanxit choros, & immolauit hoſtias,
Ac dijs dicauit ſacra tutelaribus
Per ſingulos celebranda menſeis. atque ego hæc,
Infauſta ego, cùm conſpicor, illacrymo,
Per tecta paſſim gemo, miſerrimas fleo
Eſt quædã flere voluptas. Ouid. *Patris epulas mecum tacita: nec enim licet*
Quantum lubet, & animo eſt voluptas, lacrymis
Dolorem acerbum explere, generoſa hæc enim
(Si Dijs placet) mulier mihi procacibus
Huiuſmodi exprobrat ſonis. O impia, &
Inuiſa Dijs, ſoli eſt pater tibi mortuus,
Te præter haud eſt quiſpiam in doloribus.
Malè pereas, nec hiſce te vnquam luctibus
Dij liberent precor inferi: ac huiuſmodi
Effundit in me plena contumelijs.
Atqui auffuturum quando Oreſten ab aliquo

Audit, ſtatim furore percita intonat,
Non tu mihi horum es cauſſa? non tuum eſt opus?
Surreptum Oreſten clanculum ex manibus meis
Nunquid alias miſiſti in oras peßima?
Verùm id tibi confirmo, digna huiuſmodi
Supplicia dependes ſceleribus. talia
Latrat imprudenter: at propè aſtans incitat
Inſignis illam ſponſus, hominum maximè
Sceleratus omnium, impotens, peſtis mera,
Qui non niſi adiutus ope mulierum, fuit
Pugnas inire vnquam auſus vllas. Aſt ego
Deſideratum fruſtra Oreſten hactenus,
His qui malis finem ſtatueret, arbitrans
Huc affuturum miſera pereo funditus.
Moliri enim cùm quippiam volo, illius
Cunctatione ſpes mihi omnes corruunt.
His igitur in tantis malis, ô feminæ
Cariſsimæ, haud facile eſt modeſtè agere mihi,
Aut colere pietatem. Sed in tantis malis
Ad mala patranda me neceßitas agit.
CHO. *At age mihi dic, paulò vt loquamur tutius,*
Aegiſthus eſt'ne nunc domi, an abijt foras?
ELEC. *Ah ne putes ſi eſſet domi, me nunc foras*
Prodire poſſe. Se ille in agros contulit.
CHO. *Liberius igitur mutuis ſermonibus*
Poterimus vti: ſi modò ita ſe res habet.
ELEC. *Diſceßit, ea quæ ſcire poſtulas roga.*
CHO. *De fratre quæro, num affuturum eum putes?*
E. *Di-*

Eò aliquando nimius dolor redigit hominē vt non ſolū humanam ſocietatem, ſed etiā pietatem erga Deos violet.

ELE. *Dicit quidem, atqui verba re non comprobat.*
„ CHO. *Plerumque tardant molienteis ardua.*
EL. *At quando eum ſeruabā ego, tarda haud eram.*
CH. *Bono es animo, qua eſt indole, auxilium feret*
Suis amicis.
ELECTRA. *Credo, ſperoq́, atque ſpe*
Hac deſtituta ſi fuiſſem, haud viuerem.

Producitur hic Chryſothemis, cuius manſueto ingenio opponitur vehemens Electræ anim'

CHO. *Sile, nec adde verbum: eodem patre ſatam,*
Ac matre eadem, iam ſororem conſpicor
Tuam Chryſothemin egredi, ac dextra ſua
Imis ferentem quæ ſacrantur manibus.
CH. *Quas rurſus hîc, ſoror, ante veſtibula domus,*
Edis querelas, atque clamoſos ſonos?
An'ne potuit te temporis longinquitas
Docere, vana haud eſſe vano pectori
Impertienda? ego quæ mihi ſum conſcia,
Id aſſero, rerum ob ſtatum præſentium
Dolore adeò luctuq́, me magno affici,
Vt ſi poteſtas ſuppetat, & animo ſuæ
Reſpondeant vires ſtatim, qualem erga eos
Animum gero, re comprobarem. Sed malis
Nunc inuolutam adeo nefandis vela me
Contrahere oportet, atque ne quid moliar

Vana eſt ſine viribus ira.

Fruſtra, & ſine ictu tela ne vibrem irrita,
Canere, quod te etiam facere ſoror velim.
Quāquā haud quidē ſum ignara, nō quæ nūc ego,
Sed iuſta quæ tu iudicas eſſe omnibus.
At liberè ſi viuere, vt decet, velim,

Prin-

Principibus omnibus modis parendum erit.

ELE. *Graue ac iniquum id eſt, patrem te iam tuum*
Obliuioni tradere, ac huius matris
Curam gerere: nanque huc tua monita redeunt,
Ac dicta ſpectant omnia: nec ex te illa habes:
Mater magiſtra eſt. dein vide vtrum deligas,
Vecors vt æſtimeris, aut compos tui
Cariſſimorum negligens, quæ iam quidem
Paulò antè iactabas. Si adeſſet par tibi
Robur animo, quod erga eos geris odium
Oſtenderes. ſcrutanti at omneis mihi vias,
Quibus nefandam patris vlciſci necem
Queam, adeò nullam fers opem, vt etiam meo
Conatui obſtes, & aliò deflectere
Nitaris? ignauum an metum id non arguit?
Aut igitur à me diſcito, aut tu me doce:
Ab hiſce ſi nunc temperem mihi luctibus,
Quidnam precor lucri feram? nunquid fruor
Vita? ſcio quidem calamitoſa, ſed mihi
Quæ perplacet, modò faciam illis ægrè ita.
Id enim vrit illos, mortuum quòd hunc colam,
Tribuamq́ honores, ſi qua ſit ibi gratia.
At tu quidem præ te odia verbis cùm feras,
Re parricidis cum ſceleſtis victitas.
Ac ſi mihi quis vellet iſta munera
Ferre pretioſa, culta tu quibus nites,
Vt cederem illis, imperare mihi haud queam.
Tibi collocetur menſa diues, affluas

Diſputatio inter duas ſorores de officio. atque hic vt in magnis animi perturbationibus non tã dicta, quàm conſilia refutamus.

Vberrima rerum beata copia:
Dolor modò abſit, quamlibet tenuis mihi
Sat eſt cibi apparatus, haud equidem tuos
Deſidero cultus, quibus neque tu ſoror
Caperere, ſi tibi mens vigeret ſobria.
At omnium cùm nomineris optimi
Patris, bonæq; gnata matris, plurimis
Eo videris eſſe praua nomine,
Cùm mortuum prodas patrem, & amicos tuos.
CHO. *Ne per Deos acerbius quicquam, precor,*
Loquaris ira concita: eſt vtriusque enim
Non paruus in ſermone fructus, ſi quidem
Dictis velis tu illius obſequi, ac tuis
Parêre non recuſet illa hortatibus.
CHRY. *Aſſueta ſum conuitijs huiuſmodi,*
O feminæ, dudum: nec hac de re vlla nunc
Mihi facta mentio fuiſſet, niſi malum,
Magnum aliquod imminere ei audiſsem malum,
Quod lacrymis longis facilè ſtatuet modum.
E. *Quid hoc mali ſit, ede, ſi quod grauius his*
Narraueris, non amplius, crede, obloquar.
C. *Dicam tibi, quod quidem ego ſcio. ſtatutũ id eſt,*
Vt te, niſi his tu fletibus tibi temperes,
Mittãt eũ in locũ, vbi aureũ haud vnquã amplius
Solis iubar poſthac videbis, viuaq;
Incluſa turri opacæ, & hoc exul ſolo,
Tecum calamitates vbi tuas concinas.
Hæc nunc apud te expende, caueq;, in poſterum,
Si quo

Vtilis eſt ſermonum communicatio, modo abſit contentio.

Si quo malo affligare, ne in me conferas
Culpam: ſapere oportunitas nunc poſtulat.
ELE. *Statuere'ne ſic agere mecum, velut ais?*
CHR. *Sic eſt, reuerſus vbi erit Aegiſthus domum.*
E. *Quamprimum itaq; veniat, veniat, hoc ſi velit.*
CH. *Ah quid miſera ais? quos, ſoror, profers ſonos?*
EL. *Maturet huc venire, ſi quid tale nunc*
In me ſtruat.
CHRY. *Satis'ne ſana? ſiccine*
Mori tibi volupe eſt?
ELE. *Vt à vobis procul*
In exilium agar.
CHRY. *Non tuæ curam geris*
Magis anxiam vitæ?
ELE. *Expetenda ſcilicet,*
Ac prorſus admiranda mea vita omnibus.
CHRY. *Talis foret ſi ſapere rectè diſceres.*
EL. *Ne me doce, vt amicis iniqua ſim meis.*
CHRY. *Minimè, ſed vt dominis geras morem tuis.*
ELE. *Tu potius aſſentare, conſentaneum*
Id moribus non eſt meis.
CHRY. *Pulcherrimum eſt* ”
”*Non ruere conſilio malo.* ”
ELEC. *Si ſic opus*
Fuerit, ruam, parentis vlciſcens necem.
CHR. *Ignoſcet iſta, & ſi neglexerimus, pater.*
EL. *Laudanda nequaquam tua hæc oratio eſt.*
CHR. *Non tu mihi parebis, aut conſenties?*

EL. *Id abſit. haud ego ſanæ adeò mentis ſum inops.*
CHRY. *Pergo itaque recta, miſſa qua fui via.*
E. *Sed quo'nam abis, quo'nã ſacra hæc adolẽda fers?*
CHRY. *Libare me ad tumulum patris, mater iubet.*
ELE. *Quid ais? viro'ne huic omnium inuiſiſſimo?*
CHR. *Quem occîdit ipſa, ſic volebas dicere.*
ELE. *A quo facit perſuaſa? cuinam placuit hoc?*
CHR. *Viſis, opinor, noctis huius territa.*
ELEC. *O Dÿ penates nunc opem ferte obſecro.*
CHR. *Quid hinc tibi accreuit animi, aut fiduciæ?*
ELE. *Si ſpectra narres, mox tibi explicauero.*
CHR. *Haud ſcio, quod audiui ego quidem, paulum admodum eſt.*
„ ELE. *Id paululum dic, dicta ſæpe tenuiter*
„ *Fecere labi hominem, atque iam in præceps datum*
„ *Tanquam data rurſus leuauerint manu.*
CHR. *Patrem tuum ac pariter meũ æthereas ferũt*
Emerſum in auras, eſſe conſpectum matri:
Iugalibusq́ denuò iunctum toris.
Eumq́, tecta regiæ vt ſubÿt domus,
Sumptum in manus, quòd viuus ipſe olim ſolet,
Geſtare ſceptrum (nunc ſed Aegiſthus gerit)
Humo illud infixiſſe, moxq́ floridum
Truſiſſe ſummo germen è cacumine,
Tamq́ patulis, res mira, luxurians comis,
Vmbra vniuerſum vt tegeret Archiuûm ſolum.
Sic nanque cognoui ex eo, qui tum adfuit,
In more e- *Ad orientis verſa cùm Phœbi iubar*
rat veteri-

Noctur-

Nocturna ſpectra exponeret. tantum hoc ſcio:
Miſitq́, me huc, viſi metu perterrita.

ELEC. *Per nunc Deos te patrios precor, mihi*
Obtemperes, neu conſilij inopia cadas.
Quòd ſi repudiaueris me, poſtmodum
Tuo huc, ſcio, malo recurres, ac meam
Eblandieris opem. Sed ô cariſſima
Mihi ſoror, ne manibus ea, quæ nunc geris,
Accommodes ſacra tumulo: neque enim id tibi eſt
Fas, nec pium hoſtili à muliere mortuo
Patri profectas ſoluere exequias. ſed aut
Diffunde in auras, aut ſub effoſſa tegas
Profundè arena, ne quid ad tumulum patris
Perueniat, alicubi vt reconditum, velut
Cimelion quoddam: illius potius neci
Seruetur. at, verum quod eſt, ſi expenderis,
Temeraria niſi feminas audacia
Superaret omneis, nunquam eum, quem perfidè
Necauit, exornaret hoc libamine.
Conſidera, ac tecum reuolue, an illius
Accepta ſint futura dona manibus,
Abs qua peremptus indecorè, atque in modum
Truncatus hoſtilem fuit, cœnaq́, ſub
Tempus cruentas balneo abſterſus notas.
Hæc poſſe cædem tu expiare exiſtimas?
Erras. ſed hæc omitte. quin ſectis tuæ,
Meæq́, ſummis partibus ſoror comæ,
Parua hac quidem, verùm tamen qualia habeo,

bus, ſiquid triſte per ſomnium oblatum eſſet, id auertendi mali cauſſa, Soli narrare.

Hos ſquallidos ei capillos offeres,
Atque arte nullo hoc expolitum cingulum.
Proſtrata humi interim, obſecrabis eum, vt velit
Adeſſe nobis beneuolus, contraq; vim
Emergere hoſtilem inferis è ſedibus.
Precare quoque Oreſtes vt adueniat manu
Inſtructiore in hoſtium fortis necem,
In poſterum quò ditioribus his eum
Munuſculis ornemus. Equidem exiſtimo,
Neque hîc opinione fallor, rem hanc ei
Curæ eſſe, quòd eam eiuſmodi iam inſomnijs
Vexauerit: verùm ſoror in his pareas,
Ac da mihi operam, & omnium cariſſimo,
Obſcura qui Stygis loca incolit, patri.
CHO. *Plena pietatis, filia, hæc oratio eſt,*
Monitis ſororis fac pijs obtemperes.
CHRY. *Parebo: nam res iuſta cùm eſt, quid attinet*
Obſiſtere, aut contendere diu? facto opus.
Ac celeritate, nunc ſed aggreſſura cùm
Hæc ſim, ô amicæ, per Deos quæſo mihi
Præſtetis vt ſilentium. nam ſi iſta fors
Reſciſceret alicunde mater, haud meo
Magno ſine malo abiret hæc audacia.

CHORVS.
Anapæſtici Trochaici.

Chorus audita narratione ſomnij bene ominatur rebus Electræ

NI Vates ſim ſtulta,
Atque ſana deſtituta
Mente, non longo pòſt

Tempore

Tempore vindex Iuſtitia aderit,
Meritas inferens
Manibus pœnas. hanc mihi
Spem, hanc fiduciam
Grata præbuere noctis
Spectra. nunquam enim Pelaſgûm
Rex, qui te progenuit,
Immemor futurus horum eſt,
Nec vetus atque bipennis
Anceps, qua miſer ictibus
Occubuit laniatus atrocibus,
Tempore vllo conticebitur.
Multipes aderit, multaq́ manu Vindicta diuina ſubitò malos obruit.
Furioſa, infeſtis abdita
Latebris ferrea Erinnys,
Sanguinolentas, diraſq́ impetet
Atque inauſpicatas
Infandi thalami faces.
Magna quare me tenet ſpes,
Ominaturos ſiniſtrè,
Quicunque his de ſpectris audient,
Accedent in perniciem omnium
Auctores & adiutores
Qui fuere cædis.
Nil, nil veri vatum continent
Reſponſa, nihil Diuûm oracula,
Nec habent vllum ſomnia pondus,
Irrita ſi hæc ſit noctis imago.

O laborioſa
Aurigatio quondam Pelopis,
Ah quàm flebilis huic telluri,
Quàm extitiſti calamitoſa!
Tempore enim ex illo, quo
Sæuo Myrtilus obrutus æquore
Diraſq́ per iniurias
Præceps datus ex aureis
Prouolutus eſt quadrigis,
Semper ærumnæ hanc domum
Flebiles exercuêre.

CLYTAEMNESTRA.
Iambici.

SEcura iam rurſum deorſum obambulas,
Vti video. Aegiſthus enim abeſt, qui te ſolet
Cohibere vbique, ne quam amicis turpiter
Vſquam foras progreſſa inureres notam.
At ille nunc peregrè cùm abeſt, reuerentia
Nulla mei moueris: verùm plurima
Et falſa de me prædicas vulgò, vt malè
Regnum gubernem, & quàm decet, ſim audacior:
Qua contumelia, quibus ſemper probris
Te pariter & tua afficiam: at vnquam nihil
A me ſubortum eſt tibi mali. conuiciis
Excepta, dicta in te regeſſi maledica.
Solus enim in ore perpetuò tibi eſt pater,
Nec præter hunc eſt litium vlla occaſio:
Quòd ille nempe mea necatus eſt manu:

Mea,

Mea, ſcio: nec cur id inficias eam,
Eſt vlla cauſſa. non tamen ego ſola, ſed
Vindex eum Iuſtitia ſuſtulit: cui
Ferris opem, ac obtemperares, ſi modò
Vel mica ſani tibi reliquum animi foret:
Quando parens iſte tuus, vllo quem ſine
Fine, aut modo luges, ſororem olim tuam
Solus Pelaſgûm dedere neci ſuſtinuit,
Diſq́ immolare, non pari mecum iugo
Subactus is, dum gigneret, quo ego fui
Dum eniterer. Sed eſto. tu dic interim
Quamnam ipſe eam immolarit ob cauſſam? inquies
Fortaſſe Graiorum. vnde verò ipſis erat
Ius hoc, meam necare? ſin ob gratiam
Fratris ſui, impune'ne trucidaret meam?
An non & illi gemini erant ſuperſtites
Tum liberi, quos iuſtius fuerat mori
Patre ac eadem matre progenitos, ob hanc
Cùm fuerat inſtituta nauigatio?
Erebum'ne maior cupiditas inceſſerat
Meos vorandi, quàm ſororis liberos?
An filiæ reiecto amore propriæ,
Curam decebat gerere fratris? ſed patris
Stulti ac maleuoli hæc ſigna ſunt clariſſima.
Sic puto quidem ego, licet aliter tu ſentias.
Atque ipſa, quæ fuit perempta, ſi modò
Vox ſuppetat, idem, quod ego, diceret. itaque
Me cædis hauddum pœnitet. Sed ſi tibi

Iphigeniã innuit, de qua extat apud Euripidem Tragœdia.

Q.d. Agamēnon ſua peruerſitate ipſe ſibi exitium acceraſſuit.

Videar fouere cauſſam iniquam, cùm interim
Bene ſentiam, patrem probris, non me impete.
EL. Non nunc, opinor, initium feciſſe me
Dices malè loquendi, ipſa quando exorſa ſis:
Sed, ſi id mihi per te licebit, mortui
Cauſſam parentis, & ſororis agam ſimul.
CL. Permitto. verùm orationem ſi hac tuam
Semper fuiſſet auſpicata formula,
Nunquam moleſta te notaſſem nomine.

Inſignis reſponſio Electræ.

EL. Ais patrem necaſſe te meum: cedo,
Sceleratius iam excogitari quid queat,
Dictu'ue probroſum magis? ſeu iure, ſeu
Iniuria id factum foret? porrò nego

Cauſſam cędis quam in Agamēnonem ipſum Clytęmneſtra conferebat, Electra confertin libidines, & impudicū amorem matris.

Iuſtè interemptum: iſtoc te adegit ad ſcelus
Perſuaſio viri omnium impuriſſimi,
Quicum tibi etiam nunc voluptas viuere eſt.
Venationi deditam roga Artemin,
Quare notis furentibus detenta ſit
Claßis Pelaſgûm in Aulide, aut potius tibi
Ego explicabo: nanque fas exquirere id
Non eſt ab illa. Rumore eſt, patrem meum,
Dum nemore ſe ſacro Dianæ recreat,
Signatum, & arduis vigentem cornibus
Ceruum excitaſſe. dumq; mactaret, aliquod,
Fortaſſe gloriatus inſolentius,
Prorupit in verbum, ob quod irata grauiter
Tenuit Pelaſgas Diua in Aulide copias:
Cæſæq; iuſsit vt loco feræ pater,

Factum

Factum vt fuit, ſuam immolaret filiam.
Nec enim alia ad Troiam patebat, aut domum
Via. Sic diu multumq́ luctans, vix fuit
Tandem huc adactus, victimam vt talem Deæ
Offerret. haud fratris ſui cauſſa, atque ſi
Id, quod tu ais, fratris iuuandi gratia,
Feciſſet, illum auctore te æquum erat mori?
Qua quæſo lege? huiuſmodi leges caue,
Ne dum ſtatuis hominibus, accerſas tibi
Ipſi mala atque pœnitentiam. Si enim
Sit talio referenda, & alter pro altero
Necandus, ipſa iure ſanè æquiſſimo
Nunc morte mulctarêre prima. Sed vide
Fucum ipſa ne facias tibi. Si ſic lubet,
Doce, precor, cur omnium turpiſſimum
Sis auſa moliri ſcelus? cum adultero
Concumbis illo, cuius vſa fuiſti ope
In patre perimendo meo, & nunc liberis
Datis operam, ac pios, & ex pijs ſatos
Exterminas. quo'nam iſta pacto prædicem,
Aut laude digna exiſtimem? fortè inquies,
Certum eſt necem ſic vindicare filiæ.
Turpe id, neque ratione ſubnixum proba,
Alienum id ab honeſtate, cauſſa filiæ
Conglutinare parricidas nuptias.
Sed amplius nihil additura ſum, mea
Cùm adeò haud queas tolerare monita, vt illico
Vbique clames, me matrem conuicijs

Ouid. Metamorphoſis lib. 12. Poſtquam pietate publica cauſſa, Reſque patrem vicit.

Laceſ-

Laceſſere. at potius te ego Dominæ puto,
Quam matris eſſe nuncupandam nomine.
Quæ vitam ago ærumnis refertam, atque miſeris
Doloribus, vexata contumelijs
Semper nouis abs te, ac marito illo tuo.
At ille qui vix per fugam manus tuas
Euaſit, exteris in vrbibus miſer
Infauſtam Oreſtes vitam agit, quem me tui
Nutrire vindicem vſque conqueri ſoles.
Idq́ facerem, mihi crede, ſi vires ferant.
Cauſſamq́ ob hanc nunc me palàm, ſi ſic lubet,
Traduce vt improbam, impudentem, garrulam,
Si iſtis enim natura me ornat dotibus,
Haud facile dicar à tua indole degener.
CHO. *Vt ſpirat iras! iure'ne id, an iniuria,*
Haud video, quis ſit vſpiam qui examinet.
CLY. *Qua ego iſtius ratione commouear, matrem*
Indignè adeò quæ contumelia afficit?
Et virgo, eaq́ ætate. nunquid iam tibi
Videtur vllo ſine pudore, quodlibet
Si res requirat, prompta moliri ſcelus!
EL. *Et nũc quidem me horum pudet, quanquã tibi*
Secus videtur. Sentio multa facere
Me præter id, quod aut mea ætas poſtulat,
Aut conditio: verùm tua maleuolentia,
Tua flagitia violenter huc me protrahunt.
Turpis magiſtra turpibus animum imbuit.
CLY. *O ſingulari os impudentia! an te ego*

Dicta-

Dictaq́; mea, ac mea facta ſic cogunt loqui?
ELE. *Tu dicis, haud ego. abs te opus proficiſcitur,*
Factisq́; nunc verba etiam adaptantur ſua.
CL. *Sed Diua ſic me perdat Artemis, haud tibi,*
Haud cedet impunita tanta temeritas,
Simul ac reuerſus fuerit Aegiſthus domum.
ELE. *En quas in iras proruis? non ſuſtines*
Audire quicquam, cùm loqui permiſeris.
CLYT. *Non me ſines libare Dijs fauſto omine,*
Cùm, quæ volueris, eloqui permiſerim?
EL. *Permitto, mando, ſacra fac: neque enim dehinc*
Quod plura dicam, os increpabis tu meum.
CLY. *Thymiamata omnigenis referta frugibus*
Age hæc, pediſſequa, tolle, quò tandem Deum hunc
Me vt liberet, quibus agitor, terroribus,
Ritè precer, ô protector, ô Phœbe ædium
Tutela, nunc preces ſecretas accipe.
Neque enim inter hic ſermo eſt amicos, nec ſatis
Tutum omnia euulgare, dum hæc præſens adeſt.
Ne forſitan odio incitata priſtino, &
Lingua procace mox per vrbem ſeminet,
Rumorem inutilem. Hæc itaque, quo nunc modo
Concipio, verba dextero audi numine
Quæ nocte geminis conſpicata in ſomnijs
Sum ſpectra ſi ſint ominis Apollo boni,
Fac vera: ſin mali, retorque in hoſtium
Rurſus caput: nec hiſce me opibus, ſi dolo
Id machinabuntur aliqui, exturbarier

Ominoſũ habebant veteres inter ſacrificãdũ aliquid triſte audire ſic apud Virg. li. III. Aeneid. & illud Fauete linguis.

Precatio Clytæmneſtræ ad Apollinem

Vn-

Vnquam ſinas. da vita vt incolumi hac fruar,
Domoſq; ſceptraq; hæc Atridarum regam.
Iucunda amicis vnicè quorum iuuat
Me conſuetudo, ſuperſtitibus etiam
His liberis, quicunque placidè mecum agunt,
Nec vllum, vti decet, negotium exhibent.
Hæc quæſo pronis Phœbe percipe auribus,
Votiſq; clemens hiſce noſtris annue,
Alijſq; quæ nunc non palàm pronuntio,
» *Etiam tacente me. Reor enim te omnia,*
» *Cùm ſis Deus, tenere ad vnguem cognita.*
» *Namq; Ioue qui ſummo creati eſtis, nihil*
» *Mortalium latere vos rerum pòteſt.*
PAE. *O feminæ hoſpites, precor mihi dicite,*
Eſt'ne hæc tyranni regia Aegiſthi domus?
CHO. *Eſt hoſpes ipſa: haud auguratus es malè.*
PAE. *Deinde coniunx illa ne eſt, quam conſpicor?*
Ex vultu enim indoles relucet regia.
CHO. *Ea ipſa: rectè conijcis, præſto hic adeſt.*
PAE. *Regina ſalue: nuntium apporto tibi, &*
Aegiſtho, amico ab homine iucundiſſimum.
Fictum de morte Oreſtis nuntiũ. CLY. *Accipio lætorq; omine. ſed antè expedi*
Quiſnam, hoſpes, huc te miſerit mortalium?
PAE. *Ex Phocide Phanoteus graueis res nuntians.*
C. *Quaſnam hoſpes? ede: nanq; homine à cariſſimo*
Amica præter nil relaturum autumo.
PAE. *Obijt Oreſtes, idq; breuibus aſſero.*
EL. *Hei, hei mihi miseræ, perij hodie funditus.*

C. *Quid*

C. *Quid ais? quid hoſpes ais? caue aurẽ huic præbeas*
PAE. *Obijſſe Oreſten nunc, vt antè, nuntio.*
EL. *Actum eſt, miſerrima perij, nil ſum amplius.*
CLY. *Quin res agis tuas? ſed hoc mihi explica,*
Quo genere fati, finijt vitæ diem?
P. *Atq; hanc quidem ſum miſſus ob cauſſam, vt tibi*
Omnem rem eo, quo eſt geſta, cõmemorem ordine.
Nuper profectus nobilis ad Græciæ
Campos Oreſtes, Delphica ob certamina,
Claros vbi præconis excepit ſonos
Curſum proclamantis pedeſtrem (tum ordine
Quod primum erat certamen) in arenam omnibus
Mirandus, omniumq́; ſplendidiſsimus
Deſcendit, & factis adæquans indolem,
Spatioq́; decurſo auferens victoriam,
Honorem, & ampla eſt conſecutus præmia.
Remq́; vniuerſam vt explicem breuiſsime,
Præſtantia æquè facta robor'ue vllius
Haud me videre memini hominis, atque hoc ſcias,
Quæ præſides pro more promulgauerant
Quinquertia, horum ſolus ille præmia
Victor ferens, beatus atque ab omnibus
Vno ore paſsim prædicatur inclytus.
Cognomine Argiuum quidem, ſed proprio
Paſsim ſalutabant Oreſten nomine:
Patre generoſo, qui potenteis Græciæ
Totius olim exercitus ad Ilium
Duxiſſet Imperator, Atrida ſatum.

„ *Sed hoc quid illi profuit? Deorum enim*
„ *Nocere aliquis vbi ſtatuit, mortalium,*
„ *Quocunque tandem præditus ſit robore,*
„ *Iram cauere numinis nemo queat.*
„ *Nam luce ſubſequente, equeſtribus quæ erat*
Dicata ludis, Phœbi vt ortum erat iubar,
Stipatus aurigarum adeſt celebrium
Magna caterua, quorum Achæus vnus, ex
Lacedæmone alter: duo deinde maximè
Regere Lybes currus periti, atque inter hos
Fuit ille quintus Theſſalos ducens equos:
Flauis ſuperbus ſextus ex Aetolia
Pullis adeſt: at ſeptimus Magneſius:
Octauus albis Aenienſium è ſolo
Ferox equis: nonus ab Athenis numinum
Factis manu: Bœotus ordine decimus
Clauſit cateruam. iamq́ue ſerie vbi ſua
Certaminis per arbitros, vt fortè ſors
Ceciderat, vnuſquiſque nactus erat locum,
Mox æneæ ſigna ſimulac dederant tubæ,
Magno emicantes impetu illi, carcere ac
Statione deſerta ſua, impulſis equis,
Clamoribus feriunt acutis æthera,
Vibrant habenas manibus. alliſi grauem
Dedêre currus ſtrepitum, in aſtra pulueres
Glomerantur, & commixti in vnum omneis ſimul
Aſſiduò equos ſtimulis fatigant acribus.
Alium alius præuortere ſatagit: vnum id eſt

deſcriptio curulis certaminis.

Multæ in hac narratione addũtur circumſtantiæ vt ſermoni ficto maior ſit fides.

Stu-

Studium omnibus, idemq́; ardor: orbitas, rotas,
Ac terga equorum cerneres ſpumantia,
Feſſoſq́; crebro artus anhelitu quati:
Columna at ille hærens ſub extrema mouet,
Agitatq́; currus, deinde habenas dexteri
Laxans equi cohibet ſiniſtrum, & hactenus
Obſtaculo non impeditæ vllo loca
Per conſtituta actæ ferebantur rotæ.
Tandem illius, agris qui aderat Aenienſibus,
Ruptis equi rapiuntur indomiti lupis.
Iam ſeptimum poſtquam reuerſi emenſi erant,
Confecerantq́; curſum, & aduerſis ruunt
Lybica in vehicula frontibus. prima hinc mali
Origo cœpit: hinc alium alius dedit
Præcipitem humi, atque vulnerauit, campus hinc
Naufragio equeſtri, & ſtrage Criſſæus fuit
Paſſim repletus. idq́; Athenienſis vt
Verſutus aurigationis artifex
Conſpexit, orbitam extra equos retrahit ſuos,
Cohibetq́; curſus: illa curriculi quæ erant
Medio in ſpatio, equeſtri quati illo turbine,
Ac fluctibus ſinens. Oreſtes interim
Extremo adhuc hærens loco agitat vltimos
Loris equos, tandem potiri præmijs
Victoriæ certus. qui Athenienſem vbi
Solum relictum ex omnibus vidit, ſtatim
Noto increpans equos ſono, celerrimo
Sequitur gradu: aſſequutus, æquatis diu

Ibat iugis vterque: rurſus alterum
Alter citatis anteuertebat rotis,
Omneis at alios hactenus noxa ſine,
Et integris curſus peregit curribus,
Tandem tamen miſeræ ille ſortis, cùm ſe equus
Reflecteret, læuæ remittens cingulum
Habenæ, in extremam columnam incogitans
Impegit, atque axis media qua voluitur,
Fracta minutim fiſtula, præceps citis
Lapſus quadrigis implicatur funibus.
Vtq; cecidit, diſperſi equi magno impetu
Media ruunt per æquora. id populus videns
Pernicibus miſerum ita curribus excuti,
Plorauit adoleſcentis indignam necem,
Altisq; ſuſpirans ſonis, ob quænam, ait,
Facinora nunc es tanta ſortitus mala?
Prolapſus in humum ſæpe in altum tibias
Iactabat, illum donec aurigæ, inhibito
Vix tandem equorum curſu, humo ſuſtollerent.
Cruore fœdum tabido, atque eum in modum
Affectum, amicorum omnium vt nemo vſpiam
Miſerabile videns corpus vnquam agnoſcere
Potuiſſet. impoſitum igitur ardenti rogo
Statim cremauimus, redactumq; tenuem
In puluerem vrna maximum corpus breui
Incluſimus, quod huc tulêre è Phocide
Lecti viri, vt patrio ſepeliatur ſolo.
Atque hæc quidem ea ſunt, quæ referre debui,

Herodotus refert Tegeæ repertũ Orestis corpus longũ cubitis ſeptem.

Triſtia relatu, ſed videntibus, omnium
Quæcunque ego vnquam viderim, triſtiſsima.
CHO. *Veterum heu video regnum perire funditus,*
Penitusq́; ab ima ſtirpe collabi genus.
CLY. *O Iuppiter! quid hoc ſibi vult? fauſta'ne*
Hæc eſſe dicam? an temperata bonis mala?
Ah quò miſera redacta ſum? cùm proprijs
Seruare vitam cogar in malis meam?
PAE. *Quid ſic meo excruciare, Domina, nuntio?*
CL. *Mirifica res eſt parere: nec quantumlibet* „
Acerba contumelia, aut iniuria „
In propriam excitare prolem odium queat. „
PAE. *Fruſtra igitur, vt videtur, huc nos venimus.*
CL. *Fruſtra? quid ita? fruſtra appuliſti, cùm mihi*
Manifeſta mortis eius indicia adferas.
Qui pars meorum viſcerum, ac animæ meæ,
Procul à meis vberibus, atque à ſedula
Fugiens alumna contulit ſe in exteras
Peregrinus oras: neque mihi vnquam tempore
Conſpectus ex illo fuit, quo ſe hinc miſer
Subduxit, inſuper paternæ me ream
Iam poſtulans cædis, minasq́; addens graues,
Vt nec die, nec nocte ſomno perfrui
Poſſem ſuäui, & imminentis horrido
Perculſa ſemper mortis, & fati metu
Vitam trahebam: at hoc die terroribus
Sum liberata maximis: nec cauſſa iam eſt
Vlla, huius, aut illius vt turber metu.

Exaggeratione plurimorum triſtium obruere ipſa conatur ſτοργὴν maternam.

Cruciatus conſciẽtiæ.

Hæc mecum eodem iuncta tecto, & in meos
Sæpe nimis ingenioſa luctus inuenit
Aliquam doloris perpetuò cauſſam noui,
Merumq́; noſtris ſugit è præcordijs
Sceleſta ſanguinem. Sed hæc audacia
Iam fracta conquieſcet, ac diræ minæ.
ELE. *Miſerrimam me: nunc Oreſta tempus eſt,*
Vt calamitoſam defleam ſortem tuam,
Quòd morte ſublatus adeò miſerabili,
Sæuis adhuc à matre contumelijs
Lacereris. hóccine eſt piæ factum matris?
C. *Tibi haud videtur, vt cũ eo actum, actũ eſt bene.*
ELE. *O Nemeſi, gemitus mortui audi flebileis.*
CL. *Audiuit illa, & precibus annuit meis.*
ELE. *Nunc inſoleſce rebus aucta proſperis.*
CL. *Tuq́; ac Oreſtes iſta iam ſedabitis.*
ELE. *Quieuimus nos, te ſed vt ſedabimus?*
CL. *Magno quidem, hoſpes, dignus hinc es munere,*
Quòd linguam adeò compeſcuiſti garrulam.
PAED. *Diſcedo itaque cùm res bono ſint in ſtatu.*
CL. *Minimè. neque enim honori meo conſulueris,*
Nec eius, à quo miſſus huc es, hoſpitis.
Sed ingredere, & extra ſinas hanc flebili
Lugere voce ſua, & amicorum mala.
Grauis lamentatio. ELE. *Quid mater iſta calamitoſa, triſtia*
Lamenta nunquid edere, atque funera
Ob lacrymoſa filij luctu affici
Vobis videtur? læta ridenſq́; miſerum

Caſum abijt. ô fratrum omnium cariſsime,
Vt morte nunc ſum perdita tua funditus!
Simulq́; ſpem, quæ reliqua mihi adhuc ſupererat,
Ex cordis euulſam intimo tecum ſinu
Procul abſtuliſti: nempe viuum te patris
Aliquando vindicem affuturum, atque miſeræ
Huius tuæ ſororis. at quò gentium
Me conferam? ſum ſola, te nunc ac meo
Orbata patre. ſeruiendum erit mihi,
Obtemperandum nutibus erit hoſtium,
Turbæ ſceleſtæ, ac execrabili, patris
Cæſoribus, quò miſera recidi? in poſterum
Haud amplius conuiuere illis iam mihi
Firmum ac ſtatutum eſt. huicq́; proxima
Portæ loco hoc hærebo. ſic ſterile exigam
Viduata amicis tempus ætatis meæ:
Mucrone ſed tranſadigat aliquis cor mihi,
Id ſi cui ſit ægrè eorum qui è domo
Lamenta fundentem audiunt, dij cælites
Magni vt loco æſtimauero beneficij,
Si morte me multauerint! refertæ enim
Dolore vitæ nulla tangit cupiditas.
CHO. *Vbinam altifremi ſæua Tonantis* Anapęſtici.
Fulmina? lucidus vbinam
Latitat Phœbus? ſi hæc aſpiciunt
Oculis equis, aſperaq́; inhibent
Tela beneuoli?
ELE. *Hei, hei, hei.*

CHO. *Quid lacrymaris filia?*
EL. *Eheu.*
CHO. *Ne nimis altas edito voces.*
EL. *Enecas.*
CHO. *Quî ſic?*
EL. *Dum me ſumere ſpem iubes,*
In grauiores coniјcis animam
Anxietates: concidit, omnis
Diffluxit ſpes, Ditis vt inferi
Nigras illi ſubière ſpecus.
CHO. *Non hæc mordeat animum cura.*
Amphiareus quoque fraude mulierum
Occultatus ſeptis aureis
Sub humo Stygijs.
EL. *Hei, hei.*
CHO. *Imperat vmbris.*
EL. *Eheu:*
CHO. *Meritas ſceleris pœnas*
Illa luit ſui.
EL. *Domita illa fuit?*
CHO. *Punita fuit.*
EL. *Memini, memini,*
Extitit aliquis, cui curæ fuit
Atroceis vlciſci iniurias:
Nemo at noſtris partibus aſsidet.
Nam qui fuerat nobis, abijt
Euanidus, ereptus eſt.
CHO. *Aerumnoſa, ærumnis*

Eriphyle vxor corrupta dono prodidit maritum. Alcmæon filius, idq́ue iuſſu patris vt ait Ouid lib. ix. Metamorph. facto pius & ſceleratus eodem.

Conſli-

Conflictaris grauibus.
EL.Harum ſum, vt quæ maximè,
Gnara, experiens omnium.
Nec enim finis adhuc adeſt:
Sed mihi duri temporis ætas
Luctus aggregat, ex alijs nouas
Cumulat ſemper ſollicitudines.
CHO. *Liquidò conſtant quæcunq; refers.*
EL. Non me fruſtra, quæſo,
Poſthac conſolemini.
CHO. *Quid ais? cur ſolatia reſpuis?*
EL. *Nullum pectoribus ſpes occupat*
In noſtris locum.
Obitu fratris prorſus adempta eſt.
CHO. *Præfixa eſt fato mors omnibus.*
EL. *Qui ſed equeſtri infelix* " A miſerabili genere mortis.
In certamine ſectis
Implicitus ſuccubuit loris.
CHO. *Fortuitum ac improuiſum malũ.*
EL. *Quî non? hoſpes in extera*
Regione abſque mea manu,
CHO. *Hei mihi.*
EL. *Mandatus humo, exequiarum expers,*
Noſtriq; miſer gemitus.
CHRY. *Præ gaudio immemor decori, anhelaq;*
Vt te inuenirem, celeriter moui gradum:
Nam læta porto, atque requiem immenſis, quibus
Es hactenus vexata, calamitatibus.

At vnde tu meis opem inuenias malis,
Quorum medela nulla reſtat vſpiam?
CHR. *Adeſt Oreſtes, id tibi perſuadeas*
Certò adeò, vt oculis conſpicaris me tuis.
ELE. *Satis'ne ſana es miſera? ſiccine nunc iuuat*
Te ludere in vtriuſque noſtrûm miſerÿs?
CHR. *Non per penateis hoc Deos dico ioco,*
Aut contumelia, ſoror, quin ſeriò,
Nobis eum appuliſſe iam tibi nuntio.
E. *Hei, hei mihi, ex quo tandē id edocta es hominū,*
Cuius adeò facilè adhibes verbis fidem?
CHR. *Nil ex alio habeo: ipſa conſpicata ſum*
Signa euidentia, quæ mihi faciunt fidem.
EL. *Quid certi habes infauſta, quo immedicabilem*
Sedes dolorem? qua face, quibus æſtuas,
Soror, ignibus?
CHR. *Quin per Deos vt audias*
Te quæſo, vt vbi perceperis quæ dixero,
Tum ſtulta demum, aut ſeria eſſe iudices.
EL. *Igitur recenſe ſi quidem id tibi volupe eſt.*
CHR. *Quæcunque percepi tibi referam ordine.*
Abs te digreſſa antiquum vt acceſſi ad patris
Tumulum, repletos lacte riuos conſpicor Tumulis mortuorū lac & mulſum ſolet affundi.
Fuſo recens, varÿsq; buſtum floſculis
Quâ quâ patet ſparſum vndiq;. obſtupui videns
Circumq; ſpectans num quis in propinquo ibi
Loco lateret abditus mortalium,
Vbique ſolitudo, vbique ſilentium.

Acce-

Accedo tumulum propius, extremo loco
Pyræ reſectas conſpicor recens comas,
Simulq́; vt aſpexi, illico obtulit animo
Se noſtro Oreſtis omnium cariſsimi
Mortalium conſueta imago: hæcq́; illius
Sum ſuſpicata reditus indicia. itaque
Manu apprehendens nil malè ominata ſum.
Sed læta crebris irrigans lacrymis ſinus,
Et tunc, perinde ac nunc, reor certiſsimum,
A nemine inferias profectas has, niſi
Ab eo, eſſe. nam cui munus hoc mortalium
Te præter, aut me obire quæſo conuenit?
Et me quidem haud feciſſe, neque te etiam ſcio.
Nam qua id queas ratione? cui ne ipſos quidem
Deos precandi gratia hoc à limine
Sine lacrymis pedem mouere liberum eſt.
Quod attinet ad matrem, animus id illius
Qui ſuſtinere poſſet, vt faceret patri?
Ne fortè ſi feciſſet, id poſſet diu
Latère. ſed ſunt hæc Oreſtis ſacra. ſoror,
Forti eſto pectore, non eundem eadem vſque ſors »
Comitatur. inuertit vices rerum Deus. »
Nobis quidem ille infeſtus hactenus fuit,
Sed fauſtus hic fortaſsis illuxit dies,
Fixurus immenſis modum tandem malis.
ELE. *Tædet tuæ, miſeretq́; me dementiæ.*
CHRY. *Quid? verba pariunt tibi mea moleſtiam?*
EL. *Nec quorſum eas, nec ſcis animus vbi ſit tuus.*

CHR. *Quî non ſciam, quod hiſce cōſpexerim oculis?*
EL. *Obijt, miſera: fluxêre, lapſa iam omnia*
Auxilia: in illum haud amplius ſpem colloca.
CHRY. *Heu, ex quo id audiſti cedo mortalium?*
EL. *Ab eo, ſoror, qui, cùm periret, adfuit.*
C. *Vbinam iſte quæſo eſt? mēs mihi attonita ſtupet.*
E. *Ingreſſus eſt lætus domum, & gratus matri.*
CHR. *Hei, cuius hominis illa, quæ tumulo patris*
Affuſa conſpexi modò, libamina?
EL. *Alicuius eſſe ſuſpicor, qui mortui*
Oreſtis hæc monimenta dederit manibus.
CHR. *Heu me miſerrimam, vt ego vano concita*
Præ gaudio, celeriter accurri, tibi
Lætum iſtud allatura nuntium, interim
Ignara quæ in mala deuoluti eſſemus! at
Statim huc vbi me contuli, antiqua video
Florere damna, nouisq; adaucta iam malis.
EL. *Sic res ſe habet: ſed ſi mihi obſequi voles,*
Tanto malorum faſce mox leuabimur.
CHR. *Quid? vis'ne me reſuſcitare mortuos?*
E. *Non hæc volo: nec enim adeò mentis ſum inops.*
CH. *Quid itaq; mandas mea facultas quod ferat?*
EL. *Vt, quod monebo, haud pertimeſcas aggredi.*
CHR. *Si fuerit vtilitas aliqua, non rennuam.*
„ EL. *Nil abſque ſudore geritur feliciter.*
CHR. *Operam tibi nauabo quod vires ferent.*
EL. *Quid perficere decreuerim, nunc accipe.*
Nullam eſſe nobis reliquam amici copiam

Igna-

Ignara non es: Erebus illos abſtulit,
Solæ ſumus relictæ, ac auris quamdiu
Vitalibus fratrem frui certum fuit,
Spes me fouebat magna, tandem vindicem
Venturum eum cædis paternæ. at mortuus
Euanuit: tuq; vna reſtas nunc ſoror,
Cuius opem & auxilium expeto, nec auctore me,
Ac adiutrice pertimeſces effero
Vitam latroni eripere, carnificem puto Atrox conſilium.
Parentis Aegiſthum. nec eſt quod amplius
Arcana te celem. quo enim vſque tandem eris
Lento adeò prædita pectore? an'ne aliqua ſpei
Affulget aura firmioris? cui nihil Tollit omnem ſpem melioris Fortunæ.
Excuſſæ opibus, hæreditateq; patria
Reliquum relictum eſt, quàm facultas lacrymas,
Gemitusq; fundere & dolore perpetim.
Adhæc vt hymenæi atque ſocij expers tori
Longæua virgo conſeneſcas, nec fore
Id tempore vllo exiſtimes, vt quippiam
Horum aſſequaris. nec enim adeò inops conſili eſt
Aegiſthus homo, paſſurus vt tuum, aut meum
Genus ſit vnquam luculentò cum ſuo Artificiosè celat contrarium, quid nempe futurum erat, ſi res non ſucceſsiſſet, ne ſororem quæ plus ſatis timida erat, magis terreret.
Florere damno, aut creſcere. atque tu meis
Parêre ſi non rennues hortatibus,
Primum quidem laudem feres, apud inferos
Quòd nunc qui agunt, patremq; fratremq; pariter
Quibus decet, pietatis officijs colas,
Deinde ſicut ingenua parentibus

Es na-

Es nata liberis, ita quoque in poſterum
Cenſebere, & mox te, ac tuis connubio
» *Iungêre digno. nanque quis mortalium*
» *Non dirigit ad honeſta, & ingenua oculos?*
Quid multa? gloriam, & perenne tibi decus
Mihiq́; conciliabis, his monitis meis
Obtemperans. quis ciuium, quis hoſpitum
Nos intuens, non talibus præconijs
Excipiet? en duas ſorores, quæ domum
Seruare patriam, atque priſtinum in ſtatum
Auſæ fuerunt aſſerere, quæ propriæ
Improuidæ, atque prodigæ vitæ omnibus
Olim beatos rebus hoſteis fortiter
Letho dederunt? has amari ab omnibus,
Has vnicè decet coli: has conuentibus
In publicis, has feſti aguntur dum dies,
Inſigne propter fortitudinis decus,
Honore par eſt affici. hæc, aliaq́; in hanc
Loquetur vnusquiſlibet ſententiam,
Nec mortuas, viuaſq́; gloria deſeret.
Sed pareas mihi nunc ſoror cariſſima,
Opem parenti fer, operam naua fratri,
Præſentibus me pariter, & te eripe malis.
» *Memor interim ante oculos gerens, quàm turpe ſit*
» *Viuere probroſè ſtirpe natas nobili.*
CHO. *In hiſce rebus magna opus prudentia eſt,*
Hæc conſulenti, & audienti eſt vtilis.
Chryſothe. CHR. *Sed antè quàm faceret loquendi exordium,*
O femi-

O feminæ, ſi ſanæ huic vel minima pars
Mentis foret, quod non facit, curam ſuæ
Gereret ſalutis. qua'nam enim fiducia,
Qua freta tandem ſpe, ipſa tam temeraria
Te audacia armas? atque me in periculi
Conſortium vocas? parum te feminam
Expendis eſſe, non virum ſatam, hoſtibus
Longeq́ viribus, & potentia imparem.
Fortuna adhæc, Diuûmq́ numina eis fauent,
Aduerſa quæ nos experimur indies.
Talem quis hominem ſine ſuo grauiſſimo
Damnoq́, & extrema calamitate perimat?
Proſpice etiam atque etiam, ſoror, ne talia
Nobis facinora molientibus mala
Grauiora conciliemus his, ſi fortè quis
Taleis ſonos exaudiens eliminet.
Quid gloriam famamq́ conſequi iuuet,
Finire vitam ſi probroſè cogimur?
Neque graue mortem cenſeo, ſed cùm mori
Deſideras, non poſſe te illud aſſequi.
Proinde te quæſo, priuſquam perditum
Nos atque noſtrum funditus eamus genus,
Iram refrena, animiq́ cohibe hos impetus.
Ego viciſſim dicta nunc abs te omnia
Præſtabo vt indicta maneant, ſecretaq́,
Tu modò animum tuum inſtitue prudentius,
Tandemq́ vireis menſa proprias, nihil
Efficere cùm imbecilla poſſis, cedere

mis ſororē à temerario conſilio abducere niti tur.

Non irritādam eſſe Fortunam.

„Rudis eſt „tyrannus „morte qui pœnam exi git. Seneca in Agam.

Prin-

Principibus & potentioribus incipe.
" CHO. *Obtempera, nihil homini prudentia*
" *Contingere melius aut poteſt magis vtile.*
" EL. *Nihil inopinatum, aut inexpectatum. ego*
Iam te ſciebam ad hunc reiecturam modum,
Quæcunque dicerem. mea at res hæc manu
Solius eſt peragenda: nec ceſſauero,
Donec, quod animus agitat, effecero ſemel.
CHR. *Hei quàm velim, quo tempore necatus fuit*
Pater, te eo fuiſſe robore præditam:
Nunc omnia valida peregiſſes manu.
EL. *Natura eadem erat, mens mihi imbecillior.*
CHR. *Exerce vt illa firma ſemper hæreat.*
EL. Rectè. ſed ipſa monita re non exprimis.
" CHR. *Ferè fit, vt facinus patrans pœnas luat.*
EL. Prudentiam probo tuam, aſt odi metum.
CHR. *Rectè loquentem te libenter audiam.*
EL. Nunquam tuis ſeruire me auribus audies.
CHR. *Hoc facere ſpatium te docebit temporis.*
EL. Diſcede: neq; enim in te vlla ſpes eſt auxili.
CH. *Eſt magna: ſed animus erudiri haud vult tuus*
EL. Abi, ac matri quæ narro, mox refer tuæ.
CHR. *Non ſic tibi malè cupio, vt hoc facere velim.*
EL. Sat video, quantum in dedecus me pertrahas.
CHR. *In dedecus? tuæ ſaluti conſulo.*
EL. Igitur'ne, quæ tu iuſta iudicas, ſequar?
CHR. *Vbi mente fueris ſaniore prædita,*
Noſtrum tuis vtramque conſilijs rege.

E. *Rectè*

EL. *Recte loquentem errare ita & labi graue eſt.* »
CHR. *Morbum probè, quo detineris, exprimis.*
EL. *Iuste'ne videor iſta nunc tibi loqui?*
CHR. *Sed eſt vbi iuſtitia iacturam adferat.* »
EL. *Ego viuere illic nolim, vbi ille mos viget.*
CHR. *Si feceris, poſt laude me dignam feres.*
EL. *Faciam equidem, nihil extimeſcens has minas.*
CHR. *Non veritatem conſili expendens mei?*
EL. *Res nulla conſilio nocentior malo.* »
CHR. *Horum nihil, quæ dico, prorſum intelligis.*
EL. *Non nunc mihi, ſed nuper hæc ſtatuta ſunt.*
CHR. *Abeo igitur, cùm nec mea tibi oratio*
Poſsit probari, nec mihi mores tui.
E. *Sed intrò abi, nunquam futurum eſt amplius,*
Etiam id petente te atque flagitante, tu vt
Sis conſili poſthac mei vnquam particeps.
Vana aucupari, inſignis eſt amentiæ. »
CHR. *Tu ſi tibi videare ſapere rectius,*
Sic ſapito: ſed malis vbi obruta ſenties
Periculum, tum monita laudabis mea.

CHORVS.

Iambici dimetri Anapæſt. Iambici catale-
ctici, & acatalectici.

QVid eſſe dicam, aut ſuſpicer,
Quod vſitatum cernimus
Generi volucrium pio?
Quanta parenteis debileis,
Quibus editæ ſunt, à quibus

A naturali φιλοστοργίᾳ quæ in animalibus cõſpicitur.

Teneræ

Teneræ educatæ nutriant,
Foueantq́ cura? cur eadem
Nos facere non contendimus?
Aſt horriſoni miſſa coruſco
Fulmina cælo ſæua Tonantis,
Cæliq́ colens lucida ſydera
Vindex ſcelerum Iuſtitia, haud diu
Flagitioſa, enormia crimina
Impunita relinquent.
O caſuum humanorum
Fama nuntia ſubitis
Vbique ſubterranea
Plutonis imple regna
Rumoribus, Atridisq́,
Miſerabilem triſtemq́,
Caſum refer. Nam eorum
Afflicta ſæuis feruet
Morbis domus. nec ſciſſa
Poteſt ſorores inter
Concordia coaleſcere.
Electra prodita duris
Quatitur procellis, ſola
Semper peremptum querulæ
In modum luſciniæ
Luget, gemitq́, peremptum
Miſera parentem nullo
Mortis metu perculſa.
Ac vbi geminas perdere poterit

Furias, tum tandem, tum læta erit
Mæſtæ orbari lumine vitæ.
Quiſnam verò ſtemmate nobilis
Florere tantis in malis queat!
Nec bonis ſatus, etiam »
Vitam agens miſerrimam, »
Committet vnquam, vt labe »
Aſpergat vlla honeſtum »
Nominis decus ſui. »
Sæculum vt nunc tu quoque
Incidiſti in flebile,
Bella dum contra geris
Turpitudinem, & dedecus!
Sed per ærumnas graueis
Luctata, laudem vbique
Et gloriam vna voce
Conſequuta es duplicem,
Sapientis optimæq́;
Exornata es titulis. ah,
Vtinam hoſtium tuorum opes
Victrix potentiamq́;,
Quorum premeris imperijs,
Nunc, manuq́; tyrannica,
Conteras: quando quidem
Fatis video te exerceri
Prorſus iniquis, non tamen ideò
De virtutis gradibus deijci,
Sed conſtanti fasq́; piumq́;

Pectore colere.

Prodit Oreſtes, ſed nódum ſe aperit.

OR. *Recte'ne docti, ô feminæ, terimus viam,*
Quam deſtinauimus ingredi? precor edite.
CH. *Quid quæris? aut quid eſt, quod huc diuerteris?*
OR. *Iam quæro dudum Aegiſthi vbi ſit regia.*

Mulctabantur apud Athenienſes & publicis deteſtationibus deuouebantur, qui erranti viam non monſtraſſent.

CHO. *Recte hoſpes huc ades, nec in pœnam incidit,*
Huius tibi quicunque fuit index viæ.
OR. *Quæ veſtrum erit deſideratos nuntios*
Adeſſe nos ei indicare quæ volet?
CHO. *Hæc, nuntiam ſi vis propinquam ſanguine.*
OR. *I mulier, ingreſſa indices è Phocide*
Veniſſe quoſdam, qui loqui Aegiſtho volunt.
EL. *Miſeræ hei mihi. Vos'ne eſtis, argumenta qui*
Sparſæq́ certa fertis indicia necis?
OR. *Haud ſcio equidem quid te angat, aſt ego ſenis*
Strophij rogatu adſum, vt de Oreſte nuntiem.
EL. *Quid id eſt? vt ingẽs me pauor nunc occupat!*
OR. *En quam vides, Oreſtis exiguæ latent*
Relliquiæ in arcta conditæ iſta pyxide.
EL. *Heu me miſerrimam. heu vt oculis conſpicor*
Certis malum euidens, malum hei, præſens malum!
OR. *Si fata deploras Oreſtis, corpus en*
Illius iſto vaſculo abditum iacet.
EL. *Ah per Deos obteſtor, hoſpes, ſi quidem*
Hac tegitur vrna conditus, manibus meis
Contrectem, vt & me pariter, ac meum genus
Hos miſera propter vſque plorem pulueres.
OR. *Eia facite ei copiam quæcunque ſit:*

Nec enim maleuolo prædita animo id expetit:
Sed aut amore mota magno mortui,
Aut vinculo id coniuncta poſcit ſanguinis.
EL. *O hominis omnium mihi cariſſimi*
Triſte monumẽtũ, quod reliquum adhuc eſt ſuper
Seruans Oreſtis. quàm bona ſpe decidi!
Hei quàm parum ſum ſuſpicata hoc te modo
Patrias reuerſurum domos! Nunc te manu
Euanidum, in nihilum redactum fero mea,
Quem ſplendidum ablegaui ego olim clanculum!
Sed Lacheſis vtinam tibi ſcidiſſet ſtamina
Vitæ prius, quàm dextera abreptum hac mea
Procul peregrinas te in oras mitterem,
Feraq́; ſurriperem nece: vt ſic mortuus
Hoc tempore hîc ſaltem iaceres, patrio
Sortitus in tumulo locum. Sed nunc domo
Extorris, alienis profugus in vrbibus
Procul à ſorore ſeparatus, vltimum
Miſerè diem obijſti, nec infauſtæ tuum
Licuit amica corpus abluere manu,
Ac tribuere extremos honores, aut rogo
Miſerabile hoc eripere pondus: ſed tibi
Hoc præſtitit aliena ſeruitium manus,
Paruumq́; pyxide abdidit parua. hei mihi
Quò vllo abſque fructu ſollicita iam euanuit,
Ac, qua ſuaui te labore paruulum
Foui, educatio? neque tu enim tempore
Vllo fuiſti carior matri, ac mihi.

Me præter haud tuæ ſalutis anxia
Tota in domo fuit vlla: nutrix ſola ego,
Semper vocata ſola ſum ſoror tua.
Sed omnia hæc periere lapſa funditus
Qua mortem obiſti luce, tu, tu omnia abiens
Tecum abſtuliſti inſtar procellæ turbidæ:
Periit pater, cauſſa ego tua vitæ meæ
Expers ago, te mors etiam atra ſuſtulit.
Edunt cachinnos hoſtium paßim cohors,
Materq́; , ſed eo non vocanda nomine,
Inſanit immodico repleta gaudio:
Cuius aliquando te affuturum vindicem
Mihi ſæpe de te fama venit nuntia.
Verùm hæc tuus Genius, meusq́; in lacrymas
Et damna ſæuus, noſtra peßum omnia dedit,
Qui nunc loco vultus mihi carißimi
Cineres leueis, vmbramq́; miſit inutilem.
Hei mihi,
O corpus miſerabile.
Hei ter me infelicem atque amplius.
Eheu, eheu.
O dulce fratris, ô mihi caput amabile.
Inauſpicatum ingreſſus iter vt funditus
Me perdidiſti, perdidiſti funditus!
Quæſo ſub hoc me recipe tectum, quæ nihil
Nunc ſum amplius, tecũ ſim ego, qui es quoq; nihil:
Stygios ſimul poſthac habitem apud inferos.
Quàm diu enim apud ſuperos tibi incolumis ſtetit
Vita,

Vita, toleraui bona, malaq́; tecum ſimul.
Et nunc mori expeto, nec hoc abſcedere
Tuo ſepulcro. video enim triſtiſſimis „
Doloribus vacare caſſos lumine. „
CH. *Mortali es, Electra, edita patre, id memineris,*
Mortalis & Oreſtes fuit: caue nimio
Te maceres luctu: omnibus mors imminet. „
ORES. *Eheu quid eloquar? vnde nunc potiſſimum*
Petam loquendi exordium? haud equidem animo
Diutius imperare, nec linguæ queo.
EL. *Quis te dolor habet? hos'ue cur profers ſonos?*
OR. *Tua nunquid, Electra, egregia eſt iſta facies!*
CHO. *Hæc eſt ea ipſa, ſed obruta miſeris malis.*
OR. *Eheu nefandam ter quaterq́; miſeriam.*
EL. *Quid, hoſpes, eſt quòd ſic vicem gemas meam?*
OR. *O corpus impiè atque iniquè perditum.*
E. *Nullius, hoſpes, quàm mea mouent te mala.*
OR. *Heu cælibem, ſortisq́; vitam lugubris!*
E. *Quid eſt, quòd oculis adeò fixis me intuens,*
Præcordijs ſuſpiria trahas intimis?
OR. *Quòd nil malorum adhuc meorum noueram.*
E. *Dic, quo mihi ea percipere cœperis modo?*
OR. *Tantis videns te calamitatibus obrutam.*
E. *Sed minima prorſus è malis vides meis.*
OR. *Quibus, his queas grauioribus quæſo premi?*
E. *Vitam agere cogor cum impijs latronibus.*
OR. *Quibus? quod eſt, quod obiter effaris, malum?*
EL. *Patris mei. quibus etiam neceſſitas*

 Me cogit,

Me cogit, & vis non ferenda vt ſeruiam.
OR. *Sed quis rogo eſt, qui te adigit huc mortalium?*
EL. *Mater vocatur, ſed matrem factis negat.*
OR. *Manuum'ne vi, vel ſquallido vitæ modo?*
EL. *Manibusq́, & immunditie, & omni denique*
Genere malorum.
OR. *Nemo præſto eſt, qui tibi*
Opem ferat, ſæuasq́ cohibeat manus?
E. *Nemo: illũ enĩ, in quo ſpes mihi omnis fixa erat,*
Redactum in atros obtuliſti pulueres.
OR. *O ſortis infelicis vt miſeret tuæ!*
EL. *Tu ſolus adeò iam hoſpes es mortalium,*
Horum malorum quem ſubit miſeratio.
OR. *Et ſolus adſum tua ſimul deflens mala.*
EL. *Cognatus aliqua parte nobis aduenis?*
OR. *Dicam tibi, modò velit ſilentium*
Hæc mulierum præſtare turba beneuolè.
EL. *Nil metue: fidis iſta dices auribus.*
OR. *Vaſculum itaque hoc depone, diſces omnia.*
E. *Ne, per Deos te obteſtor, hoſpes, id iube.*
OR. *Obtempera iuſſis, tibi id fraudi haud erit.*
E. *Nunc ô genas tangens amicas obſecro,*
Ne aufer, quod animo maximè carum eſt meo.
OR. *Nulla ſinam ratione.*
EL. *Me miſerrimam.*
Ah, ſic ſepulcro Oreſta priuabor tuo?
OR. *Bene ominare, non enim iuſtè gemis.*
E. *Quid? mortuum'ne iniuria fratrem gemo?*

OR. *Non*

OR. *Non iure nunc erumpis in taleis ſonos.*
E. *Contemptui ſic fratri habebor mortuo?*
OR. *Contemptui haud es, flere ſed non eſt tuum.*
E. *Quî ſic manu corpus cùm Oreſtis fero mea?*
OR. *Non eſt Oreſtis, ficta tantum oratio eſt.*
E. *Vbinam igitur miſeri ſepulcrum fratris eſt?*
OR. *Nuſquam, quî enim? viui ſepulcrũ nullibi eſt.*
E. *Quid ais precor?*
OR. *Non falſa ſunt quæ nuntio.*
E. *Vita'ne fruitur ille?*
OR. *Opinor, ſiquidem*
Nunc me frui vita vides.
E. *Tu'ne es igitur?*
OR. *En annuli ſignum huius inſpice, patris hic* Hic ſe aperit Oreſtes, indicio annuli.
Fuit mei, an'ne vera narrem, hinc collige.
E. *O fauſta lux, & amabilis.*
OR. *fauſta fateor.*
E. *O vocem! ades'ne?*
OR. *Latius ne inquirito.*
E. *Manibus teneo nunc te meis.*
OR. *In poſterum*
Semper tenebis.
E. *Feminæ ô cariſſimæ,*
Vrbisq́ꝫ ciueis huius, ecce ſubdola
Iam machinatione Oreſten mortuum,
Videtis incolumi rediſſe corpore.
CHO. *Videmus illum, ô filia, ac præ gaudio*
Humentibus mihi lacrymæ genis fluunt.

EL. Præſentia hominis omnium ô cariſſimi,
Optatus ades ô frater, ades, inquam, mihi.
Nunc inuenis, nunc longo ab hinc quæ tempore
Deſideraſti cernere, vides omnia.
OR. *Adſum quidem, ſed adhuc ſilentio eſt opus.*
EL. Cur quæſo?
OR. *Satius tacere eſt, ne quis intus audiat.*
EL. Sed ſic caſta iuuet me ſemper
Artemis, vt nullo poſt hac ego
Tempore in animum potero inducere,
Vt mulierum earum, quæ intus ſunt,
Pondus inutile metuam.
OR. *Sed Mars vide ne feminarum inter gregem*
Lateat alicubi: docta es experientia.
EL. Eheu, ah, ah.
Non obſcurum, quodq́ obliuio
Nullo extinguet tempore,
Nunc refricas malum.
OR. *Memini, ſcioq́: ſed vbi primum occaſio*
Se obtulerit, opportunior erit memoria.
EL. Hei nullum mihi, nullum tempus
Hæc declamare omnibus in locis
Eſſe poteſt inidoneum.
Libertas mihi linguæ
Semper adempta, at nunc vix reddita eſt.
OR. *Fateor quidem: ſeruare porrò adnitere.*
EL. Quidnam aggreſſura?
OR. *Non longa fert colloquia breuitas temporis.*

E. *Quod*

EL. *Quod iam hoc loquendi tempus opportunius?*
Quis'ue reditu lætus tuo compeſcere
Linguam queat? nam præter omnium ſpem, & id
Quod exprimi verbis queat, te conſpicor.
OR. *Me conſpicata es, cùm Deorum numina*
Repetere patrias adegerunt domos.
EL. *Multis ſuperat partibus*
Lætitia iſta priorem.
Si ſuperorum impulſu numinum
Noſtra ad limina tuleris greſſus,
Magnæ id proſperitatis ego loco
Vt ducam, mens præſaga monet.
OR. *Eſt nimij vbi cohibere gaudij impetus*
Verear tui: rurſusq; non metuo minus,
Ne victa gaudio tibi accerſas malum.
EL. *Immenſi hei poſt ſpatium temporis*
Tandem dignatus viam es
Carpere plurimis
Optatam mihi votis,
Inq; meum prodire aſpectum,
Ne me tanto poſthac concuti
Gemitu videas.
OR. *Quid non faciam?*
EL. *Fac ſemper ſim tecum pariter,*
Ac te te coràm intuear.
Ne hanc mihi, quæſo, voluptatem adimas.
OR. *Alios eo vituperarem nomine.*
EL. *Hac igitur in re mihi fidem aſtringis tuam?*

OR. *Aſtringo.*

E. *Vox inexpectata amicæ*

Trochaici. *Nunc meis inſonuit auribus,*
Ira quædam expers ſoni atque muta
Me tenebat, auriumq́ erat
Impeditus vſus. at nunc
Te habeo, ſuaui perfruor tuo
Frater aſpectu. quam amœnitatem
Ne quidem atrociſſimæ
Mihi calamitates memoria
Tempore vllo excutere poterunt.

OR. *Superfluas verborum omitte nænias,*
Neque id refer, qua prædita maleuolentia
Sit mater, Aegiſthus vt opes exhauriat
Domumq́ noſtram, vt impudenter diſſipet,
Profundat, omnia laceret. nam fabulis
Elaberetur temporis oportunitas.
Verùm id, quod in primis facere noſtra intereſt,
Quodq́ hora præſens poſtulat, nunc explica:
Qua ſit via, clam'ne, an gerenda res palàm,
Capitalium vt tandem cachinnos hoſtium
Coërceamus. at ita tu te compares,
Vultumq́ componas, domum ne vbi iam erimus
Ingreſſi vterque, lætiorem, atque ſolita eſt,
Te mater eſſe deprehendat: ſed gemens
Simulabis è verbis capere luctum meis.
Ad ſummum enim fortuna vbi nos proſpera
Rerum cacumen duxerit, tunc liberè

Cau-

Gaudere, tunc ridere licitum erit affatim.
EL. *Mi frater, id quod gratum erit tibi, mihi*
Gratum etiam erit. nam gaudium, quo nunc fruor,
Haud ſumpſit à me exordium, abs te vno integrũ
Proficiſcitur. nec ſi lucrum ingens alicubi
Mihi ſit paratum, facere vel leuiſſimum
Velim, quod ægrè eſſe tibi poſſit, quid aliud
Quàm tam fauenti nunc reluctarer Deo?
Sed ſcis vt intus res ſe habeat: audiſti enim
Aegiſthum abeſſe domo, domi matrem eſſe, quam
Nil, frater, eſt, ne fronte me cernat hilari
Lætaq́, quod vereare: nam vetus odium
Pectori etiamnum fixius inhæret meo,
Adeoq́ vultum quando conſpicio tuum,
Augetur, vt ſtillantibus ſemper genæ,
Præ gaudio, humidæ lacrymis fluant.
Nam quo modo vnquam temperare à lacrymis
Mihi queam, quæ temporis puncto breui
Et mortuum, viuumq́ te conſpexerim?
O caſum inexpectatum! ego ſi nunc patrem
Viuum viderem huc ferre greſſus, id loco
Non ducerem miraculi, nec imaginem
Exiſtimarem falſam, at ipſum cernere
Me firmiter ſtatuerem: ita affeciſti animum
Hodie meum. Proinde cùm hanc emenſus es
Viam, atque nobis redditus, vt animus feret,
Negotium auſpicare. Sola ego dum fui,
Semper animum alterutrum experirier meo

Certum,

Certum, ratumq́; ſedit, aut ſeruare me,
Si poſſem, honeſtè, aut certè honeſtè occumbere.
OR. *Sis tacita: nam crepare règiæ fores*
Ab exeunte aliquo audio.
EL. *Ite intrò hoſpites,*
Noua cũ adferatis, quæ vt domo haud arcẽda ſint,
Sincera nulli ſic quoque ferunt gaudia.

Caſtigat Pædagogus iuuenilem incogitantiam.

PAE. *Fatui ô ter & quater, atq; mentis impotes,*
Tam parua vitæ cura'ne vos veſtræ habet,
Sic nulla vobis pectori mens inſita eſt?
Non iam propinqua hîc imminent pericula,
Sed prorſum in ipſis, atque maximis malis
Verſamini. id nunc tempus eſt reputare. ego his
Cuſtos niſi egiſſem diu excubias locis,
Iam dicta, factaq́; veſtra, quàm ipſi vos, prius
Penetralia ſubiſſent domus. Sed hoc ego,
Ne fieret, operam ſedulo interea dedi.
Longa hac igitur ambage, ſi modò ſapitis,
Verborum omiſſa, vocibusq́; gaudium
Nil præter inſuetum ſonantibus domus
Subite tecta. rem aggredi opportunitas
Hortatur: atque caſibus in huiuſmodi
Periculoſa ſemper eſt cunctatio.
OR. *Quando mihi intrò nũc eundũ eſt, quo in ſtatu*
Reſpoſita noſtra eſt?
PAE. *Optimo: nemo omnium*
Futurus eſt, qui te poterit agnoſcere.
OR. *Iam mortem obiſſe me tuliſti nuntium?*

P. *Apud*

PAE. *Apud hos es vnus inferis ex Manibus.*
OR. *Fama hac'ne gaudent? aut quæ corũ oratio eſt?*
PAE. *Perfectum vbi fuerit negotium, omnia*
Tibi explicabo. at nunc vti res ſunt, bene
Intus ſe habent, etiam ea, quæ non bene ſe habent.
EL. *Quis iſte ſit, frater, precor mihi dicito.*
OR. *Noſti'ne eum?*
EL. *Non, quod ſciam, neque in animum*
Reuocare, quiſnam ſit, queo.
OR. *Ita'ne es immemor,*
In cuius olim tradidiſti me manum?
EL. *In cuius oro? quidnam ais?*
OR. *Per quem fui*
Clàm prouidentia, ſoror, ſeptus tua,
In fertileis tranſmiſſus agros Phocidis.
EL. *Hic ille'ne eſt? tum temporis quem ex omnibus*
Solum, patre necato, fidelem repperi?
OR. *Ille ipſe. quæſo longioribus diem*
Ne conteras ſermonibus.
EL. *Lux omnium*
O fulgidiſſima, tutor ô ſolus domus,
Columenq́; ſtirpis vnicum Agamemnoniæ,
Quî huc appuliſti? tu'ne es ille, plurimis
Qui vindicaſti hunc, atque me ex laboribus?
Cariſſimæ ô manus, in obſequium, ô pedes
Promptiſſimi noſtrum. cedo quæ cauſſa te
Permouit, vt tuum in me amorem tandiu
Celaueris? resq́; mihi iucundiſſimas

Impotens Electræ tã in proſperis, quã aduerſis animus in hac fab. eleganter exprimitur.

Famæ

Famæ inuolucro nubilans triſtiſsimæ
Propè me enecaris? ô pater ſalue. patrem
Coràm intueri iam mihi videor meum.
Salue, atque ſcito peſsimè me odiſſe te
Horæ vnius momento, amaſſeq́ plurimum.
PAE. *Sat eſt, quæ ego geſsi interim abſens dum fui*
Et noctium, & multi dierum circuli
Voluentur, iſta qui tibi, Electra, omnia
Certò indicabunt: Itaque nunc appello vos
Qui aſsiſtitis, moneoq́ tempus rem aggredi
Expoſcere. Clytæmneſtra ſola: in ædibus
Vir nullus eſt: ſi rem trahatis longius,
Id cogitate pariter hîc futurum opus
Cùmq́ his, & aliјs præditis peritia
Maiore, cumq́ dimicare pluribus.
OR. *Res longiores noſtra rennuit moras,*
Pylades amice. proinde quàm celerrimè
Eamus intrò, ſupplicemus patriјs,
Veſtibula quicunque hæc tenent, penatibus.
E. *O Rex Apollo, audi hos propenſis auribus,*
Pariterq́ quas purè tibi fundo preces.
Quæ multa ſæpe, vti mea facultas tulit,
Larga ſacraui munera tibi dextera.
Nunc ô Lycæe Apollo poſtulo, peto,
Tibi ſupplico, cœpti huius vt ſis beneuolus
Adiutor, oſtendas quibus Dij præmiјs
Flagitia conſueuere honorare impia.
Anapæſtici. CHO. *En quò nunc prorumpit gentium*

Dirum

Dirum Mauors proſlans ſanguinem!
En metuendi ſæuiq; canes
Iuſti flagitiorum vindices
Paſsim intima nunc atria obambulant,
Nullo fugiendi pede.
Haud noſtra procul hinc nunc abſunt
Tacitæ ſomnia noctis:
Impendent ceruicibus.
Stygiorum defenſor Manium
Famoſa dolo tecta ingreditur,
Antiquisq; ſcatenteis opibus
Dextera acuta gerens iacula recens
Diro ſperſa cruore
Ad patris conſcendit ſedeis.
Prognatus Maia Mercurius
Inſidioſum meritam illorum
In mortem adducit dolum:
Neque longas nectet moras.
EL. *Iam operi viri incumbunt, amicæ ô feminæ.* Iamb trimetri.
At interim præſtate vos ſilentium.
CHO. *Quî ſic? quid aggrediuntur?*
EL. *Illa quidem ſuo*
Ornat lebetem iam ſepulcro, at imminent
Iſti illius capiti.
CHO. *Sed hoc quidnam ſibi*
Vult, quòd tu adeò proruperis ſubitò foras?
EL. *Fidas vt excubias agam, ne fortè clàm*
Aegiſthus intrò eat reuerſus.

CLY. *Hei,*

CL. *Hei, hei, hei, hei.*
Ah tecta funeſtæ domus,
Orbata amicis, plena ſunt cæſoribus.
EL. *Clamatur intus, nunquid auditus ſonos?*
CHO. *Infanda prorſus audio. horreo metu.*
Occiditur Clytæmneſtra. C. *Miſeræ hei mihi, Aegiſthe, vbi, vbinam tu es gẽ-*
EL. *En quiſpiam rurſus clamat.* *(tium?*
CLYT. *Fili, ô matris,*
Fili, precor, miſerere, quæ te protulit.
E. *Sed illius nec tu miſerta es, nec patris*
Qui genuit illum.
CHO. *O vrbem infauſtam: progeniem ô*
Miſeram, vt fato corruis
Infelix iam momentaneo?
CL. *Ah icta vulnus ſentio.*
E. *Quin duplicem*
Infligeplagam, ſi potes.
CL. *Rurſum hei mihi.*
E. *Aegiſthus vtinam hic adforet dirus ſimul.*
CHO. *Nunc imprecationum*
Aſpicite quæſo effectus.
Tellure viuunt obruti:
Crudelium en latronum
Efflagitant Manes cruorem.
E. *En appropinquant. dextera tepido Dei.*
Stillat cruore Martis, vix poſſum eloqui.
Vt res Oreſta nunc ſe habent?
OR. *Quod attinct*

Quidem

Quidem ad domeſticos: bene omnia, vera ſi
Sunt Delphici reſponſa fatidica Dei.
Iacet miſera perempta: ne metue, amplius
Materna ne adferat tibi vllum dedecus
Iniuria.
CHO. *At ſilete, quæſo, Aegiſthum enim*
Video eminus venientem.
EL. Retro ferte gradum ocyus.
Non iam cernitis aduentare,
Vt gaudio plenus
Graditur ſuburbano reuerſus?
CHO. *Latæ ad limina portæ*
Vos autem celerrimè abripite,
Vt pro votis poſteriora,
Sicut priora, vobis
Omnia cedant.
OR. *Animo ſis bono.*
Ex animi tui
Conficietur res ſententia.
E. *At tu propera.*
OR. *Diſcedo.*
E. *Iam mihi poſt hac cura erit vnica,*
Paucos illius leueiſq́;
Auribus inſtillare ſonos. nam
Non leue res ea momentum adferet,
Vt ventis veluti ſubuectus
Rite ſecundis, ad Iuſtitiæ
Deſcendat certamen.

AE. *Quæ veſtrum, vbi ſint hoſpites, qui è Phocide*
Venêre, nouit? nuntiaſſe eos ferunt
Curuli Oreſten interemptum prælio.
Te interrogo: te, peſſima inquam, interrogo.
Nam quæ tua hactenus fuit ſuperbia,
Audaciaq́ꝫ, quando ille maximè tibi
Curæ fuit ſemper etiam inter ceteros,
Non dubito quin certiſſima queas dicere.
EL. *Scio. qui enim ſim ignara caſus, qui ex meis*
Hominem mihi iam ſuſtulit cariſſimum?
AEG. *Non indicabis mihi, vbinam ſint hoſpites?*
EL. *Sunt intus illi, beneuolam nacti hoſpitam.*
AE. *Quid? certò igitur eum eſſe mortuum aſſerunt?*
EL. *Re ipſa id palàm fecêre, non verbis modò.*
AEG. *Igitur'ne adeſt, videre vti manifeſtè eum*
Etiam ego poſſim?
EL. *Sanè adeſt: ſpectaculum*
Cernes cruentum, & triſte.
AEGI. *Præter vt tuum*
Mihi læta morem nuntias!
EL. *Age gaudio hoc*
Tu fruere, læta ſi videntur hæc tibi.
AEG. *Tace, tace inquam. Regiæ nunc omnibus*
Palatij portæ aperiantur, quotquot &
Argos vetus, quot & Mycenas incolunt,
Vt inter illos fortè ſi quis antea
Vanæ tumore fuerit elatus ſpei,
Huius cadauer intuens nunc mortui,

Os præ-

Os præbeat frænis lubentius meis.
Neque vindicem me nactus atque principem
Altos ſuperbo corde proſlet ſpiritus.
EL. *At hæc, quod ad me pertinet, peracta ſunt:*
Longaq́ tandem ætate iam prudentior
Concedere didici potentioribus.
AE. *O Iuppiter, quod conſpicor ſpectaculum!*
Non caſus hic vacat odio. an'ne iſta Nemeſis
Patrauit? haud dum dicere illud audeo.
Velamen ocyus omne ab oculis tollite,
Cognationi vt lacrymas quoq; dem meas.
OR. *Ipſe remoue: non eſt meum, tuum eſt, tuos,*
Vt qui propinquus ſis, videre & alloqui.
AEG. *Recte mones, obtemperabo. ſed tu abi,*
In ædibus alicubi Clytæmneſtram voca.
OR. *En in propinquo adeſt, alibi eam ne quærito.*
AEG. *Eheu, quid eſt quod video?*
OR. *Quem verere? quis*
Eſt, cuius haud noniſſe vultum te innuis?
Æ. *Quorumnam in hominum media captus incidi*
Iam retia miſer!
OR. *Nondum adhuc te percipis*
Viuum quaſi iam colloqui cum mortuis?
AE. *Intelligo vocem. hei mihi, nemo eſt homo,*
Si non Oreſtes verba nunc mecum facit.
OR. *Nunc tandem es augur optimus, falſus prius.*
AE. *Perij miſer. Sed pauca fas ſit, obſecro,*
Quæ ſuggerit animus mihi, eloqui.

EL. *Nihil,*
Per te Deos, frater, rogo, permiſeris
Vlterius hunc loqui, ſuasq́ extendere, &
,, *Protrahere fabulas. quid enim homini cedo*
,, *Preſſo malis, iamq́ morituro temporis*
,, *Prodeſſe parui acceſsio, aut lucrum queat?*
Celerrimè illum occidito, occiſumq́ mox
Mandes ſepulcro eiuſmodi, quo dignus eſt,
Procul oculis remoue meis: nanque vnicum hoc
Veteribus adferet remedium miſerijs.
OR. *Ocyus abi intrò, nulla nunc de friuolis*
Eſt inſtituta quæſtio ſermonibus.
De capite agetur mox tuo.
AEGIST. *Quid in domum*
Me pertrahis? ſi, quæ aggrederis, honeſta ſunt,
Tenebris'ne opus? cur non palam me interficis?
OR. *Iubere deſine: confer in eum te locum,*
Quo perfide patrem trucidaſti meum,
Vt tu quoque in eodem necem meritam oppetas.
AEG. *Sic comparatum fati video legibus,*
Hæc tecta ſemper vti futura cernant Pelopidûm
Præſentiaq́ mala.
OR. *De tuis vates tibi*
Certiſsimus ego ſum.
AEG. *Non eſt patris tibi quod arteis vendices.*
OR. *Obloquere multa, & interim ducis moras.*
Moue gradum.
AEG. *I præ.*

OR. *Quin*

OR. *Quin tibi præeundum erit.*
AEG. *Num moliturum me fugam vereris?*
OR. *At*
Faxo quidem, ne ſuauiter necem oppetas.
Ictum hunc tibi ſeruato. Verùm vltricibus „
Omneis ſtatim pœnis coërceri æquum erat, „
Et iura ſacris conſtituta legibus „
Qui tranſgredi, aut conuellere audent impiè, „
Vt morte digna plecterentur protinus: „
Non tanta ſcelerum vbique colluuies foret. „
CHO. *O progenies Atrei.*
Vt per ſæua pericula,
Multasq́ ærumnas
Vix audaci hoc, vix tandem impetu
In libertatem te
Aſſeruiſti priſtinam?

FINIS ELECTRAE

ARGVMENTVM OEDIPI TYRANNI, EX GRÆCO ARISTOPHANIS GRAMMATICI.

CELSA Oedipus linquens Corinthi mœnia,
Per contumeliam nothus paſsim patris
Ab omnibuſq; nuncupatus aduena,
Ad Pythij delubra abijt Apollinis,
Quis ipſe, & è quibus foret parentibus
Satus, requiſiturus: anguſta in via
Factum ſibi obuiam patrem Laium inſcius
Trucidat. ac deinde lethali feræ
Sphingis ſoluto ænigmate, inſcius quoque
Contaminauit matris inceſtu toros.
Thebas deinde peſtilens cœpit lues,
Miſſuſq; Delphicas ad aras, vt mali
Aliquod leuamen quæreret Creon, Deus
Sic voce fatidica retulit, illico impiam
Laij expiandam cædem. At huius ſe reum
Poſtquàm Oedipus reſciuit, infelix ſibi
Vtraque noxios manu euulſit oculos.
Materq; laqueo ſtrangulata obijt necem.

Quare Tragœdia hæc Tyrannus inſcripta ſit, ex Græco.

TRAGOEDIA hæc Oedipus Tyrannus ad differentiam alterius Oedipi Colonæi inſcripta eſt. Venuſtè autem Tyranni titulum indidere, vt quæ artificio reliqua omnia Sophoclis poëmata antecellat. Quanquam eodem in argumento à Philocle ſuperatum fuiſſe Dicæarchus tradat. Non deſunt qui initio non inſcriptum fuiſſe Tyrannum, & temporis quo edita hæc Fabula fuit, & rerum ipſarum ratione moti exiſtiment. Errabundũ

enim oculiſque orbatum Oedipum veniſſe Athenas. Ceterùm hoc familiare fuit poſt Homerum Poëtis Reges omneis, qui ante excidium Troiæ floruerunt, Tyrannos appellare. Sero enim hoc nomen ad Græcos tranſlatū fuit, circaque tempora Archilochi, vt auctor eſt Hippias Sophiſta. Homerus immaniſsimum omnium Echetum regem vocat, non tyrannum, εἰς ἔχετον βασιλῆα βροτῶν δηλήμονα. Porro tyrannum à Tyrrhenis dictum volunt, quos latrocinijs infames fuiſſe conſtat. Alij à Tyro ciuitate. Etymologia autem nominis οἱονεὶ τύρων τοὺς λαοὺς καὶ ἀνίας ἐπιφέρων, καὶ τυρεύων δόλους κατὰ τῶν ὑπ' αὐτόν. hoc eſt, cogens populum & moleſtè vexans, doloſque ſtruens ſubditis. Quod autem recens nomen ſit, extra controuerſiam eſt. neque enim Homerus, neque Heſiodus, neque alius veterum quiſquā tyranni vocabulū in ſcriptis ſuis vſurpāt. Ariſtoteles in Cumæorū republica tyrannos ait, initio αἰσυμνήτας dictos. honeſtius enim hoc melioriſque ominis vocabulum erat. Ὀδυσ. Σ.

Oedipum Sophocles in quo boni principis imaginem repreſentat, ſollicitum fingit, rebuſque ſubditorum ſuorum aduerſis, æquè aut potius plus quàm ſuis angi, omniſque planè ſtudio diligentiaque, vt è malis eximantur, conniti, vti ipſe ait:

Graui quidem malo
Iacetis implicati. at ægritudinem
Hanc nemo veſtrum eſt æquè qui, vt ego, ſentiat.
Namque omnium veſtrum dolor redundat huc,
Omnis me in vnum confluit, me ille, me
Excruciat, & neminem alium. Animus meus
Vrbiſq;, veſtramque & meam ſimul gemit
Vicem. nec alto ceu ſopore me obrutum
Nunc excitatis, quàm mœſtis mihi genæ
Sæpe lacrymis manauerint, quàm omneis vias
Sim perſecutus cogitationibus
Parteis in omneis diſtrahens variè animum,
Teſteis mihi vos eſtis ipſi, &c.

Atque ille vir tantus tam multis & horrendis ſceleribus inuoluitur: patris cæde, matriſque nefario concubitu, ſed inſcius & imprudens ſe contaminat. Elegans autem hic eſt collatio vitæ priuatæ, quæ tamen cum dignitate coniuncta eſt, cum regno, quàm collationem Creon ad diluendam affectati regni accuſationem proponit.

PERSONAE FABVLAE.

OEDIPVS.

SENEX, Iouis Sacerdos.

CREON.

CHORVS, ex ſenibus Thebanis.

TEIRESIAS.

IOCASTE.

NVNTIVS.

MINISTER Polybi.

ALIVS NVNTIVS.

Præfatur Oedipus.

SOPHO-

SOPHOCLIS
OEDIPVS TYRANNVS.

Iambici Trimetri.

PRAEFATVR OEDIPVS.

Per Oedipum repręſentat Sophocles bonum principē, qui erga ſubditos ſuos eſt paterna beneuolentia.

O Stirps *noua, veteriſq́ alumna Agenoris,*
Quid eſt, quod iſtis conſidere vos locis
Nunc video, ſupplicibus reuinctos frondibus
Caput? vrbſq́ odoriferis repleta vaporibus,
Hymnis ſimul gemituq́ triſti perſonat?
Quorum quidem cauſſam ex relatu diſcere
Aliorum iniquum iudicans, huc prodij
Ipſe, omnium per ora celebris Oedipus.
At tu ſenex, ante hos te enim par eſt loqui,
Effare, quænam cauſſa vos commouit, vt
Hoc in loco conſederitis, vtrum metu
Perterriti, an aliquo malo afflicti: nihil
Veſtra mihi ſalute potius erit, opem
Preſtabo. nam conſeſſus hic miſerabilis
Niſi me moueret, ferreo eſſem pectore.
SACERDOS. *O columen, ô patriæq́ præſidiū meæ,*
Vides ad aras qualis aſsideat tuas,
Quamq́ numeroſa turba, quorum alij quidem
Infirmiores ſunt, quam vt hinc volent procul,
Alij ſenecta, annisq́ tardi ſacrifici:
Ego ſacerdos ſum Iouis: lectorum at hæc
Iuuenum eſt caterua: quodq́ reliquum eſt ciuium,

Thebis iuxta Iſmenũ fluuium traditur fuiſſe Apollinis templum.

Sertis reuinctum tempora, gemina palladis
Vbi patent delubra, fatidicaſq́ʒ vbi
Iſmenus aras lambit, in foro ſedet.
Nanque vrbs, vt aſpicis ipſe coràm, ingentibus
Quaſſata fluctibus, caput lethalibus
Merſum procellis, tollere amplius haud poteſt.
Corrupta paßim fertilis periit ſeges,
Ipſa ſterilis tellus, gregeſq́ʒ, armentaq́ʒ,
Per herbida occubuere paſcua, feminæ
Fraudant abortiuis maritos fœtibus.
Quid multa? per totam ignifer Deus hic lue
Teterrima graſſatur vrbem, iam domus
Cadmea vacuata iacet, aßiduis niger
Diteſcit Erebus queſtibus. Proinde ego
Hiq́ʒ pueri, non te quidem æquantes Diis,
Aras ad haſce conſidemus ſupplices:
Sed calamitas ſi miſſa cælo qua ingruat,
Ad læſa concilianda Diuûm numina,
Inter homines exiſtimamus maximum.
Aduentu vt hanc vrbem tuo, à nefario
Nuper tributo, noxiiſq́ʒ faucibus
Vatis cruentæ vindicaſti ſponte, nec
Admonitus, aut rogatus à nobis, ope
Diuina id effeciße, lapſis & perditis
Dediſſe vitam diceris: ita nunc quoque, ô
Fortißimum Oedipi caput, miſeros iuua, id
Omnes precamur genibus allapſi tuis.
Siue monitus ſacris Deorum ſortibus,

Aliun-

Aliundéue eruditus, opportuna nunc
Tantisper auxilia malis. omnes ferè „ Prudentia duce, comite Fortuna.
Prudentium cònſilia ſucceſſus regunt, „
Mutantq́; triſtes, cùm ingruunt, rerum exitus. „
Age optimè ô mortalium, vrbem recrea,
Ac priſtinum afflictam in decus rurſum erige.
Agedum, ac memineris tibi cauendum eſſe vnicè,
Ne, cùm egregia priora propter facinora,
Hæc terra ſeruatorem, & vnicum ſuæ
Columen ſalutis tempore hoc te nuncupat,
Magna iſtius pars laudis obteratur, aut
Obliuione deleatur protinus,
Abs te prius ſi reſtituti, ac ceu manu
Data leuati, corruamus denuo.
Sed nunc mala hæc depelle, remq́; publicam
Prudentia muni tua, felicibus
Vt hanc in vrbem tum auibus omnia proſpera,
Omniaq́; fauſta contuliſti, nunc quoque
Te præſta eundem: nanq́; ſi regioni huic,
Vt imperas hoc tempore, ita tu in poſterum
Etiam imperabis, ſtrennuis certè viris
Repletam eam, quam regere vacuam eſt pulchrius.
Quis arcis, aut nauis ſit vſus, nuda ſi, „
Vacuaq́; defenſoribus careat ſuis? „
OED. *Miſerabiles ô pueri, vt haud ignota, ſed*
Notiſſima penitùs huc precatum ſupplices
Adeſtis, id ſcio, graui quidem malo Imago verè boni principis.
Iacetis implicati. at ægritudinem

Hanc

Hanc nemo veſtrum eſt, æquè qui, vt ego, ſentiat,
Namq; omnium veſtrum dolor redundat huc,
Omnis me in vnum confluit, me ille, me
Excruciat, & neminem alium. Animus meus
Vrbisq;, veſtramq́;, & meam ſimul gemit
Vicem, nec alto ceu ſopore me obrutum
Nunc excitatis. Quàm mihi mæſtis genæ
Sæpe lacrymis manauerint, quàm omneis vias
Sim perſequutus cogitationibus,
Parteis in omneis diſtrahens variè animum,
Teſtes mihi vos eſtis ipſi. Tandem ego
Quàm exiſtimaui calamitatum harum vnicam
Eſſe medicinam poſſe, eam ſum expertus, ac
Deus extre mum refu gium. *Menetio Creon ſatus affinis meus,*
Ad Pithyci eſt delubra miſſus Apollinis,
Vt expiandam ad hanc luem quid dicto opus,
Facto'ue erit, ſcitetur, & dies ad calculum
Cùm reuoco, quibus abſens fuit, moleſtum id eſt,
Facitq́; iniquè præſtituti temporis
Poſt terminos redire differens, vbi
Fuerit reuerſus, improbus ego ſim, niſi,
Quæcunque iuſſerit Deus, compleuero.
SAC. *Rectè quidem iſta tu loquutus es. ſed hi*
Nunc aduenire Creonta iuuenes nuntiant.
OED. *O Rex Apollo, vtinam iſte nobis ſidere*
Interpres Græcus notat ſolitos coronatos redire qui læta reſpō *Tā proſpero adueniat, quā hilare nunc fronte adeſt*
SAC. *Sed, vt videtur, lætus eſt, alioqui enim*
Nunquam virente cingeret lauro comas.
OE. *Mox*

OED. *Mox reſciemus. propè enim adeſt, audire nos*
Vt poßit, ô affinis, ô rex, ô Sate
Menetio Creon, quid intonſi ferunt
Sortes Dei, quid nuntij apportas mihi?
CR. *Nihil ſiniſtri. nanque ea etiam grauia quæ* „
Feruntur, atque infauſta, ſi quis ordine, „
Viaq́ recta perſequatur, leuia mox „
Reddi, atque meliorem in ſtatum redigi queunt. „
OE. *Quod hoc genus ſermonis eſt? neq; enī aut metū*
Concipere verbo ex hoc queo, aut fiduciam.
CR. *Si me palàm vis eloqui his præſentibus,*
Equidem paratus ſum. at potius intus placet.
OE. *Palàm eloquitor. iſtorum enim cauſſa magis*
Laboro, quàm vitæ ob ſalutem propriæ.
CR. *Edam itaque qualia ſunt Deus quæ rettulit.*
Dilucido explicuit Apollo oraculo,
Piaculum, hæc quod terra nutriuit diu,
Procul vltimas abigendum in oras protinus,
Neque ſcelus immedicabile ferendum amplius.
OE. *Quanam expiatione? quale genus mali eſt?*
CR. *Vt aut in exilium abigamus, vel alia*
Cædem eluamus cæde. nanque ſanguis hic
Tantis procellis ciuitatem concutit.
OE. *Cuiuſnam hominis Apollo cædem prædicat?*
CR. *Terræ huius olim Laïus princeps fuit,*
Priuſquam habenas tu vrbis huius ſumeres.
OE. *Audire memini. nunquam enim videre eum*
Mihi contigit.

ſa ab oraculis referebant.
Sic cū res aduerſę res vrgent maximi etiā humilioribus blandiuntur.

Mors

CR. *Mors illum acerba ſuſtulit,*
Oedipe, ac voce manifeſta nunc Deus,
Supplicia vt auctores luant cædis, iubet.
OED. *Vbi gentium ſunt illi? vbinam criminis*
Veſtigia antiqui adeo, deprendi queant?
CR. *Regione in hac, nihil eſt, quod inuenirier*
Quærendo non queat, facillime velut
Elabitur manu, quod eſt neglectui.
OED. *Verùm domi'ne Laïus, an ruri alicubi,*
Regione'ue in alia, peremptus occidit?
CR. *Peregre profectus, vt Deorum oracula*
Conſuleret, amplius domum haud retulit gradum.
OED. *Nullus'ne nuncius, aut itineris adfuit*
Comes aliquis, res geſta vti eſt, inquirere
Ex quo queamus?
CR. *Omnibus ſimul dies*
Exitium ea attulit, vnus in fugam metu
Conuerſus, euaſit, nihil eorum ille quæ
Tum perpetrata fuère certò, vnum niſi,
Narrare potuit, auidè ea inquirentibus.
OED. *Cuiuſmodi id fuit? exigua enim vbi ſpei*
Affulget aura, plurima ex vno reor
Reſcire nos poſſe.
CR. *A latronum copijs*
Facto impetu oppreſſum refert, non vnius
Dextra necatum.
OED. *Sed latrones, quomodo,*
Lucri niſi ſint incitati ſpe improba,

Id verum non eſſe mox indicabitur. ſed timidorũ morem au

In tam

In tam nefandam ſunt progreſſi audaciam?
CR. *Talis tum erat ſuſpicio, verùm Laij*
Ita interempti nullus vltor extitit.
OED. *Quænam, obſecro, eſſe cauſſa tanta potuit, vt*
Labente regno, latior non habita ſit
Vſquam vlla de hac re gentium inquiſitio?
CR. *Perplexa Sphingis compulêre ænigmata*
Miſſis vt incertis, ea ante pedes quæ erant,
Præſentia inſpiceremus.
OED. *Aſt ab initio*
Rem rurſus omnem repeto. meritò hercle mihi
Apollo, meritò tu videris mortuo
Pro Rege diligentiam hanc ſumpſiſſe. quin
Etiam ego, quod potero, feram auxilium. ac Dei,
Huiusq́; terræ me exhibebo vindicem.
Nec enim tam amicis hæc remotioribus,
Quàm ipſi mihi præſtabitur opera, ſi modò
Sic diſſipari noxia hæc lues queat.
Qua enim peremit illum, eadem in me quoque
Irruere poſſit dextera. itaque ſtatuo me
Mihi ferre opem, dum ei opitulor. ſed ocyus
Ex hiſce vos pueri proripite ſedibus,
Simulq́; ramos auferentes ſupplices,
Populum aliquis Cadmeum, in hunc vti locum
Conueniat, euocet, omnia experirier
Certum eſt. beati enim vſque vel florebimus,
Peſſum'ue dabimur obruti, Deo auſpice.
SA. *Surgamus itaq́;: nanq́; ob hanc, quã narrat hic,*
Rem huc

ctor exprimit, qui pericula exaggerãt fugiſſe, ne præ metu, ſed pulſi vi exiſtimentur.

Rem huc venimus: curabit ille bene omnia,
Deum precor, qui oraculum iſtud edidit,
Nos ſeruet, & tanti medela ſit mali.

CHORVS *Senum Thebanorum.*
Anapæſtici varij generis.

O Suauiloquum Iouis oraculum
Quale huc tandem Delphicis
E templis radiantibus auro
Splendentes veniſti Thebas?
Trepido conſternata pauore
Mens ſtupet, anxio
Concutior metu.
Precationes ad Deos. *O qui difficiles fugas*
Morbos Delie Pæan,
Toto te colo pectore,
Quæ noua nunc mihi, quæ venturo
Reſponſa edes tempore?
Dic age nunc ô aureæ
Gnata ſpei, fama immortalis,
Primam te inuoco, ſupremo Ioue
Progenita Minerua, ſororq́ue tua,
Latiq́ue patrona Artemis orbis,
Quæ celebri colere loco, quâ fori
Thebani patet ambitus:
Phœbumq́ue procul iaculantem inuoco:
Tres vos nunc mihi adeſte:
Et fera procul hinc amolimini
Funera, cùm quæ antè infeſtabant

Clade

Clade tetra vrbem, flammas
Eieciſtis noxias.
Nunc quoque adeſte Dij, qui cernitis
Omnia, nam innumeris premor vndique,
Sæuisq; exagitor malis.
Totus morbo affligitur
Populus, nec mihi opem vnde petam nunc,
Aut conſilium, ſuppetit vſpiam.
Nil tellus producit, fertilis olim,
Nec partus cruciatibus
Femina ſufficit.
Haud aliter quàm præpete penna
Liquidas ſcindunt auras auium
Denſata agmina:
Sic alium aſpicias ſuper alium,
Rapidoq; ocyus igne,
Triſtia ferri ad littora Ditis.
Aſt innumera ex vrbe
Quæ cadit, indefleta per agros
Paſsim turba iacet, mixtæq;
Canis matribus teneræ coniuges,
Altæ vbi ripis aræ inſurgunt.
Aliæ hic, aliæ illic mala ſupplices
Triſtia lugent.
Iteratur Pæan, ſingultibus
Vox gemituq; interrupta crebro
Conſonat. His nos exime cladibus
O Iouis aurea filia.

Cõmemoratio malorum, quibus premebatur ciuitas.

P *Ac qui*

Ac qui nunc ſine ſcuto, ac armis,
Diris me conſumit flammis,
Pernicioſum Martem fautrix
Nobis, impia vertere terga
Compelle, eq́; hac terra extermina,
Siue in magni thalamos
Amphitrites, ſiue in Thracij
Scopulos æquoris.
Quod enim intactum nox reliquit,
Veniens abripit hoc dies.
Hunc tu flammiuomas vibrans faces
Perde triſulco fulmine Iupiter.
O Rex Lyciæ tu quoque tendito
Auratos neruos, ac certas
In opem noſtram fige ſagittas.
Vtinam igniferas excitet
Lampadas Artemis,
Lyciorum quibus errat per
Culmina montium, & aurea
Qui redimitus tempora mitra
Nomen idem cum terra hac ferre
Gaudes. Euïe Bacche atque comes
Vnice Mænadum,
Huc ades ardenti face noxium hunc,
Infamemq́; inter Deos
Conficito Deum.
OEDIPVS. *Intelligo tua vota. dictis at meis*
Eſſe audiens ſi volueris, & operi ſimul,

Vt pul-

Vt pullulaſcens auferatur calamitas,
Manum admouere, auxilia certa ſpondeo,
Luiſq; tam diræ leuamen. Ego quidem,
Qui vt cædis expers, ſic neq; antehac ne mali
Famæ quidem huius tam nefandi particeps,
Quid ſentiam eloquar. neque adeò diutini
Obliuione temporis penè obruta
Inquirerem in facinora, certa iam niſi
Indicia deprendiſſem. Itaque cùm ciuium
In numero ego quoq; ſim, omnibus iam ciuibus
In vniuerſum, quiſquis Labdaco ſatum
Interfici conſpexit, auctorem mihi
Vt cædis illico indicet; nunc impero.
At ſi reus metuat fateri crimen, hic,
Ad ſe quod attinet, timere deſinat,
Nil feret acerbi, quam quod hoc exul ſolo
Aeuum alibi ſaluus tranſiget, nec exterus
Si crimen hoc commiſit, id celabitis.
Cum præmio à me referet index gratiam.
At veſtri, amicorum'ue perterriti metu
Tacere ſi putabitis conſultius,
Quid facere ſtatuerim, vniuerſi attendite:
Quicunq; noſtris non parere iuſſibus
Redarguetur; hunc veto quà terra, quæ
Sceptris, & imperio meo regitur, patet,
Ne quis vel hoſpitio, vel alloquio iuuet. Oedipus ipſe ſe execrationibus ignarus inuoluit.
Siue ira precibus mollienda cælitum,
Seu vota Diuis immolanda victima,

Commune ne quis quid cum eo, aut commercij
Quicquam gerat, nec ad abluendas ſuppetat
Latex manus, ſed quiſque ab ædibus ſuis
Tanquam piaculum, & ſcelus procul arceat,
Sic Pythicæ iuſſère ſortes. Mei igitur
Eſſe offici arbitror, hoc modo pro Manibus
Cæſi viri pugnare, proq́; ipſo Deo.
Dirisq́; deuoueo omnibus ſceleris reum,
Seu ſolus hoc patrauit, ope ſeu plurium
Adiutus, vt malus malè, ac rerum omnium
Expers, inopsq́; tranſigat miſerabilem
Vitam. Sed & ſi familia quiſquam è mea
Reus hîc agatur, qui ædibus me conſcio
Latet meis, ijſdem & ipſius caput
Subdatur execrationibus precor.
Vos autem, vti edicto audientes hoc meo
Vos præbeatis, religione omneis ſimul
Obſtringo, meq́; ipſum, mea cauſſa, Dei,
Huiusq́; terræ, quæ ſterilitate impiè
Corrupta, nulla nos iuuat fruge. at neque
Vos quidem, etiamſi hæc abſque nutu ac numinũ
Gererentur impulſu, ſcelus relinquere
Inexpiatum par erat, rege optimo
Nefariè, impièq́; cæſo, induſtria,
Omniq́; diligentia perquirere
Decebat auctorem, id ego nunc accingor, vt
Qui ſceptra regni ea teneo, quæ ipſe ante me
Obtinuit, ac ſocij relictam coniugem

Partem

Partem in tori aſciui creandis liberis:
Communiumq́; prolium ſi liberos
Liquiſſet infelix ſuperſtites, pater
Communis extitiſſem. iniqua at in caput
Poſtquam ipſius Fortuna ſæuijt, pro eo,
Non aliter ac pro patre contendam meo:
Nihilq́; inexpertum relinquam, quò queat
Tandem auctor huius cædis inuenirier.
Id Labdaco ſato, atque Polydoro, & etiam
Cadmo, atque veteri Agenori præſtabitur.
At qui exequi iſta renuerint, Deos precor,
Ne culta tellus vnquam ijs fruges ferat,
Nec feminæ proles, acerba hac concidant
Tacti lue, aut acerbiore, ſi vlla ſit,
Moriantur exagitati: at alijs ciuibus,
Quibus hæc placent, vti adiutrix iuſtitia eis,
Alijq́; Diui ſemper adſint propitij.
CHO. *Vt execrationibus me nunc tuis*
Rex ſubdidiſti, ita eloquar, me nec reum
Huiuſce cædis eſſe, nec, qui fecerit,
Monſtrare poſſe. Sed optimè ipſo ab Apolline,
Qui propoſuit, hæc quæſtio explicabitur.
OED. *Rectè quidem tu ais. Sed adigere huc Deos,*
Si non velint, mortalium nemo queat.
CH. *Proferā aliud, quod nūc mihi in mentē venit.*
OED. *Vel tertium, ſi in promptu habes, ne tacueris.*
CHO. *Deos vt inter Apollo, Teireſias ita*
Fatidica in hominibus arte præſtat, ex eo

Quæ ſcire Rex deſideras, intelliges.
OE. *Nec hoc quidē à me præteritū: etenim iā duos,*
Creonte ſic ſuadente, miſi nuntios,
Mirorq́, quæ ſit cauſſa, cur tam abſit diu.
CHO *Sed rumor alius iam refrixit, & eſt vetus.*
OED. *Quiſnam? ede. rumorem licet leuiſſimum*
Perpendere omnem, examinareq́, ſoleo.
CHO. *Fama eſt in itinere interemptum ab obuijs.*
OED. *Audiui id etiam ego, ſed interimi qui eum*
Conſpexit, haud dum apparuit.
CHO. *Sed ſi qua pars*
Animum illius minima timoris occupat,
Mox iſta vbi intellexerit, tam atrocibus
Subdi cauebit execrationibus.
OED. *Qui ſcelera perpetrare non timet, minus*
Multò timebit verba.
CHO. *Controuerſiam en,*
Qui hanc diſcutiet, adducitur vates ſacer,
Deoq́, plenus, cui datum eſt inter homines
Soli latentem veritatem pandere.
OED. *O qui intima animi cogitata perſpicis*
Teireſia, qui abdita quæq́, quæ ſuperos apud,
Quæ apud inferos Manes geruntur, nota habes.
Vrbs quàm graui laboret afflicta lue tu,
Etſi orbus oculis non vides, noſti tamen
Huius patronum te, vnicumq́, præſidium, &
Tutorem habere credimus: nam fortè ſi
Id necdum inaudiſti, expeditis, Delphici
Reſponſa

Reſponſa qui requirerent oraculi,
Sic rettulit Phœbus: leuamen fore mali
Hoc vnicum, ſi Laij cæſoribus
Vel mors, vel exilium irrogetur. tu itaque nunc
Seu doctus augurio, alia'ue quapiam
Futura noſcendi arte, ne inuideas bonum hoc
His ciuibus tuis, ſed ipſum libera
Te vrbemq́ᵹ, meq́ᵹ, à mortuo hoc, quod ingruit,
Nunc libera piaculo, in te repoſita eſt
Spes omnis, ex te pendet vrbis nunc ſalus.
Nec enim labor cenſendus vllus vſpiam eſt „
Præclarior, quàm qui iuuandis hominibus, „
Quantum poteſtas, reſq́ᵹ fert, impenditur. „
TEIR. *Hei quam graue, atqᵹ durũ, vbi non expedit,* „
Sapientia eſt ſapienti? id enim ego cum probè „
Scirem, perij, neque enim huc venire debui.
OE. *Quid hoc rei eſt, quod triſtis adeò nunc adeſt?*
TEIR. *Remitte me, facile quod ad te pertinet,*
Egoq́ᵹ quod ad me, fecero, mihi ſi obedies.
OE. *Loqueris iniquè, nec ſalus vrbis tibi*
Curæ videtur eſſe, quæ te enutrijt,
Si cœlitum cœlare vis oracula.
TE. *Nec dicta oportuna video tua, vt equidẽ haud*
Abs re, ne idem mihi accidat, me angat metus.
CHO. *Ne per Deos, ſi nota ſint tibi, renuas*
Proferre, id omnes te precamur ſupplices.
TEI. *Haud ſapitis omnes, nã eloqui iſta non queam,*
Vt non ſimul etiam tua pateſcant mala.

 OE. *Quid?*

OED. *Quid? ſi ſcias non proferes? nos prodere,*
Vrbemq́ totam funditus vis perdere?
TEIR. *Nec mihimet ego, nec tibi doloris iam volo*
Præbere cauſſam, quid temere adeò arguis?
Quid vis tibi? haud dictis geres morem meis?
OED. *At tu malorum ô peßime, ipſis cautibus*
Iram iſta moueat peruicacia: non'ne nunc
Tandem eloquere? an vſque inexecrabilis
Tibi mens rigebit commoueri neſcia?
TEIR. *Iram arguis meam. Sed illam, quæ in animo*
Habitat tuo, non perſpicis. culpor at ego.
OED. *Quem verba talia non ad iram concitent?*
Manifeſta vt vrbem contumelia afficis?
TEI. *Sponte hæc tamen ſua ſequentur, vt vt ego*
Connitar illa iam implicare ſilentio.
OED. *At te mihi euentura oportet dicere.*
TEIR. *Nil amplius. proinde tu, per me licet,*
Grauißimam extumeſce in iram, ſi lubet.
OEDI. *At bile mota iam eloquar, quid ſuſpicer,*
Nihilq́ omittam penitus, hoc aio ſcelus
Auctore te, impulſuq́ patratum tuo,
Et ſi videres, dextera adderem tua.
TEIR. *Ego cædis auctor ſcilicet. quin te Oedipe,*
Quo nunc palàm me vrges, ego illius aio te
Reum eſſe criminis, neq́ aut hiſce, aut mihi
Ex hoc die licere tecum colloqui,
Telluris vt qui huius nefanda ſis lues.
Iraſcitur Oedip. veri OED. *Ita'ne impudenter hæc profari? non putas*

Pœnas

Pænas daturum huiuſce te impudentiæ?

TEI. *Non metuo, veritatem enim, quæ eſt fortior Alo.*

tatem ſibi dici, quam tamen audire voluit.

OED. *Hæc ne vates à tua arte edoctus es?*

TEIR. *Abs te, tu enim inuitum impuliſti dicere.*

OED. *Quidnam? repete vt intelligã omnia rectius.*

TEIR. *Non antea audiuiſti? an, vt poſsis mihi*
Moleſtus eſſe, vti repetam eadem nunc iubes?

OED. *Non cognita mihi interrogo: dic denuo.*

TEIR. *At cædem ego patraſſe te illius viri,*
Cuius homicidam quæris, aio.

OED. *At faxo non*
Impunè me hac notabis iterum infamia.

TEIR. *Quin alia dicam, quæ tibi grauiora erunt.*

OED. *Dic quod lubet, dixeris fruſtra omnia.*

TEIR. *Id aio cum cariſsimis, quanquam inſcium,*
Habere te commercia infamis ſtupri,
Nec dira cernere mala, quibus immerſus es.

OED. *An cum voluptate vſq; ſic loqui autumas?*

TEIR. *Puto, ſiquidem vero ſuperſit vlla vis.*

OED. *Supereſt: at in te nulla regnat veritas,*
Cæcas habes aureſq;, mentemq;, & oculos.

TEIR. *At miſer es, iſta, qui mihi exprobras, tibi*
Quæ propediem exprobrabit vnusquiſlibet.

OED. *Nox ſola te tuetur, ea niſi foret,*
Nec me, nec alium, qui ætheris lumen vident,
Efficerem vt poſthac videres.

TEIR. *At tua*

De morte Teireſiæ, vide Pauſaniam in Beoticis.

Me dextera concidere fata vetant mea.
Potens Apollo eſt, vita huic mea curæ erit.
OE. *Tuum'ne, an hoc Creontis inuentum fuit?*
TEIR. *Nil tibi Creon ſtruit mali, omne tu tibi.*

Accuſat Creontem, tanquam vatem ſubornauerit.

OE. *O regnum, opeſq́, atque ad beatitudinem*
Vitæ fouendam ars antecellens artem, vt hei
Subiecta diro premimini imperio grauis
Inuidiæ? vt hoc quod populus ipſe mihi ſua
Sponte, minimeq́ id ambienti detulit,
Qui fidus initiò amicus, vti ego putabam, erat,
Regno Creon deijcere clàm molitur! id
Vnum ſubornato mago hoc agit doli, &
Verſutiarum artifice, & impuriſſimo
Circumforaneo, qui vbi lucri quæſtio eſt,
Acutus illic, atque mirè eſt perſpicax.
Artem requiras, cæcus eſt. Age dic mihi,
Vatis vbi tu vnquam ſpecimen edidiſti? vbi
Ars iſta erat tua, vrbe quando canis rapax
Conſarcinatis obſtrepebat verſibus,
Cur non tuis tum opem ferebas ciuibus?
Atqui illius ſoluiſſe nodum ænigmatis
Haud ſanè erat cuiuſlibet, Diuina opus
Mente hìc erat: verùm nec auguria id tibi,
Nec Deûm aliquis aperuit. ego adueniens, ego
Inquam, omnium rerum inſcius, rudis Oedipus,
Haud eruditus garrulæ clangore auis,
Sed mentis aſſecutus, quid vellet, acie
Vatis doloſæ argutias compeſcui.

Tu hunc

Tu hūc regno vt exturbes, quod in te eſt, gnauiter
Das operam, in hanc ſpem erectus, à Creonte te
Poſthac futurum primum. at haud graui ſine
Malo, puto, & tu, & ille, qui commentus eſt
Tam ſubdolam technam, piaculum iſtud hinc
Nunc exigetis. Senij ego niſi tui
Rationem haberem, quam iſta tua tibi noxia,
Damnoſaq́; ſapientia ſit, oſtenderem.
CHO. *Quantum quidem conijcere poſſumus, tua,*
O Oedipe, ac verba huius iracundiæ
Subitò calore elata ſunt. atqui haud decet
Sic velitari, potius illud, quo modo
Sint explicanda Delphicis oracula
Emiſſa ab adytis, cogitare par erat.
TEIR. *At tu licet regnum occupes, in hoc tamen,*
Vt libere quæ ſentio reſpondeam,
Aequari oportet me tibi: hac enim in re ego
Regnum quoque gero, neque tibi, ſed Apollini
Ego viuo ſeruus, neque Creonte mihi eſt opus
Patrono. at hoc tibi aſſero, quia hîc mihi
Obijcere probro cæcitatem haud veritus es,
Cùm nunc quidem oculis tu tuis vtare, te
Non cernere quibus in malis verſere, nec
Vbi locorum, nec quibuſcum iam incolis:
Ignarus etiam adhuc es, è quibus ſatus,
Genitusq́; ſis parentibus, viuereq́; te
Hoſtem tuorum, quiq́; mortui inferas
Sedes tenent, quique ſuperis auris adhuc

Fruun-

Fruuntur? en iam vtraq́ patris, ac matris
In te irruentes pariter horribiles ſolo hoc
Exterminant Erinnyes, oculis quidem
Hoc tempore vtentem tuis, verùm breui
Cæcum futurum. at quis Cytharon, quis tuis
Portus querelis, quis locus terræ vſpiam
Mox eiulatu non replebitur tuo?
Nefarias vbi domi cognoueris,
Turpeſq́ tædas, quas ferentibus notis
Importuoſa inuectus in vada impiè
Conglutinaſti, neque malorum adhuc vides,
Quæ inſtant, cateruas, quæ tuis reddent parem
Te liberis, & vtroſq́ quæ ex æquo prement.
I nunc, meum os proſcinde, nunc, i, impete
Conuicijs Creonta. Sed mortalium
Peribit vnquam nemo te ſceleratior.
OE. *Hæccine nefandũ eſt hunc loqui, ac audire me?*
Quin in malam hinc abi crucem, atque id ocyus,
Refugumq́ ab ædibus hiſce iam retrahe pedem.
TEIR. *Neq́ ſanè adeſſem, abs te niſi vocatus forem.*
OED. *Neq́ ego ſciebam adeò te inepta, atq́ fatua*
Pronunciaturum: nec huc, ſi præſcius
Horum fuiſſem, te imperaſſem accerſier.
TEIR. *Fatui tibi videmur. at ſapientia*
Pollere, qui genuêre te, parentibus.
OE. *Quibus? mane, quo ſum parente ſatus ego?*
TEIR. *Hic te dies gignet, ſimulq́ malo obruet.*
OE. *Vt omnia obſcura, atque perplexa tua ſunt?*

T. *At ta-*

TEIR. *At talium tu es explicator optimus.*
OE. *Quod tu exprobras, ingens mihi peperit decus.*
TEIR. *Fortuna te illa funditus peſſum dedit.*
OED. *Nihil hoc mouet, ſeruaſſe ciueis gloria eſt.* „
TEIR. *Abeo igitur. at heus tu puer, me ducito.*
OED. *Abducito, præſens obes, non æquè eris*
Abſens moleſtus.
TEIR. *Abeo, poſtquam ea, quæ mihi*
Dicenda erant, ſum proloquutus: nec tuum hoc
Sum os reueritus, nec te penes ius eſt meæ
Vitæ, necis'ue: dico denuo, virum,
Quem quæris, hoſtilia cui minare, quem
De cæde Laij plectere cupis, adeſſe nunc
Verbo quidem peregrinum, & aduenam, at breui
Qui re indigena, ciuiſq; declarabitur
Thebanus eſſe. nec voluptatem adferet
Hic caſus illi, cæcus ex vidente mox,
Ex dite egenus, atque inops per exteras
Nixus bacillo ibit vagabundus plagas.
Ipſum deinde liberis fratrem ſuis
Et eſſe patrem, ac mulieris, quæ enixa eum
Produxit, eſſe filium, & ſponſum ſimul,
Quid multa? thalamos polluiſſe patrios,
Et cæde patris impium, mox cuilibet
Erit palàm. tu ſi lubet, abi intrò, iſtaq;,
An vera ſint, exquirito. Si falſa me
Dixiſſe deprehenderis, vatem improbum,
Vanumq; me, nihilq; ſapere dicito.

CHO. *Quis*

Iamb. catalectici & Anapæſt. dimetri.

CHO. *Quis ille, quiſnam eſt is, quem*
Tam dira, tam execranda
Manibus perpetraſſe cruentis
Fatidica cecinit Delphos?

Vltio diuina imminet auctori cædis.

Iam tempus eſt, vt Zephyro
Satis fugam capeßat
Ocyor equis. Iam flammis
Et fulminis ſagittis
Armatus illum aggreditur
Proles Iouis, pariq́;
Sequitur gradu Parca ferox,
Nulloq́; pede fugienda
Fama in niuoſo bifidæ
Incenſa vertice rupis

Ouidius. Et orbe In medio poſiti caruerunt præſide Delphi. Cur autē hoc de Delphis ita dicatur, nota eſt de duabus aquilis fabuloſa hiſtoria.

Recens volat, vti quiſque
Latitantem eum inueſtiget:
Solus denſas per ſyluas miſer,
Et ſaxoſa per infauſto pede,
Vt taurus, iuga, perq́; obſcuris
Condita latebris antra vagatur,
Quæ medio ſunt orbis prodita
Climate, ſe fugiturum oracula
Sperans: at victura ea ſemper,
Quo quo ſe vertat, circumuolant.

More vulgi diſputat de interpretatione oraculi.

Horrida ſapiens atque tremenda
Concitat augur.
Quæ qua credi, qua'ue negari
Ratione queant, aut quid ſentiam,

Am-

Ambigit animus, nec ſpe dubia
Suſpenſus, quô oculos vertam, huc an'ne
Illuc, dicere poßum.
Quæ Labdacidas, Polyboq́; ſatum
Tam ſæua ſimultas ſtimulauerit,
Nec ſpatijs elapſis temporum,
Nec adhuc fando diſcere potui.
Nam quibus argumentis,
Qui in Oedipi contendit
Caput, putem rumorem
Certum eſſe, Labdacidisq́;
Suffrager obſcuro adeò
Auctore cædis? atqui »
Et Iuppiter, & Apollo »
Rerum omnium conſulti, »
Mortaliumq́; gnari »
Exiſtimandi. vatem »
Inter homines videre, »
Quod non videam ego, plusq́; »
Intelligere, non conſtat »
Id veritate niti. »
Verum hoc quidem eſt, ingenio »
Præſtare hominem homini, atque »
Præcellere. at ſtatutum hoc »
Mihi atque fixum, euentu hæc
Niſi videam probari,
Tam criminoſis dictis
Vt adhibeam fidem, nòn

Credebatur tum adhuc Oedipus Polybi filius eſſe.

Facile

Facile mouebor. Olim
Aligera cum illum virgo
Inuaderet, conſultus,
Sapienſq; declaratus
Toti voluptatem vrbi, &
Certam tulit ſalutem.
Me iudice infami adeò
Obnoxius delicto
Cenſebitur vir tantus?

CR. *Atrociter me criminari ab Oedipo,*
Ciueis, vt audiui, huc ſtatim me contuli,
Ferens acerbè tam graueis iniurias.
Nanq; ille tantis calamitatibus obrutus
Si pertimeſcat, ne mala aggeram ei alia,
Dicto'ue ei, facto'ue perniciem ſtruam,
Errat: mori ſatius mihi eſſet, quàm graui
Infamia contaminatum viuere,
Neq; nomini notam irrogari exiſtimo
Leuem meo, vel negligendam, ſi improbus
Vobisq; & huic vrbi, atque amicis nuncupor.

Sic in arte poëtica Hora. nos docet, vt Chorus bonis faueat, & concilietur amicè, Et regat iratos, & amet peccare timentes.

CHO. *Subitò calore proditum hoc conuicium eſt,*
Iræq;, vis expreſſit, haud opinio.

CR. *Quæ cauſſa ſuſpitionem ei dare potuit,*
Vt falſa diceret, augurem à me ſubditum?

CH. *Dixit quidem, ſed mente quanam neſcio.*

CR. *Vultu'ue vero, atq; arguente animi impetum*
Tanti reum me criminis agebat?

CH. *Equidem*

Igno-

Ignoro. nec enim facta, dicta'ue principum ,,
Examino. Sed en ipſe fert domo pedem? ,,
OED.*Heus tu, quid hîc tibi rei eſt? qua fronte tu* Expoſtulatio Oedipi, cum Creonte.
Ad tecta ferre noſtra greßus ſuſtines,
Homicida conuictus mei, atque ſubdolus
Huiuſce prædo regni? at age mihi per Deos,
Quid huc te adegit, fare, aliqua'ne fatuitas,
An timiditas extrema, qua tibi præditus
Sum viſus eſſe? aut haſce cùm inſidias, dolos,
Fraudeſq; molirere, quæ tandem tua
Mens, cogitatio quæ erat? nullus tibi
Animum metus quatiebat, iſta clam me agi
Non poſſe? ſiq; aliunde perſentiſcerem,
Fore, impios vt hos dolos auerterem,
Manuq; vindice frangerem? veſanus hic ,,
Conatus, atque machinatio, ſine ,,
Populo, atq; amicis aucupari regna, quæ ,,
Populi fauore parantur, & pecunia. ,,
CR. *Scis quidnam agas? tu multa iam loquutus es,* ,,
Aures mihi tuas vicißim accommoda,
Rem vt planè vbi cognoueris, tum iudices.
OED.*Scio eloquentia valere te. aſt ego*
Auditor eſſe nequeo, contra me, improbum
Te, ac tam ſtruentem iniqua cùm deprenderim.
CR.*Sed quod loquar, rogo patienter audias.*
OE.*At hoc mihi, quod improbus non ſis, tace.*
CR.*Pulcrum quid ac laudabile eſſe ſi putas* ,,
Sine mente pertinaciam, haud rectè putas. ,,

OE. *Affinibus ſi tu tuis mala ſtruere, ac*
Impunè credis id tibi fore, non ſapis.
CR. *Verè hæc loqui te fateor, atqui hoc expedi,*
Quonam malo, qua iniuria te affecerim.
OE. *Suaſu'ne factum hoc eſt tuo, vir vt aliquis*
Præclarum ad iſtum mitteretur augurem?
» CR. *Adhuc mihi eadē eſt mens, idem conſiliū adhuc*
» OE. *Quātum, ede, lapſum eſt temporis, quod Laïus.*
CR. *Quid fecit ille? non enim te intelligo.*
OE. *Nefaria peremptus occubuit nece.*
CR. *Multi admodum horarum euoluti circuli.*
OE. *Et tempore illo hic augur artem exercuit?*
CR. *Aequè ſapiens, inq́; precio æquè habitus fuit.*
OE. *Tum temporis nunquam'ne commeminit mei?*
CR. *Nunquam, quod ego quidē ſciam, præſente me.*
OE. *Sed nulla tunc in cædis auctorem impiæ*
Acta fuit inquiſitio?
CR. *Fuit quidem.*
Cur non enim? Sed aſſequi non potuimus.
OE. *At tum illa ſapiens iſte cur non protulit?*
CR. *Haud ſcio equidem, ſileoq́; de his, quæ me latēt.*
OE. *At hoc quidem ſcis, nec tacebis ſi ſapis.*
CR. *Quid tandē id eſt? nō rennuā, quod ſcio, loqui.*
OE. *Quod ille tecum conſilia niſi omnia*
Communicaſſet, haud puto vnquam me reum
Cædis peregiſſet.
CR. *Sed hæc, ſiquidem ille ait,*
Noſti ipſe. at ego, quæ ſciſcitaris ex me, ea

Ex te

Ex te cupio, ſi vera ſint, addiſcere.
OE. *Age ſciſcitare, intellige, haud vnquā hoc ages,*
Vt cædis huius eſſe conuincar reus.
CR. *Quid an tibi non vxor eſt ſoror mea?*
OE. *Quod ais negari non poteſt.*
CR. *Nunquid cum ea*
Aequali huic das ſceptra terræ dextera?
OE. *Quæ petijt à me conſequuta eſt omnia.*
CR. *At tertius ego honore ſum à vobis pari.*
OE. *Erumpit hic tandem malitioſus animus.*
C. *Minimè equidem. idq́; intelliges, ſi, te vt ego, ſic*
Nunc me viciſſim tu, vt decet, ſinas loqui.
Primum omnium hoc conſideres tecum, velim
Ecquem putes rationis adeò, & conſili
Inopem eſſe, plena qui timoris anxij
Geſtare malit ſceptra, cùm vacuus metu,
Atque otioſus aurem in vtramuis cubans
Pari atque eodem poſſit imperio frui?
Natura fert mea, ac modeſta quemlibet
Sentire mente præditum ſic arbitror,
Vt, quam imperare, imperio amem magis obſequi.
Timore nunc omni ſolutus, quæ volo,
Abs te omnia impetro. Sed imperij ipſe ſi
Tenerem habenas, multa facere cogerer
Inuitus, & præter animi ſententiam.
Quinam igitur imperio abſque curis, & metu,
Iucundius mihi eſſe queat, aut dulcius
Regnum? haud rudis ita mens, hebeſq́; pectore

Refutat Creon accuſationem affectati regni. Elegās autē hic eſt collatio regni cū priuata vita coniuncta cùm dignitate

Stupet meo, vt alia quàm lucro coniuncta ego
Deſiderem bona. omnibus lætus fruor,
Omnes ſalutant me, prehenſant, euocant
Omnes, tuo qui præſidio egent. illi enim
Petita apud te, vt conſequantur, in manu
Vident mea eſſe: his cur relictis commodis,
" *Tyrannidem affectem? improbam in mentem bona*
" *Conſilia non cadunt. nec hoc, quod tu putas,*
Ego cogitaui vnquam, nec alius quiſpiam
Si fortè machinetur, illud perpeti
Poſſem. atq; certa ſi indicia deſideras,
Delphis require, oraculum an bona fide,
Pronunciatum vt eſt, renunciauerim?
Cum vate ſi quid improbi deprenderis
Me contuliſſe conſilij, age occide me,
Non calculo iam vnius, ac duorum æquiſſimis
Suffragijs merita neci addictum, & meo, &
" *Pariter tuo. Sed propter incertam, caue,*
" *Ne me ſeorſum ſuſpicionem turpiter*
" *Sic crimineris: id iniquum eſt, improbos*
" *Temere bonos cenſere, quiq; boni, malos.*
" *Fidelem amicum eijcere, non minus graue*
" *Exiſtimo, quam, quæ omnibus cariſſima eſt,*
" *Vitam ſibi propriam eripere. Sed tempus hæc*
" *Faciet palàm, certoq; reteget, hoc enim*
" *Solum boni qui ſunt, declarat, improbos*
" *Facile, vel vno omneis die, dignoueris.*
CH. *Rectè loquutus eſt, cauendum ne ruas*

Non temere aſſentiēdū cæcis ſuſpicionibus.

Nihil præcipitanter agendū ira

Conſilia

Conſilia ſubita non vacant periculo. „ præſertim duce.

OE. *Quicunque ad inſidias ſtruendas proruit* „
Præceps, remedio præcipiti reprimendus eſt, „
Res ille longa ſtabiliet ſuas mora, „
Vindicta ego excluſus, darem peſſum meas. „
CR. *Quid vis igitur? extorris hoc vt agar ſolo?*
OE. *Minimè. mori, non exulare te volo.*
CR. *Suborta tibi odij vnde cauſſa tam grauis?*
OE. *Nunquam'ne cedes, atq; pariturus es?*
CR. *Iniqua te decernere animo conſpicor.*
OE. *Ad me quod attinet, bene.*
CR. *At trutina pari*
Te examinare, ad me quod attinet, æquum erat.
OE. *Natura finxit te improbum.*
CR. *Atqui inqua te*
Suſpicio cæcum agit.
OE. *Imperandum mihi tamen.*
CR. *Non, ſi malè.*
OE. *Vrbs, ô vrbs.*
CR. *At vrbs hæc non tua*
Solum, ſed etiam tradita eſt cura mea.
CH. *Ceſſate reges, commodum ecce nunc foras*
Video Iocaſten ferre greſſum, illa dirimet,
Vos inter hoc quod excitatum eſt, iurgium.
IOC. *Quæ cauſſa tam temerarias concire vos*
Turbas coëgit maledicis conuicijs?
O ter miſeri. an oppreſſa atroci iſta lue
Terra, haud pudet priuata ſerere iurgia?

Conciliare debent homines publica, & communia mala.

Quin tu domum ſecedis? ac tu quoque Creon,
Tuas in ædes te referſ? ne hic iam leuis
Dolor in grauem prorumpat ægritudinem.
CR. *Dirum eſt, ſoror, maritus in me quod tuus*
Molitur: alterutrum ſtatuit aut patria vt,
Excedam humo exul, aut graui dedar neci.
OE. *Sic eſt. deprendi enim improbis mihi artibus*
Extrema eum moliri, & inſidias feras.
CR. *Vita haud fruar, diriſq́. Deditus omnibus*
Peream, reus ſi huius ego prober eſſe ſceleris.
IO. *Per te Deos oro, fidem huic habe, Oedipe,*
Iuriſq́. iurandi Deorum iam, ac mei,
Horumq́. qui adſunt, te moueat auctoritas.
CHO. *Tibi imperes: vt ne ira te tranſuerſum agat,*
Hoc te obſecro ô Rex.
OE. *Quid? vt i cedam poſtulas?*
CH. *Qui nunquã habitus eſt mẽte ſtulta præditus,*
Et nunc Deorum numina atteſtatus, vt
Reuerentia mouearis illius, Oedipe.
OE. *An tu quod oras perſpicis etiam?*
CHOR. *Scio.*
OE. *Quid igitur, ede?*
CHO. *Innoxium ne perditum iam amicum eas,*
Rationibusq́. motus obſcuris, ſolo hoc
Turpi nota contaminatum extermines.
OE. *At tu tibi perſuadeas, hæc dum petis,*
Mortem mihi precare, & è regno fugam.
CHO. *Minimè omnium Deorum:*

Fallitur hic Creon, vt ex ijs, quę ſupra Oedipus dixit, liquet.

Primi

Primi coruſcum teſtor — Iamb. dimetri catalect.
Solis iubar. deſertus
Subſidio amicorum, atque
A Dijs reiectus, triſti
Conſumar exitio, ſi
Tam dira pectore vnquam
Verſauerim. infelix me
Patriæ calamitas cruciat,
Et quod malis veteribus
Magnum malorum cumulum
Contentio hæc veſtra addat.
OE. *Ille igitur abeat, ſi necem euitare ego, aut*
Ex hac humo violentam, & infamem fugam
Non potero. me vitæ ſtatus ſolum tuæ
Miſerandus angit. quæ premat eum calamitas
Securus. odia, vbi, vbi aget, hæc perpetua erunt.
CR. *Dura hæc tua eſt conceſſio iracundiæ* — Talis eſt iracundorum ingeniorũ habitus.
Index manentis. Verùm vbi illa abceſſerit,
Tuiq́ compos rem, vt ſe habet, perpenderis,
Tum ſera, & acri angêre pœnitentia.
Animosq́ tales ſemper excruciat dolor.
OE. *Dimitte me igitur, ac foras abi.*
CR. *Abeo ego.*
Incognitus tibi quidem, ſed hos apud
Idem futurus ſemper, ante hac qui fui.
CHO. *Quid hunc in ædeis, ô hera, introducere*
Morare?
IOC. *Vbi Fortunam* — Iamb. dimetri catalect.

Quin tu domum ſecedis? ac tu quoque Creon,
Tuas in ædes te refers? ne hic iam leuis
Dolor in grauem prorumpat ægritudinem.
CR. *Dirum eſt, ſoror, maritus in me quod tuus*
Molitur: alterutrum ſtatuit aut patria vt,
Excedam humo exul, aut graui dedar neci.
OE. *Sic eſt. deprendi enim improbis mihi artibus*
Extrema eum moliri, & inſidias feras.
CR. *Vita haud fruar, dirisq́; Deditus omnibus*
Pereã, reus ſi huius ego prober eſſe ſceleris.
IO. *Per te Deos oro, fidem huic habe, Oedipe,*
Iurisq́; iurandi Deorum iam, ac mei,
Horumq́; qui adſunt, te moueat auctoritas.
CHO. *Tibi imperes: vt ne ira te tranſuerſum agat,*
Hoc te obſecro ô Rex.
OE. *Quid? vt i cedam poſtulas?*
CH. *Qui nunquã habitus eſt mẽte ſtulta præditus,*
Et nunc Deorum numina atteſtatus, vt
Reuerentia mouearis illius, Oedipe.
OE. *An tu quod oras perſpicis etiam?*
CHOR. *Scio.*
OE. *Quid igitur, ede?*
CHO. *Innoxium ne perditum iam amicum eas,*
Rationibusq́; motus obſcuris, ſolo hoc
Turpi nota contaminatum extermines.
OE. *At tu tibi perſuadeas, hæc dum petis,*
Mortem mihi precare, & è regno fugam.
CHO. *Minimè omnium Deorum:*

Fallitur hic Creon, vt ex ijs, quę ſupra Oedipus dixit, liquet.

Primi

Primi coruſcum teſtor Iamb.dimetri catalect.
Solis iubar. deſertus
Subſidio amicorum, atque
A Dijs reiectus, triſti
Conſumar exitio, ſi
Tam dira pectore vnquam
Verſauerim. infelix me
Patriæ calamitas cruciat,
Et quod malis veteribus
Magnum malorum cumulum
Contentio hæc veſtra addat.
OE. *Ille igitur abeat, ſi necem euitare ego, aut*
Ex hac humo violentam, & infamem fugam
Non potero. me vitæ ſtatus ſolum tuæ
Miſerandus angit. quæ premat eum calamitas
Securus. odia, vbi, vbi aget, hæc perpetua erunt.
CR. *Dura hæc tua eſt conceſſio iracundiæ* Talis eſt iracundorum ingeniorũ habitus.
Index manentis. Verùm vbi illa abceſſerit,
Tuiq́ compos rem, vt ſe habet, perpenderis,
Tum ſera, & acri angêre pœnitentia.
Animosq́ tales ſemper excruciat dolor.
OE. *Dimitte me igitur, ac foras abi.*
CR. *Abeo ego.*
Incognitus tibi quidem, ſed hos apud
Idem futurus ſemper, ante hac qui fui.
CHO. *Quid hunc in ædeis, ô hera, introducere*
Morare?
IOC. *Vbi Fortunam* Iamb.dimetri catalect.

Quæ nunc eos exercet,
Cognouero.
CH. *Incerti orta*
Sermonis eſt tempeſtas.
" *Generoſa pectora mordent,*
" *Lacerant, iniquè obiecta*
" *Crimina.*
IOC. *Ab vtroque vtrique!*
CHO. *Rectè.*
IOC. *At cedo, quæ cauſſa*
Harum fuit rixarum?
CH. *Satis ſuperq́; dictum eſt.*
Cùm vrbs calamitate triſti
Oppreſſa iaceat, rectè,
Vbi deſierunt illi,
Eo quoque loco finem
Ego loquendi faciam.
OE. *Vides'ne quo rapiare? cur cùm ſis probus,*
Me deſeris, animumq́; ſollicitas meum?
Anapæſt. CH. *Rex dixi equidem id ſæpius,*
Mentis inops meritò omnibus habear,
Si me abs te nunc ſegregem,
Si non geſtem ſemper in oculis,
Qui caram mihi patriam multis
Quaſſam, languentemq́; laboribus
In decus erexiſti priſtinum.
Et nunc recidiuam, generoſum
Principem vti decet, tollere in altum,

Rurſum

Rurſum annitere.
IO. *Per te Deos obteſtor, ô Rex, dic mihi,*
Quæ cauſſa atroces concitauit impetus?
OE. *Dicam. te enim omneis inter vnam maxime*
Veneror. Creon quam dira mihi molitus eſt?
IO. *Ediſſere, modò vera, & euidentia*
Sint, quorum eum reum tam acerbè eſſe arguis.
OE. *Laium mea dicit necatum dextera.*
IO. *Vt conſcius'ne, an vt ab alijs relatum ait?*
OE. *Vatem ſubornauit ſceleſtum, & quo poteſt*
Molimine, erga me omnium ora exaſperat.
IO. *At de te omitte, quæ loqui iam occeperas,*
Meq; audiens, id diſce, nuſquam gentium "
Mortalium quenquam eſſe, bene futura qui "
Artem explicandi calleat, & huius rei "
Manifeſtæ iam tibi breuibus ſigna afferam.
Oraculum olim accepit, an'ne Apolline
Laïus ab ipſo, an à miniſtris editum,
Nunc dicere ſuperſedeo: fore vti filij,
Quem ex me eſſet habiturus, necaretur manu:
Fatis id eſſe conſtitutum. at is quidem
(Si vera fama) ab exteris facto impetu
Prædonibus, eo vbi loco plauſtris triplex
Protrita concurrit via, interemptus eſt.
At filium vbi genuiſſet haud bene integre
Triduo peracto fune conſtrictum pedes
Per inhabitata montium iuga abijci
Mandat miniſtris. Itaque ne Phœbus quidem hic

Non audet Deum inſimulare mẽdacij.

Suum vt ille patrem interimeret, neq; grauiter
Quod expauebat, Laïus nati manu vt
Occideret, efficere potuit. atq; hæc quidem
Futura ſortes pracinebant Delphicæ:
„ *Quæ te caue affligent. quæ enim Deus ſemel*
„ *Ventura ſtatuit abdita latere haud ſinet.*
OE. *Quam ſæuus hei hæc te loquentē iam audiens*
Mouet error animum, quàm fero turbor metu!
IO. *Quæ cura rurſus te fatigat obſecro?*
OE. *Sic viſus ex te audire ſum mihi, Laïum*
Cæſum in triuio obiiſſe,
IO. *Ita tulit rumor, neque*
Quæ increbuit, vigere fama deſijt.
OE. *Locus ille vbi eſt caſus, vbi tam grauis accidit?*
IO. *Phocida vocant terram, bipartita vbi coït*
E Daulia Delphisq; venienti via.
OE. *Quantū eſt, quod hæc ſint acta, lapſum tēporis?*
IO. *Paulo ante quàm tu ſceptra nactus terræ huic*
Praeeſſe cœpiſti, iſta nunciata ſunt.
OE. *Quid me facere tibi ſtatutum ô Iuppiter?*
IO. *Quæ cura nūc animum, Oedipe, infeſtat tuum?*
OE. *Parce id rogare. dic quis habitus oris, &*
Quæ Laïo ætas tunc erat?
IO. *Grandis, cui*
Canis caput iam albeſcere incipiebat. at
Forma haud ita erat, ô Oedipe, aliena à tua.
OE. *Heu me miſerrimum, hei vt inſcius caput*
Obieci atrocibus execrationibus.

IO. *Quid*

IO. *Quid ais? metu percellor, ô Rex, te intuens.*
OE. *Miſerè ah timeo, ne oculatus hic fuerit nimis.*
Vates, at ex te, ſi vnum id expedies, mihi
Iam certius conſtare poterunt omnia.
IO. *Horreo equidem, at quæ interrogabis, ſi ſciam,*
Non conticebo.
OE. *Ibat'ne paucis comitibus,*
Satellitum an magna caterua, & regio
Stipante, veluti par erat, famulitio?
IO. *In vniuerſum quinq; erant, & inter hos*
Præco, atque vectus Laius rheda vnica.
OE. *Hei clariora hæc ſole ſunt: ſed iſta quis*
Sic eſſe geſta rettulit tibi nuntius?
IO. *Quis? famulus è domeſticis, Fortuna quem*
Ex clade ſolum præſtitit ſuperſtitem.
OE. *At ille vbi eſt? præſto'ne nunc adeſt domi?*
IO. *Non, Laïo ſed interempto ille rediens*
Vt ſceptra tibi delata regni reſciÿt,
Tacta mea ſupplex precatus eſt manu
Rus ſeſe vti ablegarem oueis paſturum, in hac
Vt vrbe degeret rariſſimè:
Dimiſi ego illum. ſeruus enim erat etiam
Beneficio maiore dignus affici.
OE. *Quin tu iube huc vt ocyus ſe conferat.*
IO. *Iam aderit. ſed huc qua gratia accerſi iubes?*
OE. *Timeo mihi, nimisq; multa dicta ſunt,*
Quare videre eum, & alloqui deſiderem.
IO. *Aderit quidem ille, ſed animũ quæ angũt tuũ*

Ita

Ita grauiter, me etiam æquum erat cognoſcere.
OE. *Nihil tibi negabitur, cùm ſpes me eô*
Prouexerit: nam cui potius id, quàm tibi
Fortunæ adeò agitatus atro turbine,
Communicem? Polybus mihi Corinthius
Pater fuit, Meropeq́ mater Dorica,
Primiq́ ciueis inter habitus nominis
Semper fui, Fortuna donec accidit
Eiuſmodi, miranda ea quidem, incongrua
Studijs tamen meis: Lyæo inter epulas
Nimio repletus me nothum quidam ac patri
Subditītium vocabat. id ægrè ferens
Vix incitatum iniuria ea animi impetum
Cohibere eo potui die. poſtridie mox
Patrem, matremq́ aggreſſus, inquiro quid hoc
Sibi vellet? illi grauiter obiectum mihi
Tulere probrum: ego volupe id mihi eſſe tum
Præ me tuli, interim intus urebat dolor,
Neque mora, vtroq́ clam parente Pythij
Profectus ad delubra Apollinis, nihil
Ad illa, quorum gratia illuc veneram,
Oraculo editum, & vt inauditum Deus
Dimiſit, alia horrenda, dira, atrocia
Multa eloquutus, nempe Parcas voluere
Cum matre vti concumberem, ſobolem omnibus
Odioſam hominibus procrearem, ac hei, patrem
Etiam fore vt meum necarem, quæ quidem
Poſtquam audijſſem, quâ Corinthij patent

Narrat vnde ſuſpicetur ſe auctorē necis Laij.

Agri

Agri ſoli, tremens oberro, & ſiderum,
Ceu nauitæ, curſum notans, fugi procul,
Si quà potentem effugere vim fati mei,
Si quà nefando ne inquinarer editi
Oraculi dedecore, & inceſtis probris
Poſſem miſer vitare, & huc illuc vagos
Ferens gradus, tandem haſce in oras appuli,
Vbi regem ais cæſum fuiſſe. vera nunc
Tibi, mulier, fatebor. ad eum, vbi treis viæ
Coëunt, locum poſtquam appropinquaui, ibi mihi
Præco, atque vir tali ore, & habitu corporis,
Quali tu ais, iunctaq́; iumentis rota
Vectus, ſit obuiam. Vterque & ille me, viæ
Qui dux erat, ſenexq́; per vim propulit.
Rhedæ magiſtrum, qui protruſerat, graui
Commotus ira ferio: currui ſenex
Fortè imminere me videns collimat, &
Medium in caput ſtimulos adegit duplices.
Neque par tulit pari relatum. ab hac enim
Semel ictus ille ſcipione dextera,
Medio ilico è curru ſupinus voluitur,
Circaq́; eum qui erant, neci omnibus datis,
Pergo. Sed hoſpitem inter hunc, & Laïum Id eſt, me qui hic ſum peregrinus.
Cognationis ſi quod eßet vinculum,
Quis me miſerior omnium mortalium?
Quis æquè Genio natus inimico vſpiam
Homo viueret? quem à ciuibus, quem ab exteris
Domoq́;, colloquioq́; ſit recipi nefas.

Ab

Ab ædibus pellar, nec haſce mihi alius,
Ipſe coaceruaui in caput Diras meum.
Torumq́; mortui manu inquino mea,
Qua etiam miſer peremptus ille concidit.
Quis me ſceleſtior? quis vno me vſpiam
Pollutior vitam trahit? ſi fugere me
Hinc ſit neceſſe, nec exulanti mihi meos
Oculis tueri fas erit, nec patrij
Dulcem premere terram ſoli? matris meæ
Si inceſtuoſis glutinari nuptijs,
Quod ſi nece Polybi parentis inquinarier,
A quo genitus, à quo educatus ſum, me agat
Neceſſitas, quis non acerbam in me vicem,
Fortunæ, iniqua fata quis non iudicet?
Ah ne Deorum ſancta religio, caſtaq́;
Pietas, diem illum conſpicer, facite precor
Euanidus tenues in auras ſpiritus
Diſcedat, antequam nefanda hac me obrui,
Fœdaq́; calamitate viuum ſentiam.

Nondum ſcit feciſſe ſe quod facere metuit

CH. *O Rex grauem hæc præbent mihi moleſtiam:*
Sed tu tamen rem omnem niſi probè ex eo
Reſciueris, animum caue deſpondeas.
Paſtore niſi in illo reliqua iam nulla ſpes.
IO. *Vbi ille venerit facere quid cogitas?*
OE. *Dicam tibi. quòd ſi tuis conſentiat*
Dictis, iam ego calamitate liber hac ero.
IO. *Quid ex meo ſermone præcipuum tenes?*
OE. *Impreſſione facta cum à latronibus*

Caſum

Cæſum ex eo audiuiſſe te narras: at hunc
Numerum ille ſi protulerit, haud ego perij.
A pluribus aliud, aliud ab vno eſt mori.
Si factum ab vno dicet ille, clarum erit
Quicquid mali eſt, in me vniuerſum vergere.
I O. *Hoc tu tibi perſuadeas certò, neq; hoc,*
Quod dixit, inficiarier rurſus queat.
Non ſolum ego, ſed tota præſens audijt
Hæc ciuitas, atque vt aliqua à prioribus
Diuerſa vrbis proferat, non ita tamen
De cæde Laij loquetur, vt Deus
Oraculo pronunciauit, dextera
Fore filij vti caderet mei, qui ſanè eum Putat filiũ expoſitum perijſſe.
Haud interemit, antè morti deditus.
Quapropter ad vaticinium quod attinet,
Nec huic, nec illi adhibere te fidem velim.
O E. *Rectè loquuta es, at fac ex operarijs*
Aliquem ocyus mittas, caue hoc omiſeris.
I. *Mittã, nec vlla erit mora, neq; quicquã agam in (vita,*
Niſi quod tibi gratum fore intellexero.

CHORVS.

Aſclepiadei Glyconici Anapæſt. Iambici varij generis.

O *Vtinam hæc mihi*
Contingat felicitas,
Verbis vt hæreat meis
Tactiſq; omnibus inuiolabili
Fœdere puritas.

Tan-

In legib. vis latet diuina. huc facit, li. 2. ff. de ll.

» *Tantum illa cordi fixa, quæ arduæ*
» *Sanxêre leges, rutila*
» *Natæ ſiderei per loca verticis,*
» *Non mortali progeneratæ*
» *Natura, ſed quarum ipſe Deus*
» *Solus pater eſt: has neq; ſopiet*
» *Vnquam lethæis obliuio*
» *Tincta fluentis.*
» *In hiſce magnus ſe Deus abdidit.*
» *Nec ſenium vnquam debile ſentient.*
» *Iniuria peperit tyrannum.*
» *Iniuria vbi multa temere*
» *Abſurda, inutilia, atque noxia,*
» *Multa imtempeſtiuè*
» *Alia aliꝭs adiecit,*
» *Atque ad ſupremum inuecta eſt*
» *Faſtigium, cultorem*
» *Agit in præceps, atque vbi rectis*
» *Figere terram negligunt paſsibus,*
» *In funeſtum trahit exitium.*
At quæ fauſta futura eſt vrbi,
De Laij cæde inquiſitio
Fiat, ne'ue hoc è medio auferat
Certamen, Deum
Ex animo rogo, nihil inſtituam,
Niſi præſide Deo, nil geram.
» *At qui iuſtitiam deſpicit, & manu,*
» *Dicto'ue ſacras violat leges,*

Quem

Quem nullo metu »
Relligio imbuit, »
Nec diuûm colit aurea templa, »
Si inauſpicatas vitæ »
Sectarier quò poſsit »
Delitias, iniuſtus inhiat »
Lucris auarus, nec ſcelera impia »
Horret, nec ab intactis dexteram »
Stultus temperat, »
Triſti hunc Parca extio perdat. »
Atqui quis mortalium »
Vitet ſagittas, atque »
Sæuos refrenet animos, »
Si vitia non vitio, ſed »
Potius honori dentur? »
Quid ducere amplius me
Choros iuuet ſolennes?
Quid me pietas adigat,
Vt inacceſsum terræ
Petam vmbilicum, vel, quæ
Viſuntur Abis, ſplendida fana,
Aut in Olympia?
Si non vt digitis monſtrata,
Palàm innoteſcant omnibus.
At tu qui arbitriò cuncta regis tuo,
Iupiter alme,
Si iuſtas audis preces,
Hæc ne immortale tuum imperium

Hęc & quę præcedunt,

R *Lateant,*

Chorus dicit, motus ſermone Ioeaſtes, quæ videbatur velle detrahere auctoritatem oraculis.

Lateant, nunc antiqua oracula
Olim data Laïo eleuant,
Nec claris viget amplius
Augur Phœbus honoribus.
Diuina peſſum eunt.

IO. *O vrbis huius principes, animo incidit*
Meo, Deorum adire delubra, his manu
Sumptis corollis, atque epithymiamate.
Cruciatur infeſtis dolorum fluctibus
Miſerè, nec, vt fultum decet prudentia
Virum, retrò quæ geſta ſunt, animo notat,
Nec ab his recentia colligit nulliſq́, quàm
Diros metus qui nuntiant, aurem applicat.
Solando ego, atque commonendo cùm nihil
Iuuo, Lycee Apollo, proximus es enim,
Supplex breui ad te cum prece venio, malis
Crudelibus nos his ſine infami eripe
Te quæſo macula. omneis trepidus habet pauor,
Perculſum cum vt nauis magiſtrum turbidis
Dum conſpicamur impediri fluctibus.

Hic eſt ille qui olim Oedipum expoſitum Polybo obtulerat.

NVN. *Nunquid docere me poteſtis, hoſpites,*
Vbi ſit tyranni regia Oedipi domus?
Vel ipſe potius Rex vbi ſit, edite.

CH. *Hæc tecta ſunt, ô hoſpes, ipſe autem intus eſt.*
Mulierq́, quam vides propè, illi liberos,
Quos habuit omneis, mater edidit.

Hoc ad liberos referē

NVN. *Precor*
Felix ſit illa, diuq́ cum felicibus

Vitam

Vitam exigat, perfecta quandoquidem vxor eſt.
IO. *Idem tibi quoq;, hoſpes, precor. nam dignus es*
Ob verba tam boni ominis. ſed dic mihi
Quod huc tibi iter eſt? quid adfers nuntij?
NV. *Grata adfero domui huic, tuoq; coniugi.*
IO. *At qualia illi quæſo, tuq; vnde aduenis?*
NV. *Adſum è Corintho, id eloquar compendio.*
Sunt læta, quid ni? ſed dolori erunt tibi. (ambigo
IO. *Quid id eſt? duplex hic quam vim habet ſermo,*
NV. *Telluris incolæ Iſthmiæ, ſic fama erat,*
Iam regni ei deferre ſceptra cogitant.
IO. *Sed non potitur rerum adhuc Polybus ſenex?*
NV. *Non: mors ſepulcro illũ atra concluſum tenet.*
IO. *Quid ais? Polybus obijt'ne?*
NV. *Niſi verum loquar,*
Mori haud recuſo.
IO. *Quid famula ceſſas hero*
Iam nuntiare hæc. ô Deorum oracula,
Vbi nunc, vbi eſtis? hunc virum ne occideret
Pauida hæſitans formidine, voluntarium
Abijt in in exilium Oedipus, quem nunc liquet
Fato ſuo occubuiſſe. non manu Oedipi.
OE. *Cariſſima mulierum animo Iocaſta meo,*
Quæ eſt cauſſa, cur me huc euocaſti ex ædibus?
IO. *Audi quid hic tibi nuntij vir adferat,*
Pariterq; tecum expende, qualia nam iſta ſint
Vaticina, & veneranda Diuûm oracula.
OE. *Quiſnam vxor eſt? & quid noui fert nuntij?*

dum' interpres Græcus notat. Nam vbi liberi non ſunt, Hom. vocat domum ἡμιτελῆ.

Exitu huius feminæ monemur non eſſe inuehẽdum in res diuinas.

IO. *Venit Corintho ille, atq; ſublatum patrem*
Obiſſe Polybum nuntiat mortem tuum.
OE. *Quid dicis hoſpes? ipſe rem mihi explica.*
NVN. *Si nuntium ordiri hinc meum neceſſe ſit,*
Vixiſſe mortalem ſcias, & mortuum.
OE. *Sed quo modo? morbi'ne vi, an periјt dolo?*
„ NVN. *Sopit ſenilia membra momentum leue.*
OE. *Morbis, vt audio, miſer extinctus iacet.*
NVN. *Longoq; edacis tritus æui tempore.*
OED. *Heu heu, quid amplius futuri præſcias*
Triumph' ante victoriam. *Spectamus attoniti Deorum aras? quid eſt*
Liquidum per æthera amplius clangor auium,
Quod ſcrupuloſos terreat animos? at his
Ego ducibus patrem eram interempturus meum,
Extinctus ille terræ atros ſubiјt ſinus,
Atq; hic ſum ego intactas gerens ferro manus.
Sed quis ſcit? immodico ille mærore potuit
Tabeſcere, vt deſiderio obierit mei,
Et hac queat ratione dici à me quoque
Occiſus. at ſecum omnia Polybus irrita
Stygias in oras tranſtulit vaticinia.
IO. *At nunquid hæc longè antè prædixi tibi?*
OE. *Ita trepidus tranſuerſum agebat me pauor.*
IO. *In poſterum itaq; animum caue moueat tuum.*
OE. *At non matris vitare me thalamos decet?*
„ I. *Quid in animũ inducat homo metuere, quẽ potẽs*
„ *Fortuna lætis prouehit ſucceſſibus?*
„ *Incerta rerum prouidentia omnium eſt.*

Teme-

Temere inſtituere vitam, & vt quiſq; eſt potis, „
Duco optimum. nec eſt ſceleſtos quod matris „
Vereare concubitus tuæ. Sunt plurimi
Fallace ſomni faſcinati imagine,
Cum matribus qui ſe putarent congredi.
At vitam opinor ille agit ſuauiſſimam,
Quicunq; talia otioſus negligit.
OE. *Rectè omnia es loquuta, ſi modo illa, quæ eſt*
Me enixa, mater, mortem obiſſet, verùm adhuc
Auris quia fruitur ſuperſtes ætheris,
Quamquam bene loqueris, cauendum erit tamen.
IO. *Sed maximus oculus ſepulcrum patris eſt.*
OE. *Scio quidem, maximus. at in viuis dum agit,*
Non conuenit metu vacare.
NVN. *Cuius at*
Mulieris angi te timore prædicas?
OE. *Meropes, ſenex, quæ nupta cum Polybo fuit.*
NVN. *Quid eſt metus quòd illa cauſſam præbeat?*
OE. *Profecta terrifica à Dijs oracula.*
NVN. *Dicere'ne licet, an ſcire id alios eſt nefas?*
OE. *Olim tremendos Delphicæ mihi paginæ*
Cecinêre concubitus matris, patriumq́; me
E cæde dira manibus hauſturum meis,
O ſcelera, ſanguinem. hac Corintho cauſſa me
Iam olim procul habitare miſerum compulit.
Rectè id quidem ac feliciter: veruntamen „
Oculos parentum aſpicere iucundiſſimum eſt. „
NVN. *Horum temere'ne illa ab vrbe tu exulas?*

Magnum argumentũ eſt, quod vt oraculũ de patre vanũ fuit, non euẽturũ etiã quod de matre prædictum fuit.

OE. *Ne cæde polluerer, ſenex, patris mei.*

NV. *Sed cur ego, ex animo tibi quando cupio,*
Non protinus, Rex, hoc metu te libero?

OE. *Digna meritis gratia tuis habebitur.*

N. *Atque huius ergo huc veni, vt in domos redux*
Tuas, viciſsim aliquid mihi faceres boni.

OE. *Nunquam ad parẽteis conferam gradus meos.*

NV. *O fili, vt euidenter apparet graui*
Rerum tuarum te teneri inſcitia.

OE. *Qui ſic, ſenex, te per Deos rogo, me doce.*

NV. *Si hoc te tenet, ne patrios repetas lares.*

OE. *Phœbea ne eueniant metuo vaticinia.*

NV. *Ne quod trahas piaculum à parentibus?*

OE. *Ipſum hoc, ſenex, me ſemper hic agitat timor.*

NV. *Sed cauſſa nulla eſt, cur eo angaris metu.*

OE. *Cur cauſſa nulla? nunquid illis ſum ſatus*
Parentibus?

NV. *Cognatione generis haud*
Vlla tibi parte Polybus coniunctus eſt.

OE. *Quid ais? parente nónne ſum Polybo ſatus?*

NV. *Aequè ex eo, atque ex hoc viro prognatus.*

OED. *At*
Cum patre illo ſum editus,
Quid illud æquè?

NV. *Sed vt nec ex me, ita ex eo haud prognatus es.*

OE. *Cur filium igitur nominabat me ſuum?*

NV. *E manibus olim muneri accepit meis.*

OE. *Id arctiori cauſſam amori præbuit,*

Quod ab aliena acceperat datum manu?

NV. *Id liberorum præſtitit penuria.*

OE. *Aliunde ne emptum, an liberis è proprÿs*
Me illi dediſti?

NV. *Imo nemoroſis arduus*
Vbi ſinuat ſeſe Cythæron vallibus,
Te repperi.

OE. *Quid, vt illa adires loca, tibi*
Erat negotÿ?

NV. *Per alta collium*
Qui pabulabantur iuga, ſequebar greges.

OE. *Gregibus'ne præfectus tu eras, mercedeq́;*
Capta ferebas huc vagum atque illuc pedem?

NV. *Seruator illo tempore tuus extiti.*

OE. *Quibus inuolutum me deprendebas malis?*

NV. *Indicio erunt mali huius, articuli pedum.*

OE. *Eheu veteris vt memoriam renouas mali!*

NV. *Recèns foratos vinculis ſolui pedes.*

OE. *Eheu probroſum hoc, ac graue in cunis onus*
Sum faſciarum expertus.

NV. *Et Fortuna ab hac,*
Tumoreq́; pedum nomen eſt tibi Oedipo.

OE. *Per te Deos, à patre, an à matre inditum?*

NV. *Ignoro. qui mihi te dedit, ſcit rectius.*

OE. *Me'ne ab alio accepiſti, an ipſe nactus es?*

NV. *Paſtor alius quidam mihi te tradidit.*

OE. *Quis ille? nunquid explicare id mihi potes?*

NV. *Ex Laÿ ille erat, vt opinor, familia.*

OE. *Eius'ne qui Rex huius olim vrbis fuit?*
NVN. *Sic eſt, magiſter regij is pecoris erat.*
OE. *Vita'ne adhuc fruitur, videre illum vt queam?*
NVN. *Id rectius terræ incolis huius liquet.*
OE. *Veſtrum'ne aliquis eſt, qui propè hic conſiſtitis,*
Qui, quem hic refert, pecoris magiſtrum nouerit?
Seu ruri eum, ſiue hac in vrbe viderit,
Illum indicet: retegi iſta tempus poſtulat.
CH. *Non arbitror de alio loqui illum, quam de eo,*
Quem rure iam euocari iuſsiſti. ſed hoc
Rectiſsimè Iocaſta ipſa poterit dicere.
OE. *Scis'ne, mulier, an eum iſtius ſermo innuat,*
Quem rure nunc accerſier mandauimus?
IO. *Quem hic innuit? noli moueri, nec ea, quæ*
Loquutus eſt, temere apud animum rumina.
OE. *Minimè hic tibi obſequar. ſed hæc cũ ſigna nũc*
Ita comperi euidentia, haud ceſſauero,
Dum, quo genere ſim natus, intellexero.
IO. *Ne per Deos, ſi vita tibi cordi eſt tua,*
Inquirere iſta deſinas precor. ſatis
Sit nunc tibi ægritudinis languor meæ.
OE. *Bono es animo: tu enim, etſi ego inde à tertia*
Vſque genitrice triplici ſeruus prober
Ratione, nihilo peior æſtimabere.
IO. *Tamen obſecro Oedipe, hic mihi morem gere.*
OE. *Id mente fixum eſt, veritatem inquirere.*
IO. *Sed mente recta prædita id quod optimum eſt,*
Tibi conſulo,

OE. *Sed*

OED. *Sed optimum hoc diu mea*
Sæuo dolore exulcerat præcordia.
IO. *O te miſerum, vtinam genus nunquam tuum*
Nouiſſe tibi contingat.
OE. *Ocyus huc mihi*
Paſtorem aliquis adducat, atque hanc diuitem
Gaudere ſinite generem.
IO. *Vah tibi miſero:*
Solum hoc enim, appellare te quo nunc queam,
Nomen relictum: hanc vltimam à me vocem habe.

Abit Iocaſte mortem ſibi illatura,

CH. *Quonam illa iam conceſsit effreni Oedipem*
Dolore concitata? vereor ne in graue
Tandem malum prorumpat hoc ſilentium.
OE. *Nihil moror, quod poſsit, eueniat. meum*
Ego, etſi humile, cognoſcere cupio genus,
Illam, vt ſuperbo præditam animo feminam,
Ignobili me ſtirpe prognatum pudet.
Fortunæ ego me filium arbitror: illa mem
Fauore donec proſequatur candido,
Non eſt quod vllam infamiæ hîc timeam notam.
Nam matre ſum illa genitus, atqui menſium
Cognata turba, humili ſtatuêre me loco,
Rurſusq́, in altum ſuſtulere. proinde ego
Tali indole genitus haud verebor, quale ſit
Genus meum, indagare diligentius.
CH. *Vates ſi ego ſim, neque nunc*
Certa, ac futuri fallat
Præſaga mens, Olympum

Idē genus, quod in ſuperiore choro.

Chorus vt bonum ciuem decet, omnia de principe meliora ominatur.

Teſtor, Cithæron, antè
Lumina fulgebunt quam craſtina,
Certo conſtabit tibi, quo Oedipus
Populo dubiam traxit originem,
Laude vt alumnum, laude vt matrem
Dulci extollere, celebrare choris
Atque hymnis poßim reſonantibus.
Optata euenient regibus hæc meis,
Hæc quoque iaculator Apollo tibi
Grato ſedeant animo.
Quis, te fili, quis te genuit
Superûm Deorum? an Nympha
Solis montibus errans, Panis
Concubitus paßa Dei?
Aut te intonſi filia Phœbi?
Huic rupes celſæ, huic iuga paſcua
Grata feruntur: ſeu Cyllenij
Qui alto regnat vertice montis?
Seu Bacchus Deus,
Qui colles colit arduos?
Fortè Heliconiadum te ex quapiam,
Quarum luſus, quarum amat & iocos,
Nympharum celebrem edidit.
OE. *Si quid mihi conijcere de hoc licet ſene,*
Quicum nihil fuit vſque adhuc commercij,
Videre paſtorem mihi videor iam eum,
Quem quærimus: ſenilis ætas congruit,
Cùmq́; hoc viro æui æqualitas, & corporis

Habitu-

Habitudo, maximè miniſtros cùm meos
Agnoſco, per quos ducitur. fortè melius
Tu noueris, cùm illum antè ſæpe videris.
CH. *Noui equidem ego. nam Laij, ſi quis alius,*
Fidelis hic ſemper habitus paſtor fuit.
OE. *Te primum igitur interrogo Corinthie*
Hoſpes, vir hic ne ſit, modo de quo mihi
Loquutus es?
NV. *Is ipſe eſt.*
OED. *Senex me reſpice,*
Effare quæ te interrogabo, Laïj
Aliquando tu fuiſti?
SER. *Ego ſeruus fui*
Domi educatus verna, non emptus alibi,
OE. *Cui deſtinatus eras labori? quæ tua*
Vita fuit?
SER. *In paſtu gregis potiſsima*
Aeui peracta eſt pars mei.
OE. *Quibus in locis*
Es commoratus plurimum?
SER. *Vbi ſe in æthera*
Tollit Cithæron, ac in agris proximis.
OE. *Nunquid vir iſte illic tibi notus fuit?*
SER. *Quid ille fecit? quem mihi refers virum?*
OE. *Hunc, qui tibi aſtat, dic age, nihil'ne alicubi*
Vnquam fuit cum eo tibi commercij?
S. *Haud prōpta ita mihi memoria viget, prima vti*
Agnoſcere facie eum queam.

N. Nec

NVN. *Nec mirum here.*
Sed quæ excidêre, in memoriam reducam ego.
Nam ſat ſcio fore memorem. præfectus vt
Vbi arduus ſurgit Cithæron, duplici
Fuerit gregi ille, at vni ego, vitamq; ibi
Tolerauimus ſimul, integris, à tempore,
Quo ver caput protulerat, vſque ſub humidi
Orientia Arcturi aſtra menſibus tribus:
Hyemeq; ſquallida imminente, ſepta ego
In mea meum, ille in Laij ſtabula ſuum
Pecus coëgit. an'ne ſic ſe res habet?
SER. *Vera loqueris, longiq; facta temporis.*
NVN. *Age meminiſti te mihi dare puerum,*
Vti pro alumno illum educarem ego meo?
SER. *Quæ cauſſa rem te inquirere iſtam permouet?*
NVN. *Hic ipſus eſt amicè, qui tum infans erat.*
SER. *In peſſimam crucem faceſſe. quin taces?*
OE. *Ah ne ſenem tu hunc increpes: verba potius*
Tua reprehenſione digna, quàm illius.
SER. *Quanã cedo in re, Domine, nunc peccaui ego?*
OE. *De infante reſpondeto, quem hic tibi refert.*
SER. *Delirat ille, ac fruſtra in hoc ſudat.*
OED. *Bona*
Cum gratia explicare ſi iſta rennuis,
Mox faxo lugens huc adigêre fuſtibus.
NVN. *Ne per Deos ne quæſo verberes ſenem.*
OE. *Pòſt terga aliquis huic vinculis liget manus.*
SE. *Hei miſer ego. cur id? quid eſt quod ſcire vis?*

OE. *Pue-*

OE. *Puerum'ne, de quo ait, dediſti quondam huic?*
SER. *Dedi. ſed vtinam eo mihi vitam die*
Mors abſtuliſſet.
OE. *Auferet nunc ea, niſi*
Quod fas & æquum poſtulant, reſponderis.
SER. *Si dixero, multò peribo atrocius.*
OE. *Nil quàm moras hic nectit.*
SER. *Haudquaquam. iam enim*
Dediſſe me ſum faſſus.
OED. *Vnde adeptus? ex*
Tuis'ne proprium, ab alio an tibi traditum?
SER. *Non ex meis, accepi ab alio traditum.*
OE. *A quonam igitur ex ciuibus? quanam è domo?*
SER. *Ne plura, Rex, ne quæſo plura inquirito.*
OE. *Actum eſt, periſti, ſi ſecundò interrogo.*
SER. *Quidam ex familia Laÿ,*
OED. *Seruus'ne, an ex*
Eius propinquis?
SER. *Hei mihi malo hæreo,*
Verſorq́ eodem ſi eloquar.
OED. *Et ego ſi audiam:*
Sed quicquid eſt, tamen audiendum eſt.
SER. *Filium*
Ipſius eſſe fama erat. Sed optimè
Regina id intus, vt ſe habeat, expedierit.
OED. *Ab ea'ne tibi datus fuit?*
SER. *Certè, fuit.*
OED. *Cuius rei, dic, gratia?*

SER. *Vt eum perimerem.*

OED. *Quæ enixa erat mater?*

SER. *Timore oraculi.*

OEDI. *Cuius?*

SER. *Perempturum eſſe eum proprium patrem.*

OE. *Cur igitur illum huic reliquiſti ſeni?*

SER. *Miſerebat infantis, ſimulq́; ſpes erat,*
Quod in alias transferret oras, in quibus
Natus erat ipſe: maxima aſt puerum in mala
Superſtitem ſeruauit. atque tu, ſi is es,
Quem hic dicit, infauſto es creatus ſidere.

OE. *Miſero hei mihi, manifeſta tota res patet.*
Tragicæ querelæ. *O fulgidum ſolis iubar, nunc vltimum*
Te contuor. Sum natus è quibus fuit
Naſci nefas, quos cogitare erat ſcelus,
Ego pollui toros, peremi eum, cui
Has lucis auras atque vitam debeo.

Anapç. Iāb. dimet. catalect. & acatalect. mixti.

CHO. *Infelix hominum genus.*
" *Vt nunc, incolumis tibi*
" *Donec vita manet, te nihili*
" *Aeſtimo! quis enim vnquam hominum tanta*
" *Sorte beatus vixit, quantam*
" *Omnibus exoptaret votis,*
" *Quem non Fortunæ poſt tandem*
" *Rapidi obruerint turbines?*
" *Proinde tuum exemplum intuens,*
Fortunæq́; tuæ conſiderans
Incertas vices,

Locus de fragilitate, & viciſsitudine rerum humanarum.

Oedi-

Oedipe, ter miſer Oedipe,
Nullum omnino inter mortales
Verè beatum cenſeo.
Tu ſiquidem ad extremum iam
Felicitatis culmen
Prouectus omni ex parte es
Cunctis beatus habitus.
Summe ô Iupiter,
Vnguibus vt crudelis aduncis,
Verſusq́; edens virgo cruentos,
Dextra occubuiſſet tua,
Funeſtas, quibus hæc mea patria
Exagitata eſt, contra cædeis,
Fortis ſtetiſti, vt turris ahenea:
Hinc regio potitus
Titulo atque ſceptris,
Celebri cum honore Thebas
Imperio regis.
At fama nunc vt perhibet,
Quis calamitoſior te?
Quem tam laborioſis
Sæuisq́; curarum vndis,
Quem triſtiori noxæ
Rerum viciſſitudo
Inuoluit Oedipe vnquam?
Qui portu eodem exceptus
Cum patre concidiſti, at
Te, quo modo paterni

Cubi-

Cubilia tori, quo illa
Modo ſpacio adeò longo
Ferre tacita potuere?
Deprendit inuitum te
» *Tandem, quod intuetur*
» *Quæcunque fiunt, tempus.*
Damnat nefandos coïtus,
Matremq́ꝫ, filiumq́ꝫ.
Hei Laio prognata
Infauſta proles, vtinam
Poſthac, vtinam nullo
Te conſpiciam tempore.
Me ærumnæ cogunt tuæ
Lacrymoſo ore
Voces edere lugubres.
Vera loquor. fugientem tu mihi
Potuiſti olim ſiſtere ſpiritum:
At nunc æternas in tenebras
Lumina claudis.

Nuntius exponit ſuſpēdium locaſtes.& excęcationęm Oedipi.

ALTER NVN. *O Principes, columina Thebani ſoli*
Decoraq́ꝫ celſa, heu qualia oculis, qualia
Facta haurietis auribus? quem triſtibus,
Si Labdacea ſeriò, vt debet, domus
Vobis adhuc curæ eſt, modum doloribus
Statuetis? haud equidem Iſter ea, quæ in hac domo
Abſcondita latent mala, Phaſiſq́ꝫ perennibus
Vnquam eluant fluminibus: illaq́ꝫ mox palàm
Claras in auras proferentur omnia,

Cogente

Cogente nullo, ſponte commiſſa omnia.
Atque illa, quæ vltrò ſibi quis accerſit mala, ”
Acerbiore ſemper vrgent vulnere. ”
CH. *Nihil à prioribus iſta differunt malis,*
Atrocia ea erunt vt alia. at quæ ſint, refer.
NVN. *Sermonis vt compendio dicam, atque vos*
Intelligatis, mortua Iocaſte iacet.
CH. *O calamitoſam. at quæ repentinæ necis*
Fuiſſe cauſſa fertur?
NVN. *Ipſamet ſibi:*
Et facinoris quod huius eſt triſtiſsimum,
Abeſt. nec enim oculis videre rem licet:
Sed mente quod mihi memori hæret, audies
Caſus acerbos feminæ miſerrimæ.
Ira vt flagrans veſtibula ſeſe intra domus
Recepit, in connubiales irruit
Furibunda thalamos, vnguibus crudelibus,
Manu vtraque dilacerans capillos, nec mora,
Fore obſerata, Laij Manes vocat,
Fœtus memoria veteris extimulata, qui
Cauſſam necis ei præbuerat, & filio
Matrem ſuo ſe procreandis liberis
Miſeram relictam flebat, & cubilia
Vbi maritum de marito, vbi liberos
Ex liberis infauſta genitos pepererat.
Sed quo modo poſt mortem obierit, neſcio.
Horrendo enim clamore in ædeis Oedipus
Irrupit, illius miſerabilem exitum vt

Inſpicere non licuerit. Oculi in Oedipum
Circum vagantem fixi erant: ille arma nos
Poſcens obambulabat arma, atque coniugem
Non coniugem, matriſq; fundum duplicem
Suum ac ſuarum prolium, quonam in loco
Reperiret inquirens. dum ita furit, en Deus
Neſcio quis, indictum facit: nam, qui propè
Aderamus, id noſtrum indicauit nemo: tum
Dira edita voce, haud aliter atque ab aliquo
Abreptus, in gemina impetum inſilit oſtia.
Immo reuulſis cardine ſeris, ac ſtatim
In intima irruit tori cubilia,
Reginam ibi laqueo implicatam tortili
Pendêre conſpicimus. at ille eam intuens
Fremere horridùm occipit, ſimulq; cingulum
Pendens relaxat, ore prociduus humum
Mæſto ferit, ſpectaculum heu mæſtiſſimum,
Nanque aureas, ſubnexa quibus erat, illius
Cùm ſuſtuliſſet veſtimento fibulas,
Oculorum ÿs confodere cœpit pupulas,
Clamans nec illam ſe, mala neque propria,
Quæ paſſus eſſet, quæq; perpetrauerat,
Coram intueri ſuſtinere iam amplius:
Sed quod ſuperforet æui, in atris peragere
Statuiſſe tenebris, vt ne eos, videre quos
Nefas foret, conſpiceret, aut quorum indigus
Eſſet operæ, cognoſceret, quæ vocibus
Sæpe geminatis perſonans, lacerat genas,
Oculoſq;

Oculoſq́ apertis palpebris, ſpurcataq́
Facies madeſcit pupularum vulnere,
Nec humida per ora tantum ſanguinis
Guttæ fluunt, ſed imbris inſtar decidunt
Atri cruoris flumina, neque calamitas
Ab vno ea emanauit, at ſimul viri
Et mulieris commiſta ſunt mala, atque quæ
Felicitas vero vocata nomine
Olim fuit, conuerſa ea eſt iſthoc die
In dedecus, gemitumq́, noxamq́, & necem,
Ac omnium, quæcunque dicendo exprimi
Poſſunt, malorum aceruum.
CHO. *At in quo nunc mali*
Genere miſer verſatur?
NV. *Exclamat vt fores*
Pandantur, vt iam parricida, vt & matris
(Sed impios ego adeo, & execrabile
Non audeo ſonos referre) ciuibus
Spectandus exhibeatur omnibus, & humo
Excedat hac, domoq́, tam multiplicibus
Diris caput defixus, ipſum ſe quibus
Deuouit. auxilio atque duce aliquo indiget,
Morboq́ nullis viribus tolerabili,
Affligitur, monſtrabit ipſe id nunc tibi,
Aperiri enim clauſtra forium audio, tale nunc
Viſurus es ſpectaculum, quod hoſtibus
Mouere miſericordiam feris queat.
CH. *O atrox aſpectu clades,*

Anapæſt. *Et, quam vnquam mihi cernere contigit,*
Cunctarum atrociſſima clades!
Quis, miſer heu, te furor inuaſit?
Quis Fortunæ caſus acerbæ
Sic te exercet? quis fatis tuis
Infelicibus ærumnarum
Tam grauium nunc cumulum adiecit?
Hei, hei ter miſer. at neque te oculis
Aſpicere queo, etſi ferat animus
Multa inquirere, multa audire,
Dicere multa, at nihil horum queo,
Tantus pectora concutit horror.
OE. *Hei, hei, hei.*
Heu me miſerrimũ, hei vbinam gentium
Infelix ago? vox mihi quas volat
Miſſa per auras?
Fortuna ô quônam euaſiſti?
CH. *Verſa in diras anxietates*
Trux auditu, trux aſpectu.
OE. *O denſæ tenebræ, execrabilis*
O caligo, vt me oppreſſiſti
Infanda, indomita, aſpera, væ mihi,
Vah iterum mihi, quam parili gradu
Me aggreſſi ſunt ſtimulorum dolor
Noxarumq́; memoria?
CH. *Mirum nihil tantus malis nunc obrutum*
Te duplici luctu affici, atq; duplices
Perferre calamitates.

OE. *O fi-*

OED. *O fidiſſime amicorum, tu*
Conſtans, indiuiduus tu comes
Hæres, nec me deſeris.
Miſeri tibi cura manet cæci,
Non me tua cura fugit.
Quanquam obſcura nocte ſepultus,
Agnoſco vocis ſonitum tuæ,
CH. *Heu quam nefanda machinatus? quo modo*
Potuiſſe te dicam ita oculos affligere?
Quis te Deûm incitauit immortalium?
OED. *Apollo, amici, Apollo*
Huc me malorum adegit,
Anguſtias in haſce,
Curasq́; me coniecit.
Ictus ſed oculis nemo
Sua manu dedit, ego
Miſer, ego ſum auctor. quorſum
Mihi luminum acies? quorſum?
Cui dulce, quod viderem,
Nihil poterat offerri.
CHO. *Res ſic, vti dicis, habet.*
OE. *Quid quæſo quod videre, quod diligere, quod*
Iam cum voluptate loqui, & audire ego queam,
Mihi reliquum eſt? exigite,
Exterminate, amici,
Peſtem, perniciem feram
Diris deuotum crudelibus,
Diuis inuiſum caput omnibus

Procul à vobis amolimini.
CH. *Ah duplici miſer modò vrgeris malo,*
Quamq́; ſit acerba calamitas, intelligis.
O quàm velim nunquam mihi fores cognitus!
OE. *Peſsima mors illum auferat,*
Aſpera quiſquis pedibus dempſit
Vincula noſtris, qui per paſcua
Abiectum ſilueſtria,
Ne morerer, ſeruauit.
Nulla illis, nulla à me
Tam ſæuis debetur
Gratia meritis.
Tum tum tempus erat, quo
Minimo poteram amicorum,
Minimo meo dolore,
Reddere vitam.
CHO. *Idem quoque ego factum velim.*
OED. *Tunc neque miſeri rabidas*
Cæde parentis maculaſſem manus,
Nec ſponſus illius fuiſſem
Dictus, in auras quæ me ediderat.
At nunc miſer ex ſceleratis ſatus,
Sobolem ex ea excitaui,
Quæ me genuerat. ſi quod
Sit peſsimis vſquam malis
Atrocius malum, illud
Rectè queat dici Oedipus ſortitus.
CH. *Non video conſilium hoc tuum probarier*
Qui

Quî poſſit. ego non eſſe ſatius arbitror, "
Quam viuere orbatum ſuäui lumine. "
OE. *Quod optimè hæc non fecerim, nec me doce,*
Nec conſule amplius. quibus apud inferos
Oculis patrem, quibus intueri vnquam matrem
Ego potuiſſem? ſcelera ſic grauius luo,
Quæſita quàm ſi mors mihi laqueo foret.
At liberorum aſpectus eſt dulciſſimus, "
Sed germinantium, videndi eos patri "
Etiam vt voluptas poſſit accedere. ego'ne "
Oculis meis hæc mœnia aſpicere queam,
Turreisq́ue, ſanctaq́ue ſimulachra numinum,
Quibus hominum miſerrimus ego me vrbe in hac
Bene educatus, voce priuaui mea?
Lege ſtatuens exterminari illum impium,
Illum Deûm ſententia, atque à Laïj
Genere habitum impurum. hanc cùm ego labē meā
In vulgus ipſe protuli, quo modo oculo
Aſpicere recto hos ſuſtinerem? ſi quoque
Auditus obſtrui meatus, & aurium
Fontes queant, nulla mora, quin parte etiam ea
Infame corpus clauderem, cum oculis vti
Mihi ſimul adimeretur vſus aurium.
Senſum mali extra habitare, dulce eſt in malis. "
Eheu Cithæron me iugis quare tuis
Olim recepiſti, aut receptum me illico
Non enecaſti? nunquam id, è quibus miſer
Eſſem ſatus parentibus factum palàm

Fuiſſet, ô Polybe, ô Corinthe, ô patrij
Verbo lares, ah quale me, ſub regia
Specie, atque forma ſplendida, ſanie tetra
Putridum hulcus educaſtis? ipſe nunc malus,
Et ex malis prognatus eſſe reperior.
O tres viæ, ô opaca nemora, atque virides
Syluæ! ô cruenti anguſta compita triuij,
Quæ manibus è meis paternum ſanguinem
Bibiſtis, ecquid adhuc facinora, quæ tum ego
Feci, tenetis memoria, & loca hæc petens
Quæ perpetraui? heu nuptiæ, heu nuptiæ
Generaſtis hic me, atque ſimul vt generaſtis, heu
Scelus, eadem remittitis mox ſemina,
Vteroque matris regeritis fœtum impium.
Fratres, patreſq́;, liberoſq́;, & ſanguinem
Cognatum, & vxorem matreſq́;, atque breuiter
Commiſcuiſtis omnia, & fœdiſſima,
Inter homines quæcunqne habentur, crimina,
" *Sed turpe quod factu, eloqui turpe arbitror.*
Vos per Iouem ocyus alicubi occultate me,
Aut interimite, aut præcipitem in æquor date,
Vt ne mei vobis videndi occaſio
Superſit vlla, ite miſerabilem virum
Contingite manu, obtemperate, nec timor
Vos cohibeat: nanque mala, præter me, mea
Haud ferre quiſpiam queat mortalium.
CH. *Sed en, peropportunè adeſt nobis Creon,*
Qui quæ petis, facere, atque conſilium vtile

Dare

Dare poterit: commiſſa enim loco tuo
Terræ huius eſt illi viro cuſtodia.
OE. *Hei quo ore eum appellabo? quæ fides mihi*
Iuſta apud eum queat eſſe? tam multis modis
Aduerſus illum cùm antè fuerim iniurius?
CR. *Non Oedipe huc irriſor aduenio, aut tibi*
Vt inſolenter calamitates exprobrem.
At nulla ſi mortalium reuerentia
Vos tangit, omnia populantem fulgidi
Metuite flammam ſolis, ac piaculum hoc
Pudeat retectum exponere oculis omnium.
Quod terra, nec delapſus imber æthere,
Nec alma lux hæc perferet: quàm ocyſſimè
Intra domos portate: nanque ſanguine ,,
Natura quos coniunxit, vt ſoli audiant, ,,
Soliq́; videant conſcij inter ſe ſuas ,,
Ipſi miſerias, ius & æquum poſtulant. ,,
OE. *Sed falſa quia de te mea fuit opinio, vt*
Nunc euidenter colligo, vir optimus
Ad ſcelere multiplici inquinatum beneuolè
Poſtquam venis, te per Deos obteſtor, vt
Obtemperes mihi: tuam, haud meam rem agam.
CR. *Quid id eſt, quod obnixè adeò fieri poſtulas?*
OE. *Quàm ocyſſimè hac tellure nunc exigite me,*
Eoq́; redigite hominum vbi nullum alloquar.
CR. *Factum hoc fuiſſet, niſi ſubijſſet à Deo,*
Quid factum erit neceſſe, prius exquirere.
OE. *Atqui de ea re iam editum eſt oraculum,*

 Vt par-

Vt parricida, & impius perdar ſtatim.

CR. *Ita hæc quidem prolata ſunt, ſed quo ſtatu*
Negotium eſt, quid factu opus, quærendum erit.

OE. *Rurſus'ne de miſerrimo hoc viro Deum*
Conſulere ſtatuiſtis?

CR. *Tuus caſus, tua hæc*
Miſeria conciliabit numini fidem.

OE. *Te adhortor itaque, & oro, quale tu voles*
Ei, perempta quæ domi miſere iacet,
Statuas ſepulcrum. iuſta enim peragere te
Tuis decet. ſed patria hæc me, dum hauriam
Auras, ſuum nunquam vrbs videbit incolam.
Tu ſaltuoſis me ſine agere in montibus,
Celſis Cithæron aſtra vbi ferit iugis,
Meus Cithæron, quem pater iam proprium,
Materq́; ſedula dedicauerant mihi
Viuo ſepulcrum, vt quo loco illi me morì
Conſtituerant, ibi moriar: nanque hoc ſcio,
Nec peſte, fati nec alia violentia
Potuiſſe me interire. nam nunquam à nece
Certa fuiſſem liberatus, niſi Dŷ
Malum ad aliud, ad ingens reſeruaſſent malum.
Sed noſtra fata quo ire cœperunt, eant.
Tu maſcularum prolium nulla Creon
Angare ſollicitudine, viri ſunt, quibus,
Quacunque vitam tranſigent orbis plaga,
Nunquam inferet manus egeſtas. virginum at
Solum mearum cura me, quæ miſeriam hei

In ſem-

In ſempiternam procreatæ, me ſine
Nunquam cibum ſumpſêre, nec menſa niſi
Vſæ mea, quascunque tangebam dapes,
Deciſa earum ipſis dabatur portio.
Me cura miſerarum angit. Ah manibus meis
Contingere illas, atque mala lugere me
Permitte, age ſine, ô Rex, ſate optimis age
Parentibus. nam ſi manu contingere
Per te licebit, ita tenere eas mihi
Videbor, ac cum lumine fruerer ætheris.
Quid dico?
Cariſsimarum nónne vocem hic audio
Lacrymantium gnatarum? & huc eas Creon
Mei miſertus miſit, omnibus è meis
Dulciſsima, & amantiſsima pignora prolibus?
Quid dico? *(præbeo,*
CR. *Vera loquere, & ego adſum ipſe, qui hæc tibi*
Illius optimæ voluptatis memor,
Erga tuam olim qua affici prolem ſoles.
OE. *Dij te beent, & huius ob moleſtiam*
Viæ, anxiè, quàm me, magis cuſtodiant.
O filiæ vbinam eſtis? iam adeſte, ad has fratris
Veſtri appropinquetis manus, quæ lumina
Veſtri patris ſplendentia antè, tam feris,
Vt nunc videtis, taminauérunt modis:
Qui ignarus, imprudenſq; vobis, filiæ,
Ex qua genitus eram, ipſe genitor extiti.
Veſtram gemo vicem, aſpicere vos non queo,

Cùm

Cùm vitæ imago, quam aſperis doloribus
In poſterum plenam exigetis, hei ſubit.
Quibus intereſſe ciuium congreſſibus,
Quæ feſta adire vnquam poteritis, vnde non,
Loco voluptatis, refertos lacrymis
Sinus domum ſitis relaturæ? ac vbi
Tædas inire vos iugaleis ipſe flos
Maturus æui hortabitur, quiſnam ille erit,
Quis deſpicatui ita liberos habet ſuos,
Vt ſic eos abijciat, in ſe turpia
Adeò recepturus probra, à parentibus
Veſtris, meisq́ qualia in eorum caput
Effunderentur? quid mali reliquum eſt? pater
Patrem ſuum veſter peremit, propriam
Fœdauit inceſtu matrem, vnde prodijt,
Atque ex ijs vos progenuit, vnde ipſe erat
Prognatus. Hæc tam fœda vos manent probra.
Quis igitur hei, quis vos tori ſocias volet?
Nemo eſt futurus. filiæ expertes tori
Iugalis, incultasq́ vos tabeſcere
Voluere fata. Menetij ô proles, pater
Quia ſolus his relictus es: nam nos, eas
Qui genuimus, perijmus ambo, ne precor
Negligas egenas, abſque præſidio virûm,
Iunctas neceſſitudine, incertisq́ iam
Locis vagabundas, nec ex meis malis
Metire miſerarum innocentiam: illæ ita
Tenera, vt vides, ætate, ſubſidioq́ iam

Sunt

Sunt deſtituta omni, niſi te ſentiant
Patronum: earum quæſo miſericordia
Mouearis, annue precibus meis, manum
Miſeris, vir optime, porrige. aſt ô filiæ
Iam multa veſtri commonendi gratia
Dicere animus ferret, capaces ſi meæ
Præceptionis eſſe iam ætas mollior
Vos non vetaret: nunc id aſſiduis Deos
Votis precemini, vt ea, quæ vobis erit
Vita peragenda in poſterum, illa, quàm fuit
Veſtro patri, vobis cadat felicior.

CR. *Sufficit, quò te rapit luctus tam acerbus Oedipe?*
Quin domos intra gradus fers? Trochaici, vt in Græco vſque ad finem.
OE. *Obſecundandum eſt, licet*
Id mihi minimè volupe ſit.
CR. *Pulchra cenſentur loco* „
Facta tempeſtiuo, idoneoq́ue. „
OE. *Scis quid nunc agam?*
CR. *Cùm eloqui iam id te audiam, ſciam.*
OED. *Huius vt terræ procul*
Finibus me extermines.
CR. *A me, quod in Dijs eſt ſitum,*
Poſtulas.
OE. *Sed me obruit, ſi quem vſpiam, Diuûm furor.*
CR. *Sic quod ardẽter Deos poſcis ſtatĩ tibi accidet.*
OED. *Serio'ne hoc aſſeris?*
CR. *Non ſoleo, quam ſentio, ſecus*
Loqui ego.

OE. *Nunc*

OED. *Nunc itaque ex loco me hoc amoue.*
CR. *Ambula igitur, &*
Liberis abſiſte.
Trochaici tetrametri. OE. *Ne omneis iam mihi, quæſo, abſtrahas.*
CR. *Ne obtinere cuncta poſtules, quæ enim antè iam, Oedipe, es*
Conſequutus, non adhæſerunt tibi ad vitæ exitum.
C. *Patriæ inclyti vrbis incolæ, videte: hic Oedipus,*
Qui doloſum ſoluere ænigma irritatæ nouerat
Sphingis, inſigni vir excellentia, quem praua nec
Ciuium æmulatio, nec ſplendidarum vis opum,
Mente ſolida flectere potuit, videte quam feras
Fluctuũ nunc in procellas actus eſt præceps miſer?
„ *Proinde tu, quicunq; mortalis ſatus, ſemper diem*
„ *Vltimum cõſidera, atq; neminem, antequã vltimũ*
„ *Non dolore vllo fatigatus, nec ærumnis feris*
„ *Vitæ egreſſus terminũ eſt, vnquam beatũ prædica.*

Biturigibus Menſe Octobri.

M. D. IXL.

FINIS OEDIPI TYRANNI.

ARGV-

ARGVMENTVM
OEDIPI COLONÆI, EX GRÆCO.

ARGVMENTVM huius Fabulæ coniunctum eſt, & quodam modo dependet ab Oedipo tyranno. Nam affecta iã ætate patria pulſus Athenas venit, à filia Antigone manu ductus. Feminarum enim, quàm maſculorum, vehementior erat erga parentem amor. Proficiſcitur autem Athenas voce oraculi monitus, vt ipſe ait, quo vitam commutaturum apud σεμνὰς θεὰς (ſic enim ibi Eumenides appellabantur) reſponſum fuit. Chorus conſtat ex ſenibus Athenienſibus, qui ad Oedipum accedunt,& cum ipſo colloquuntur. Interea ſuperuenit Iſmene nuntians filiorum inteſtinas ſeditiones, Creõtiſq; ad ipſum profectionẽ: Is adeſt,vt ipſum abducat,ſed re infecta reuertitur. Portò Oedipus oraculo Theſeo expoſito, mortem apud Deas oppetit. Fabula hæc apud omnes magna in admiratione habetur, quam ſenectute iam confectus Sophocles conſcripſit, non ſolum patriæ, verumetiam genti ſuæ gratificans, erat enim κολωνόθεν, vt populum ſuum celebriorem redderet. Maximè autem ſtudio illi fuiſſe videtur gratificari Athenienſibus, quod inuictos, hoſtiumque ipſos ſuorum victores fore Oedipus innuat. Prędicit ipſis bellum aliquando cum Thebanis futurum, ſed propter oracula, quæ de ſua ſepultura edita erant, potituros victoria.

Aliud argumentum etiam è Græco.

FORTVNA Oedipi ſatis explicata eſt in ſuperiore Oedipo. Oculis enim orbatus in Atticam proficiſcitur,ab vna filiarum ductus, ſubſiſtitque in delubro Erinnydum,quod in equeſtri Colono eſt, ſic nominato, quoniam & Neptuno templum eſt equeſtre & Prometheo, quo in loco muliones ſubſiſtunt. Oraculo monitus ſciebat ſe ibi ſepulturam conſequuturum. Vbi igitur Prophano impuroque locus non erat, ibi conſidet, quæque ad Fabulam hanc ſpectant,peraguntur. Ex accolis enim quiſpiam illum videns abit, aliiſque nuntiat quendam eo in loco conſediſſe, qui Chori perſonam ſuſtinentes accedunt de omnibus inquiſituri,ſed itinere peracto, principiò cum filia colloquuntur.

Mirabi.

Mirabilis omnino,qualēq; haud temere reperias, diſpoſitio eſt huius Fabulæ. Actio in Attica conſtituitur in Equeſtri Colono propè delubrum Eumenidum. Chorus conſtat è ciuibus Athenienſibus. Cicero huius Tragœdiæ meminit cùm in lib. v.de Finib. tum in Catone Maiore,cuius verba hîc libuit ſubijcere,

Sophocles ad ſummam ſenectutem Tragœdias fecit, qui propter ſtudium cùm rem familiarem negligere videretur, à filijs in iudicium vocatus eſt, vt quēadmodum,noſtro more,malè rem gerentibus patribus bonis interdici ſolet: ſic illum quaſi deſipientem à re familiari remouerent iudices. Tum ſenex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat,& proximè ſcripſerat,Oedipum Colonæum recitaſſe iudicibus,quęſiſſeque,num illud carmen deſipientis videretur:quo recitato ſententijs iudicum eſt liberatus.

Valerius item Maximus centeſimum propè annum Sophoclem attigiſſe ait,atque ſub ipſum propè tranſitum ad mortem hanc Tragœdiam ſcripſiſſe, qua ſola inquit Fabula, omnium eiuſdem ſtudij Poëtarum præripere gloriam potuit.

Proponuntur autem hîc exempla præmiorum,quę pietatem liberorum erga parentes, & pœnæ, quæ impietatem comitantur. Item quantum ponderis atque momenti habeant parentum in peruerſam prolem imprecationes.

Diris agam vos, inquit Horatius, *diraq; imprecatio Nulla expiatur victima.*

Neque irritę fuére Oedipi execrationes in contemptores patris liberos,inter quos regnum quod patris ſalute,atque caritate potius habuere, ſanguine diuiſum eſt.

Admiſcentur multa inſignia, & digna exempla memoria. Nihil tam firmum,aut ſtabile eſſe, quod non leui etiam occaſione aliquando diſſiliat. Quæ arctior eſt coniunctio,quàm patris,& filiorum,quàm fratrum inter ſe? Illam tamen eandem tam firmis colligatam à natura vinculis,odijs atque diſſidijs labefactari. Sic etiam nullam conſtantem,aut perpetuam eſſe beneuolentiæ inter vrbes & regna fiduciam, fœderaque iuriſiurandi religione ſancita, conuelli. Quod futurum inter Athenienſes, & Thebanos prædicit Oedipus.

PER-

PERSONAE FABVLAE.

OE DIPV S.

ANTIGONE.

CHORVS ſenum Atticorum.

ISMENE.

THESEVS..

CREON.

POLYNICES.

NVNTIVS.

T SOPHO.

SOPHOCLIS
OEDIPVS COLO-
NÆVS.

PRAEFATVR OEDIPVS.
Iambici trimetri.

CAECI *parentis filia, Antigone, ac ſenis,*
Dic quas in oras, quam'ue ad vrbē venimus?
Quis exulem, incertisq́; oberrantem locis,
Iſtoc die tenuiſſimis dignabitur
Muneribus excipere Oedipum, exigua quidem
Rogantem, at exiguo auferentem etiam minus?
,, *Id quod tamen ſat eſt mihi, fera calamitas,*
,, *Longiq́; ſpacia æui, atque frangi neſcia*
,, *Animi indoles generoſa conſulere hæc boni*
,, *Docuere me. proinde ſi quam tu alicubi,*
O gnata, ſedem ſeu profanam, ſeu Dijs
Etiam dicatum conſpicis lucum, me ibi
Iam ſiſtito, atque collocato, vt tandem vbi
Simus locorum, exquirere mihi ſit integrum.
,, *Quid factu opus ſit, hoc peregrinos decet*
,, *Auditum ab incolis libenter exequi.*
AN. *Miſerande genitor, arduis, quantum eminus*
Licet videre, vrbs cincta turribus iacet.
Atq́; hic, vt ego quidem puto, quem premimus, eſt
Locus Dijs ſacratus, id olea plurima,
Viridiq́; denſa germinans laurus coma,

Viteſq; conſitæ arguunt, & intima
Parte nemoris ſuaueis canoro gutture
Luſciniæ fundunt ſonos. tu nunc rudi hoc
Saxo reclina membra: repſiſti huc enim,
Longinquiorem, ac pro ſene, emenſus viam.
OE. *Compone me, cæcumq; cuſtodi patrem.*
AN. *Me tempus hoc ſatis, & tuæ ærumnæ monent.*
OE. *Dic, ſi potes, quo, nata, conſtitimus loco?*
AN. *Sunt notæ Athenæ, quis locus ſit hic, latet.*
Illud viator quilibet confirmat: at
Quis hic ager ſit, vis'ne perquiram alicubi?
OE. *Volo nata, ſi modò locus ſit habitabilis.*
AN. *Habitatus eſt, ſed abire me hinc nihil eſt opus:*
Nanq; prope iam quidã eſt gradũ huc qui dirigit.
OE. *Huccine mouet veſtigia?*
AN. *At iam præſto adeſt.*
Si quid libebit quærere opportunum erit,
Exquire, præſens aſtat.
OE. *Hoſpes audio*
Ex virgine iſta, quæ vice duorum, ſimul
Pro ſe atq; pro me, fungitur iam luminis
Vſura, in ipſo tempore huc nobis ades,
Speculator, vt quæ inquirere volumus, explices.
HO. *Plura antequam ex me ſciſcitêre, ſedibus*
Statim hiſce greſſus efferas: hunc, quem premis,
Locum profano terere flagitium eſt pede.
OE. *Quis eſt locus? cui'ue numini ſacer?*
HO. *Nec tangere, nec habitare fas hunc eſt agrum:*

Terrificæ eum tellure, & atro Erebo editæ
Tenent Deæ.
OE. *Quænam? venerandarum vt lubens*
Iam nomen audiam.
HO. *Omnia videntes ſolet*
" *Hic populus Eumenidas vocare, alia alibi*
" *Vocabula vſus obtinet.*
OE. *Sed beneuolè*
Me ſupplicem excipiant precor, ſede hac ego
Nunquam pedem efferam.
HO. *Quid hoc rei eſt?*
OE. *Meæ*
Vides miſeriæ ſymbolum.
HO. *Te pellere hinc*
Vrbe inſcia non auſim. Eo, vt quid ſit in re hac
Mihi facto opus, ſtatim queam intelligere.
OE. *Per te Deos oro, hoſpes, incerta exulem*
Hunc ſede oberrantem ne in animum induxeris
Habere deſpicatui. dubia explica.
HO. *Exquire: nec enim vilis à me habebere.*
OE. *Dic quis ſit, in quo conſtitimus ager?*
HO. *Id quidem*
Quod ego ſcio, lubens tibi impartiuero.
Ager iſte totus eſt ſacer, rapidi arbiter
Neptunus æquóris, & Olympo lucidam
Qui detulit facem Prometheus occupant.
At quam premis terram, æream hæc tellus viam
Nuncupat, Athenienſium eſt firmiſſima

Tutela propugnaculumq́; ciuium.
Vicina ſed quæ iugera agricolæ ſerunt,
Colonum equeſtrem hunc præſidem implorāt ſibi,
Omnesq́; nomine ab illius nomen ferunt. Coloniatæ dicti.
Atque hæc quidem uſu ipſo magis ſunt nota, quàm
Sermonibus, fama'ue.
OE. *Sunt itaque hæc loca,*
Hoſpes, qui inhabitant?
HO. *Sunt, Deoq́; ipſi incolæ*
Cognomines.
OE. *Princeps'ne, an imperij tenet*
Populus habenas?
HO. *Qui præeſt vrbi, loca*
Hæc Rex gubernat.
OE. *Quis ita firmus robore, &*
Sapientia eſt princeps?
HO. *Patre ſatus Aegeo*
Theſeus.
OE. *Quis è vobis ad illum nuntius*
Se conferet?
HO. *Quorſum? quid illi nuntij*
Portabit, an'ne vt veniat huc hortabitur?
OE. *Pro minimo vt auxilio lucrū ingēs auferat.*
HO. *Quid ab oculis capto homine ſperetur lucri?*
OE. *Quæ proferentur, verba mea oculata erunt.*
H. *Ne hallucinere, hoc te, Hoſpes, admonitum volo,*
Nanque generoſa in te relucet indoles,
Fati licet ſorte vrgearis aſpera.

Tantiſper hoc, quo cónſtitiſti nunc loco,
Vicina dum hæc qui compita colunt, eſſe te hic,
Denuntiem, mane: illi enim ſententiam
Ferent, manendum'ne hic, an aliò abeundum erit.
OE. *Filia, abijt'ne iam hoſpes?*
AN. *Abijt, liberum eſt,*
Quæcunq; ſuggerit animus, tutò loqui,
Ac otioſè, nullus audiet arbiter,
Sum ſola ego.
Precatio ad Eumenidas OE. *Veneranda ſemper ô mihi numina, ô truces*
Viſu Deæ, poſtquam in ſacros vobis agros
Fortuna me deduxit, oro, Apollini
Iam vos mihiq; vt præbeatis beneuolas,
Is, multa fatidico ore cum mihi mala
Subeunda prædixiſſet, ærumnis meis
Tandem fore requiem aſſerebat, quando ego
Extremam in oram peruenirem, vbi ardua
Fana venerandarum patent Dearum, ibi
Hoſpitia fatis mihi ſtatuta propitia,
Vitæq; miſeris aſperæ doloribus
Deſideratos exitus, bono quidem
His, beneuolè qui me reciperent, ſed graui
Malo, ſuis qui finibus depellerent:
Manifeſtaq; huius editum iri ſigna, vel
Telluris imis concitæ penetralibus
Dirum tremorem, fulguris'ue flammeas faces,
Aut pectora pauida commouens tonitru Iouis.
Et nunc palàm cognoſco vobis hanc viam

Me ducibus ingreſſum, ô Deæ, in vobis ſacrum hūc
Veniſſe lucum, ſtatuere nec aliter queo,
Quod exul ex quo oberro, primæ vos Deæ
Fuiſtis, in quas incidi, inq́; abſtemias
Abſtenius, corpusq́; laſſatum rudi hac
Atquè impolita ſede repoſui. at Deæ
Date quæſo, ſortes iuxta Apollinis, exitum,
Tandem hic mihi, inuiſæq́; vitæ huius aliquam
Cataſtrophen, niſi haud ſatis vobis adhuc
Videar maiorum paſſus, extrema omnium,
Quæ cadere in hominem vllum queāt, qui pertuli.
Adeſte dulces veteris Erebi filiæ,
Et vos adeſte, à maxima quæ Pallade
Nomen celere geritis, Athenæ, ô omnium
Vrbs ſplendidiſſima, moueat miſerrimi
Vos Oedipi ſimulachrum, & vmbra: nam vetus
Quod habuit olim corpus, id contabuit.
AN. *Sile pater, ſedis tuæ arbitri, vt puto,*
Aetate iam affecta gradum huc ſenes ferunt.
OE. *Silebo. tu me extra hanc viam abripe, alicubi*
Denſi abde latebris luci, vt inde verba, quæ
Hi conferunt, queam excipere. diſcendi enim "
In diligentia gerendarum bene "
In poſterum rerum haud minima ineſt cautio. "
CH. *At circumſpice, quiſnam eſt? vbinam habitat*
Longinquis extorris ab aruis, Anapæſt.
Quem nullus ſatiare locus poteſt? Senes quærunt Oedipum.
Reſpice ſicubi illum conſpicias.

Effare, vbinam eſt, vbinam
Vagus atque ſenex exterus?
Incola ſi eſſet, inacceſſum atque
Nullis contritum veſtigijs,
Virginibusq́; dicatum intactis,
Nunquam ſubijſſet nemus,
Quarum proferre exhorreſcimus
Pauidi nomen, quas aſpicere
Nemo ſuſtinet. oculis in humum
Fixis tacitus tranſit quilibet.
Mente precamur tacita
Dextro auxiliatrices
Numine vt adſint.
At nunc rumor eſt
Trochaici mixti Anapæſt. *Appuliſſe quendam,*
Nulla quem verendi
Cura numinis tenet:
Quem quocunq; oculos circumfero,
Qua ſacer lucus patet,
Quo loco conſtiterit
Haud queo reſcire.
OE. *Hic adeſt quem quæritis.*
Captus oculis, etſi
Neminem veſtrum videre poſſim,
Veſtros percepi ſermones.
CH. *Eheu viſu horribilis,*
Horribilisq́; auditu.
OE. *Ne me quæſo vt pollutum*

Aſpicite.

Aſpicite.

CHO. O depulſor portentorum
Iuppiter, hic quiſnam eſt ſenex?

OE. Nulla ſorte beatus
Vnquam, huiuſce ô terræ præſides.
Nec præ me obſcurè meam
Fero Fortunam. nanque alienis
Nunquam huc repſiſſem oculis,
Grandæuusq́ ſenex à virgine
Tenera ducerer.

CH. Infelicem te oculorum orbitas,
Longiq́ æui ſpatium reddit.
Sed non recident in noſtrum caput
Diræ horribiles. monui,
Ne progrederere vltrà,
Progrederis, progrederis.
Sed ne taciturnum in nemus irruas
Gramine viridante obſitum,
Irriguus vbi dulcis aquæ fons
Melle temperata
Pocula præbet.
Hæc miſer omnibus, ô hoſpes, modis
Procul effuge, diſcedas, aliô
Fugitiuos transfer pedes.
Longa nos adhuc via
Separat, audis'ne ærumnoſe
Exul? ſi quicquam ex me
Percontari animus fert,

Ex inacceſsis ſtatim
Te locis ſubducito.
Hîc vbi fas, atque
Sancta relligio ſinit,
Fare quod libebit:
Antequam illinc greſſus
Moueris, caue loquaris.
OE. *Quid nunc filia reſtat agendum?*
» AN. *Ciuium iam moribus*
» *Nos neceſſe attemperare eſt,*
» *Congrua illorumq; ſtudijs*
» *Confouere ſtudia oportet, atq;*
» *Cedere illis etiam*
» *Nullo monitos verbo.*
OE. *Nunc manum igitur porrige.*
AN. *Porrigo.*
OE. *Hoſpites, ne quæſo lædi*
Me ſinatis, ne mihi
Id rogo fraudi ſit,
Si ex his, veſtro conſilio nunc
Fretus, excedam locis.
CH. *Nemo te inuitum, ſenex, hac*
Sede protrudet.
OE. *Longius'ne adhuc eundum eſt?*
CH. *Longius procede.* OE. *Adhuc?*
CH. *Promoue puella longius,*
Tu vides quo nos loco conſiſtimus.
AN. *Sequere ô genitor,*

Quò

Quò te filia deducit tua,
Quamuis infirmis, ne dubita
Pedibus ſubſequi.
Peregrinis peregrinus in oris
Miſerande parens hoc age, ciuitas
Quod dignum odio ducit, tu quoque „
Hoc execrare, & quod carum habet, „
Carum id tu quoque vt habeas, conuenit. „
OE. *Duc igitur me filia,* „
Atque locis me ſiſtito licitis,
Vnde alternas exaudire, ac
Reddere voces fas ſinit, vt ne
Dura cum neceſsitate „
Bella geramus. „
CH. *Hic conſiſte,* „
Nec pauimentum hoc pedem vltra
Promoue hoſpes.
AN. *Síccine?*
CH. *Satis eſt.*
OE. *Aſt vbi ſedebo?*
CH. *Summo hoc, hoſpes,*
Membra repone ſenilia ſaxo.
AN. *Hoc, pater, meum eſt, gradum*
Quàm fieri poterit placidiſsimè
Aptare tuo gradui,
Corpus imbecillum ſenio
Amante dum inclino manu.
OE. *Heu miſeras ærumnas.*

C. *Miſe-*

CH. *Miſerande ſenex, poſtquam monitis*
Obſequere meis, dic mortalium
Quis te genuit? quis te immenſis
Confectum ærumnis agit?
Quæ tibi patria eſt?
OE. *Patrijs eiectus agris exulo.*
Sed ne quæſo.
CH. *Quid vero eſt quod rennuis?*
OE. *Ne, ne, ne, ne percontêre*
Qui ſim, plura inquirere deſine.
CH. *Quidnam hoc eſt?*
OE. *Miſera prognatus progenie.*
CH. *Qua tandem? profare.*
OE. *Hei mihi filia quid loquar?*
CH. *Quo generatus ſemine,*
Hoſpes, ede, quis pater tibi?
OE. *Hei mihi filia, quid me fiet?*
AN. *Non vereare effari, extrema*
Iam mala ſuſtines.
OE. *Equidem dicam, nec enim poſſum*
Hoc celare diutius.
CH. *Nimium differs, edere propera.*
OE. *Laio'ne ſatum quendam noſtis?*
CHO. *Eheu, eheu.*
OED. *Veterum è ſtirpe*
Labdacidarum.
CHO. *Summe ô Iuppiter.*
OED. *Infortunatum Oedipum.*

CH. *Tu'ne ille Oedipus?*
OE. *Ne metuas, quod mecum*
Nunc ſermones conferas.
CH. *Hei, hei, hei.*
OE. *O me miſerum.*
CH. *Hei, hei.*
OE. *Hei quid nobis filia fiet?*
CH. *Quamprimum iſta excedite terra.*
OE *Sed vbi promiſſa manent?*
CH. *Nullam meritus pœnam eſt,*
Qui prior ictus, referit. »
Sic fraus fraude retunditur, »
Auctoriq́ dolorem, hanc »
Reddit gratiam. »
Proinde his effer greſſum ſedibus, »
Terraé́ huius climata linque,
Ne quam noſtræ vrbi quoque cauſſam
Concilies mali.
AN. *O queis virtutis honos*
Cordi eſt, hoſpites,
Quandoquidem iam feſſi
Longa ætate parentis
De facinoribus non ſpontaneis
Vocem audire renuitis,
Saltem vos Fortunæ, ô hoſpites,
Miſereſcat meæ:
Quæ pro ſolo ſupplex patre
Deprecor, haud velut ignota oculis

Oculos

Oculos intueor cæcis tuos:
Sanguinis arcto ſed iuncta velut
Vobis nexu adſum, huius ſenis vt.
Vos reuerentia miſeri moueat:
Spes noſtra in vobis, tanquam in Deo,
Fixa recumbit.
Agite obſecro, hanc
Gratiam inexpectatam annuite.
Per ego, ſi quid carum
Animo hæret tuo,
Seu dilecta propago prolium,
Seu, quas nunc fundo, preces,
Seu tua diuini tenet
Pectora numinis ardor,
„ *Obſecro. quis diuinæ*
„ *Vitare queat verbera dextræ?*

CHORVS.

Iambici Trimetri.

ACerba quæ vos calamitas verſat, facit
Nos Oedipi vt miſereſcat, & pariter tui.
Verum Deorum ſancta relligio animos
Timore noſtros concutit, nec alia, quam
Quæ diximus, referre poßumus. ſat eſt.

Fama celebritas falſa inutilis.

OE. *Quod gloriæ, famæ'ue, ſi vana eſt, decus?*
Quæ ue amplitudo digna laude? quid iuuat
Pietate quòd celebres Athenas prædicant?
Et ſola quæ afflictos miſerijs hoſpites
Solet fouere, & eſſe præſidio? hæc quidem

Quàm

Quàm vera ſint, me docuit experientia.
Veſtris enim obſecutus ego monitis ſimul
E ſedibus pedem extuli ſacris meum,
Nunc his miſerum etiam fugare prædijs
Molimini, idq́; mentione nominis
Sola mei perterriti: nam corporis
Huiuſce, facinorumq́; triſtium, quæ ego
Perpeſſus eſſe verius dici queo,
Quam perpetraſſe, non quatit animos timor.
De matre enim, ac de patre ſi nunc ſit mihi
Dicendum, ob hos vmbram quoque fugitis meam.
Certum hoc habete, ô hoſpites, violentia
Me potius huc, quam impurus, aut ſcelere flagrans
Animus adegit: reppuli vim vi, vt ſciens
Si perpetraſſem, haud iure dicerer impius.
Nunc inſcium Fortuna me dira obruit,
In eas q́; præcipitauit, in quibus miſer
Nunc verſor, illa anguſtias: iniuriam
Illi intulerunt, à quibus ego olim fui
Propè perditus ſcientibus. quare, hoſpites,
Vos per Deos ſupplex precor, monitus vti
Obtemperans veſtris loco egreſſus ſacro
Pedem extuli, nunc ſupplici viciſſim opem
Feratis, vt ne dum Deorum numina
Vos colere creditis, Deos oraculi
Contemptione negligere videamini.
Facta impia æquè atque pia conſpiciunt, nihil »
Illos latet, nec ſupplicia merita impij »

Vn-

» *Vnquam effugere potuere. quocirca caue*
Pietatis illuſus ſpecie inani, impÿs
Facinoribus celebres Athenas obruas.
Sed ſupplicem vt fide data accepiſti, ita
Serua ac tuere, calamitoſum nec caput
Hoc intuens iniurÿs affeceris.
Sacratus adſum atque pius, innumeraq́; iam
Huiuſce ciuibus vrbis adfero commoda.
Vbi ſceptra qui terræ huius obtinet, aderit,
Illi omnia explicabo. tu interea precor
Ab impÿs tibi temperes opprobrÿs.

Nihil impiè faciendu ſub prętextu pietatis.

CH. *Narratio nos perculit, ſenex, tua*
Perſtricta verbis haud breuibus, ac principi
Hæc ſi recenſeantur, id ſat erit mihi.
OE. *Sed rex huic qui vrbi imperat, ubi eſt, hoſpites?*
CH. *Patriæ vrbis ille mœnia colit, atque qui*
Me huc euocauit, aduocatum etiam eum abit.
OE. *Cacíne curam habiturũ eũ illam huius putas,*
Vt non grauetur huc venire protinus?
CH. *Quid ni? tuum ſimulatq; nomen audiet.*
OE. *Quis nomen illi nuntiaturus meum eſt?*
» CH. *Longa eſt via, ac familiare iter facientibus*
» *Plerumque oberrare varÿs ſermonibus.*
Horum audiens aliquem ille, non dubita, aderit
Huc illico: ſic nominis ſenex tui
Iam fama terram hanc peruagatur: ſi ſopor
Illum profundus occuparet, attamen
De te audiens, huc mox ſine mora accurreret,

OE. *Fauſto*

OE. *Fauſto ille pede veniat ſuæq́ urbi, & mihi,*
Quis enim bonus ſibi eſſe rennuat utilis?
AN. *O Iuppiter, quid dicam ego? quid cogitem?*
OE. *Quid hoc rei Antigone?*
AN. *Mulierem conſpicor.*
Huc illa properat, impigro inſidens equo,
Lateq́ ſolem arcente Theſſalico caput
Velata tegmine. quid loquar? eam ne eſſe iam, an
Non eſſe dicam? incerta mens mihi fluctuat.
Aio, nego, nec quid miſera dicam, ſcio:
Nulla alia, id oculorum venuſtus indicat
Aſpectus, haud aliam eſſe quam Iſmenem, pater.
OE. *Quid gnata ais?*
AN. *Me filiam tuam, ac meam*
Conſpicere properantem huc ſororem, idq́ tibi iam
Facile erit ex voce edita cognoſcere.
IS. *O patris, ac ſororis omnium mihi*
Dulciſſimorum capitum amabiliſſima
Alloquia, quanta difficultate miſera
Vos repperi, atque nunc dolore præ graui
Aſpicere vix vultus queo miſerabileis!
OE. *O nata ades?*
IS. *Miſerabilis viſu ô pater.*
OE. *Prognata eodem ô ſanguine.*
ISM. *Calamitatibus*
Exercitatæ diris alumnæ.
OED. *O nata iam*
Apparuiſti?

Prodit Iſmene altera Oedipi filia nuntiatura diſsidia fraterna.

V IS. *Haud*

IS. *Haud abſq; difficili meo,*
Pater, labore.
OE. *Amplectere ô filia patrem.*
IS. *Amplector en ſimul duos.*
OE. *Hanc ne, atque me?*
ISM. *Et*
Me calamitoſam tertiam.
OE. *Cur filia huc*
Greſſus tuliſti?
IS. *Mota ſollicitudine*
Tui pater.
OE. *Mei'ne ſollicitudine?*
IS. *Vt ipſa coràm nuntiarem quæ volo,*
Comitata ſeruo adſum fideli hoc vnico.
OE. *Verum quid adoleſcentium fratrũ agit cohors?*
I. *Quod agunt, agunt, turba inter illos orta atrox.*
OE. *Vt legibus conformem ij vitam exigunt*
Aegyptijs: illic viros domi abditos
Telas ſedentes texere, vxores foris,
Quæ poſcit vſus, comparare aiunt mei,
Subire quos foris labores par erat,
Domi velut teneræ ſedent virgunculæ,
At vos vice illorum graueis cauſſa mea
Perfertis ærumnas miſeræ: etenim hæc ſimul
Pucrilis æui tempora egreſſa, tenerum
Firmauit ampliore corpus robore,
Mecum aſſidua fuit, huc & illuc, quo tulit
Fortuna, oberrauit, parentis dux ſenis:

Seſoſtrin Aegyptiorũ regẽ aiũt vt effeminatiores ſuorũ animos redderet. legẽ tuliſſe, vt viri muliebribus officijs frangerentur, & virilibus mulieres, &c. latius hic interpres Gręcus

Sæpe

Sæpe nemoroſa per loca inediæ, ac famis
Patiens, pedeq́; nudo vagata, iniurias
Cæli, igneos feruentis æſtus ſideris,
Imbreſq́; pertulit algidos, quibus domi
Poterat frui beata, vt indignam patris
Compeſceret famem, neglexit commoda.
At nata tu clàm egreſſa Cadmeis patri
Quæ corpore data de hoc fuêre oracula,
Fideliter renuntiaſti, fidaq́;
Cuſtos mei extitiſti, in exilium miſer
Cùm abigerer: at nunc nuntij quid fers patri?
Quæ turba feruet? qui tumultus bellici
Domi excitati? non vacua venis, ſcio,
Timoris alicuius noui mihi nuntia ades.
IS. *Quas paſſa ſum ærumnas, pater, dum te auia*
Per omnia inueſtigo, nunc exponere
Superſedebo, nec lubet eundem mihi
Et ſuſtinendo, atque referendo deintegro
Dolere bis dolorem: at inter liberos,
Nefanda, quæ orta ſunt, tuos mala venio
Nunc vt tibi explicem. Creonti num forent
Cedendæ habenæ regni, in ipſis omnium
Contentionis mutuæ prima extitit
Occaſio, ſceptra occupare regia
Ipſi nefas exiſtimabant, ſcelere ne
Vrbem inquinarent, generis infami nota,
Polluta qua olim tua fuit domus, animos
Stimulante: nunc autem à Deorum quopiam,

Aut execrabili Cupidine potius
In ſpem excitati flebilem tyrannidis,
Atque occupandi regni, in infandas ruunt
Miſerasq; cædeis: ac minor natu quidem
Patria expulit, ſceptrisq́;, Polynicem fratrem
Ortu priorem: rumor ora per omnium
Conſtãs volat eum Argos profectum eſſe exulem,
Affinitatem ſibi nouam vt paret, & noua
Auxilia cogat, ad aſtra vt Argos euehat,
Et fertiles Thebani agros premat ſoli:
Atq; hæc quidem haud nudis modo ſermonibus
Nunc ventilantur, re geruntur, denique
In facta prorupêre. quando ſed Deus
Fortunæ acerbæ, qua angeris, miſerebitur,
Infauſte genitor, explicare tibi haud queam.
OE. *Tempus futurum aliquando ſperas, filia,*
Vt Dÿ malis me ab his propitÿ liberent?
IS. *Quid ni? futurum id Delphicæ ſortes canunt.*
OE. *Quæ quæſo? quod de me editum eſt oraculum?*
IS. *Fore tempus vt quo regna ſtabiliat ſua,*
Cadmea te propago viuum, & mortuum
Efflagitet.
OE. *Quæ roboris ſpes in homine*
Ita miſerè affecto reliqua ſit alicui?
IS. *Tu columen illis, ac ſalutis ſola ſpes.*
OE. *Poſtquam nihil ſum, tunc vir eſſe ego ferar?*
IS. *Qui proruêre te, Dÿ nunc erigunt.*
» OE. *Qui cecidit infans, erigere graue eſt ſenem.*

IS. *Sed*

IS. *Sed cauſam ob hanc mox affuturus huc Creon.*
OE. *Quid quæſo facturus? mihi id gnata explica.*
IS. *Vt te potitus limites regni propè*
Conſtituat, haud tamen ingredi fines ſinat.
OE. *Quænam foris iacentis vtilitas erit?*
IS. *Extera in humo ſtructus tuus tumulus, grauem*
Fato feret iis noxiam.
OED. *Deo ſine*
Humana quæ ſcrutetur hæc prudentia?
IS. *Et cauſſam adeò ob hanc limina propè patriæ*
Statuere te terræ volunt, ſed ſic, tuæ
Vt ne voluntatis tibi ſit arbitrium.
OE. *Et mortuum Thebano humabunt puluere?*
IS. *Sed hoc paternus haud ſinit fuſus cruor.*
OE. *Nunquam mei illi corporis erunt compotes.*
IS. *Damnoſum id eſt Cadmi futurum ciuibus.*
OE. *Quam ob, filia, id rerum viciſſitudinem?*
IS. *Iram ob tuam, quando tumulo inſiſtent tuo.*
OE. *Quæ loqueris, ex quo hominum audiiſti, filia?*
IS. *Ex his, ab ara qui redibant Delphica.*
OE. *De me hæc'ne fatidico edidit ſono Deus?*
IS. *Sic qui reuerſi ſunt, ferunt.*
OED. *E filiis*
Hæc quiſpiam audiuit meis?
ISM. *Vterque ſcit.*
OE. *Hæc audière peſſimi, ac poſita patris*
Cura ſui, regnum appetentes dimicant?
IS. *Dolore differor audiens, fero tamen.* »

 OE. *Vti-*

Parentum imprecationes rarò ſũt irritæ.

OE. *Vtinam hoc mihi tribuant Deorum numina,*
Fatalis huius ne faces belli ſinant
Extingui: ego contentionis, pugnæ ego,
Qua mutua ſe cæde nunc contaminant;
Finis ſim, & arbiter: ille, qui imperio ferus,
Sceptriſq; nunc potitur, eijciatur, &
Qui in exteras profugit oras exul, haud
Vrbs patria reducem accipiat vnquam, qui patrem
Fœdè adeo regno, & patria eiectum ſua
Non retinuêre, nullam opem miſero impij
Tulere: ab ipſis, ſedibus pulſus meis,
Exulq; ſum renuntiatus publicè.
Fortè inquies vrbem ambienti vltrò mihi,
Tum præparaſſe iure munus iſtud: at
Res ſic ſe habet. primis diebus cùm dolor
Ferueret imis ſæuus in præcordijs,
Ac vel lapidibus obrui, aut quo alio modo
Fuiſſet oppetere necem ſuauiſſimum,
Hanc qui ſitim reſtingueret, nemo extitit,
Sed tempore ægritudo callum ducere
Vltroq; deferuere vt occæpit animi
Exæſtuantis impetus, violenter vrbs
Tum primum humo me eiecit, ac illi patri
Cùm ferre potuiſſent opem renuêre. Ego
Extorris itaq; & rerum egenus omnium,
Occaſione ex verbulo capta leui,
Apud exteras oberro genteis: verum ab his
Virginibus, hoſpes, quod quidem imbecillis hic

Sexus

Sexus poteſt præſtare, vitæ alimenta nunc
Mihi ſuggeruntur, ab his loci ſecuritas,
Subſidium ab his lapſi habeo generis, filij
Potiora præ patre ſceptra duxerunt, thronos
Illi, atq; regna nefarij læta occupent,
Si poſitam in iſto vllā paternæ opis ſpem habent,
Vehementer errant: nunquam Agenorea, auſpice
Me, illi obtinebunt ſceptra, quod & oracula,
Ex virgine iſta quæ audio, ſatis innuunt:
Simulq; ſubeunt vetera, Apollo quæ mihi
Olim ipſe prodidit, innuentia idem. Creon
Mittatur huc, aut ſi quis alius ſit potens
In vrbe, qui veniat petitum me, hoſpites,
Si vos Deæq; huius loci venerabiles
Præſtare opem mihi velitis, maximum
Vrbi patronum veſtræ, & hoſtibus meis
Dolorem, & ingens comparabitis malum.
CH. *Quem non tui, atque prolium iſtarum Oedipe,*
Miſereat? ac poſtquam patronum te fore
Huic polliceris vrbi, ea, in rem quæ tuam
Futura ſunt, fideliter tibi conſulam.
OE. *Age quæſo, tu quod conſules, ego exequar.*
CH. *Piaculare fac Deabus his ſacrum,*
Quarum tibi polluto humus preſſa eſt pede.
OE. *Quibus opus hic ſit ritibus, docete me.*
CH. *Primum quidem fonte è perenni dextera* Sacrum ad placandas Eumenidas
Pura haurias ea, quæ offeres, libamina.
OE. *Sed quid vbi puris ſacra erit aqua hauſta manibus?*

CH. *Crateres hîc ſunt, arte quos mira fabri*
Celauit ingenioſa dextra, horum caput
Anſasq́; vtrinque ori additas circumdato.
OE. *Filis ne, frondibus'ue, vel quonam modo?*
CH. *Vulſa recens oue à tenella lanula.*
OE. *Scio quid velis, ſed reliqua quo peragã modo?*
CH. *Verſus iubar ſolis orientis ſtans ſacrum*
Fundes liquorem.
OE. *Ex his'ne, quos ais, ſcyphis?*
CH *E fontibus tibi hauriatur aqua tribus,*
Atque vltimum vnico impetu euacuã ſcyphum.
OED. *Quo ſed genere liquoris hic replebitur,*
Id explica.
CH. *Mulſa imple aqua, à vino caue.*
OE. *Sed terra vbi hoc rigata erit libamine?*
CH. *Vtraque oliuæ ter nouem tum offer manu*
Ramuſcules, ac ſubijce has pius preces.
OE. *Quas quæſo? maximi eſſe momenti id reor.*
CH. *Vt nomine Eumenidum inuocantur numina,*
Ita te Deæ accipiant beneuolo ſupplicem
Animo, atque tueantur, precabere ipſe, vel
Pro te alius, idq́; voce ſubmiſſa, ac breui,
Oculo irretorto, dein abi, hæc, ſi hoc feceris
Ritu, adero præſes atque defenſor tibi:
Sin rennuas, aſſiſtere haud audebimus.
OE. *Hos incolas, gnatæ, audijſtis hoſpites?*
IS. *Audiuimus, quod erit agendum tu impera.*
OE. *Ego hæc obire non queam, duo impediũt mala,*
Et vi-

Et virium imbecillitas, & cæcitas.
Veſtrum altera abeat, atq; perſiciat ſacra.
Sat enim eſſe puto pro millibus anima vna ſi
Hæc exequatur, quæ benigno prædita
Sit pectore. Atqui ne moremini, ſtatim
Iſta expedite, me modò non linquite
Solum. duce ſine hinc vſpiam prorepere
Non ſuppetit miſero facultas corpori.
IS. *Ego ſacra factura abeo, ſed ea vbi peragi*
Oporteat, aliquis mihi monſtret locum.
CH. *Confer te ad illam nemoris iſtius plagam,*
Quæ ſcire quæres, accolas de his conſule.
IS. *Diſcedo eô Antigone. tibi interea pater*
Curæ ſit. etenim qui parentibus labor ”
Impenditur, quantumlibet moleſtus, haud ”
Debet videri liberis vllus labor. ”
CH. *Etiam diutino conſopitam tempore* ”
Refricare calamitatem, acerbum eſt Oedipe. ”
Audire tamen qualis, qualis
Ea ſit cupio. Anapeſt. & Iamb. dimetri.
OE. *Quidnam hoc, quid id eſt?*
CH. *Cauſſas crudelis mali,*
Quo conflictaris, ſcire expeto.
OE. *Ne per ſacra hoſpitij fœdera,*
Detegere iube atrocia vitæ
Crimina noſtræ.
CH. *Sed quæ latè ſparſa per orbem*
Fama vagatur, nec iactata

Refrixit adhuc, cupio,
An vera ſit, cognoſcere.
OE. *Hei mihi,*
CH. *Excipe dextris quod precor auribus.*
OED. *Ah, ah.*
CH. *Obtempera, viciſsim ego,*
Opus vbi erit tibi, obſequar.
OE. *Atrociſsima ſuſtinui, hoſpites,*
Inuitus tamen,
Teſtis ſit mihi Iupiter,
Nil ſponte commiſsum fuit.
CH. *Sed quid?*
OE. *Ignara me nefarijs*
Agglutinauit ciuitas
Cubilibus, atroci malo.
CH. *Matris nefandos, audio,*
Contaminauiſti toros.
OE. *Audire mors hæc eſt mihi,*
O hoſpes, iſtæ ſunt duæ.
CH. *Quid ais?*
OE. *Ex me ſatæ noxæ duæ.*
CH. *O Iuppiter.*
OE. *Matris communis triſti æditæ*
Miſeræ partu.
CH. *Filiæ igitur patriſq́; ſic*
Illæ ſorores ſunt ſui.
OE. *Eheu.*
CH. *Meritò eheu.*

OE. *Mille*

OE. *Mille malorum turbines.*
CH. *Paſſus es?*
OE. *Intolleranda hei pertuli.*
CH. *Admiſiſti crimen?*
OE. *Non admiſi.*
CH. *Quid igitur?*
OE. *Pernicioſo me donauit*
Munere ciuitas,
Vtinam id nunquam ſuſcepiſſem.
CH. *Cur cæde tam turpi miſer*
Contaminaſti dexteram?
OE. *Quid id eſt? quid ais?*
CH. *Cæde parentis?*
OE. *Hei mihi, morbo veteri*
Alium accumulas morbum.
CH. *Cædem'ne patrauiſti?*
OE. *Patraui, verùm mihi.*
CH. *Quid id eſt?*
OE. *Cauſſa æqua fuit?*
CH. *Quænam?*
OE. *Dicam tibi, etiam alios ſimul*
Plureis ad Orcum dextra compulit mea,
Sed inſcium me crimine errore liberat.
CH. *Sed ecce Rex ſatus Aegeo Theſeus adeſt,*
Iactata apud eum vt fama de te increbuit.
TH. *Fixa vt cruentis lumina ipſe tibi vnguibus*
Euulſeris, ſermone multorum mihi
Antè eſt relatum ſæpius, nuncq́ huc iter

Nuptijs nempe matris ob ſoluta Sphingis ænigmata.

Inſignis Theſei humanitas erga calamitoſum hoſpitem.

Dum

Dum facio, ſate Laïo Oedipe, illud plenius,
At certius percepi, & hoc miſerum caput,
Habituſq́ te eſſe eum arguit. quare tui
Miſertus infauſte Oedipe hoc exquirere
Mihi cura, quod beneficium tu poſtules,
Aut quæ tibi aſſiſtit miſera virgo, tribui
Vobis ab vrbe, pariter ac me, id explices.
Difficile præſtatu ſit id, cuius tua
Ferant repulſam vota. noui hoc etiam ego,
Dumq́ exteras peregrinus oras, veluti tu
Nunc, peruagarer, doctus experientia
Fui, malaq́, ſi quis alius, quam plurima
Acerba pertuli, ac pericula grauia
Hoc impetiuêre caput, vt mente ſedeat
Fixum, atque ſtabile, dehinc opem nullam hoſpiti
Vlli negare, ſed tueri ſtat animus,
» *Omneisq́ conſeruare: neque enim neſcio*
» *Nihilo mihi ipſi, cùm ſim homo, quid craſtinæ*
» *Feret hora lucis, quàm tibi eſſe, certius.*
OE. *Compendio ſermonis indolem tuam*
Raram, atque virtute generoſa præditam
Rex indicaſti. nec mihi multis opus
Exaggerare laudibus ea, quæ omnium
Sunt expoſita oculis. quis ego ſim, quo editus
Parente; qua terra huc profectus, ipſe tu
Nouiſti; vti reliquum mihi amplius nihil
Superſit, hîc, quàm vt, quid petam, tibi explicem,
Finemq́ ſic verbis breuem imponam meis.

Sic apud Virg. Dido. Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.

T. *Quæ*

TH. *Quæ ſumma voti ſit tui, fare vt ſciam.*
OE. *Vt corpus ærumnis fatigatum feris*
Iſtud meum dono tibi offerrem, gradus
Huc languidos ſenex tuli, haud illud quidem
Iuuare quem aſpectu, atque delectare quod
Queat, ſed vtilitate permouere, quæ eſt
Spectanda potius, atque formæ gratia.
T. *Quæ lucra te portare nobis aſſeris?*
OE. *Poſt reſcies, cognoſcere id nunc non licet.*
T. *Sed commodum hoc quonam modo explicabitur?*
OE. *Vbi mortem obiero, ac tu ſepulturæ mihi*
Exhibueris honorem.
T. *Vltimorum curam agis,*
Quæ vita præſens poſtulat, ea negligis.
OE. *Extrema at hæc etiam media ſecum trahent.*
T. *hoc præter exiguum nihil petis aliud?*
OE. *Non leuia res præbebit hæc certamina.*
T. *Tuos ne cognatos, an innuis meos?*
OE. *Mei referre me ad meos cogent gradum.*
T. *Quod ſi volent, exulẽ agere haud honeſtũ erit.*
OE. *Sed cùm volebam patria frui mea,*
Me prohibuêre.
T. *Stulte, non eſt vtilis,* „
Fortuna cum aduerſa premit, indignatio. „
OE. *Omnia vbi cognoris, mone, at nunc deſine.*
T. *Perge, omnia niſi audiuero, haud loqui decet.*
OE. *Atrocia ô Theſeu, alia aliꝭs tuli*
Cumulata mala.

T. *Vete-*

TH. *Veterem'ne nunc tuæ innuis*
Labem familiæ?
OE. *Minimè, id vniuerſa iam*
Sermone iactat Græcia.
T. *At quænam mala*
Grauiora, quàm pro ſorte fers mortalium?
OE. *Res ſic, vti dicam, ſe habet. Regno meo*
A proprijs exactus exulo liberis,
Neque parricidæ vnquam redire fas erit.
T. *Cur te requirunt, vt ſeorſum tu incolas?*
OE. *Deûm profecta ab ore vox illud iubet.*
T. *Quem quæſo Diuûm oracula iucutiunt metum?*
OE. *Terra hæc futurum vt clade eos feriat graui.*
T. *Vnde inter illos, atq; me tam triſtia?*

Nihil firmũ, aut ſtabile in rebus humanis.

» OE. *O Aegei cariſſima ſoboles, Dijs*
» *Solis datum eſt à mortis, & ſenij grauis*
» *Liberum agere æuum nexibus: reliqua omnia*
» *Tempus potens confundit: haud almæ ſuus*
» *Terra manet vigor, ſuum nec corpori*
» *Immane robur hæret, emoritur fides,*
» *Subnaſcitur perfidia, nec homini in hominem,*
» *Nec vrbi in vrbem ſemper eadem ſpiritus*
» *Perſiſtit aura, alijs ſtatim, poſt temporum*
» *Longa ſpatia alijs, dulcia admiſcet potens*
» *Fortuna amaris, atq; amara dulcibus.*
Thebasq́;, & inter te licet ſint omnia
Tranquilla, paxq́; firma nunc vos vinciat,
Noctes dieſq́; mille progignere queant

Immen-

Immenſa temporum volumina, pax quibus
Nunc arcta, amicitiæq; mutua fœdera
Cauſſam ob leuem Mauorte diſſiliant fero.
In ſempiternum iam ſoporem artus mei
Soluti, humoq; conditum corpus leui,
Iamq; algidum, quandoq; eorum, feruidum
Bibet cruorem, Iuppiter ſi adhuc modò
Eſt Iuppiter. parente ſi natus Ioue
Verax Apollo eſt. abdita at aperire nunc
Secreta tædet. perſequi quæ cœperam
Permitte, quamq; mihi dediſti iam fidem
Conſtans tuere: inutilem nunquam Oedipum
Fatebere recepiſſe loca in hæc te incolam,
Si prodita à Dijs vera ſunt oracula.
CH. *Eiuſmodi vir iſte, Rex, telluri huic*
Nuper etiam futura vaticinatus eſt.
T. *Quis beneuolentiam atq; amorem huius viri*
Reyciat? hoſpitalis id ſancta prohibet
Semperq; apud nos ara culta. dein Deûm
Fana petijt ſupplex, humoq; huic, ac mihi
Non pendit exiguum tributum: iſta recolens
Nunquam hanc ego repudiabo gratiam hoſpitis,
Agrumq;, ſi ſedem hic lubebit figere,
Aſſignabo, cuſtodemq; te ſtatuo illius,
Si abire mecum mallet, & id erit integrum.
Ex his vtrum voles, tibi optio, Oedipe,
Offertur: hac via tibi opem ferre animus eſt.
OE. *O Iuppiter quam iſti merentur, beneuolus*

Precor

Precor rependе gratiam.

T. *Vtrum velis*

Profare: regiam petere meam lubet?

OE. *Si fas quidem, atqui hic eſt locus.*

T. *Quis? liberè*

Quæcunque prome, non refragabor tibi.

OE. *Vbi ſuperaturum me eos ſpondet Deus,*

Qui me fugauerunt in exilium impij.

T. *Magnum huius illud manſionis pretium erit.*

OE. *Abs te modo promiſſa præſtetur fides.*

T. *Confide, vir nunquam hic fidem prodet ſuam.*

„ OE. *Haud iureiurando obligabo te, velut*

„ *Mos obligare eſt improbos.*

T. *Nihilo amplius*

Sic ſimplici verbo atque promiſſum auferes.

OE. *Quonam igitur inſtituentur ordine res meæ?*

T. *Cuius rei te angit metus?*

OE. *Aderunt viri.*

T. *Sed hi tui curam gerent.*

OE. *Non abijce*

Me, deſerens curam mei.

T. *Tu in his, mei*

Quæ muneris ſunt, admonere deſine.

OE. *Monere compellit metus.*

T. *Nullus meum*

Tangit animum metus.

OE. *Graueis neſcis minas.*

T. *At hoc ſcio, te nemo me inuito Oedipe*

Hinc

Hinc abſtrahet. Furore pectus concitum „
Voces minaces ſæpe fundit: at animus „
Ad ſeſe vbi reuertitur, abeunt minæ „
Euanidæ leueis in auras. multa ego „
Illos ſatis credo reductione de
Tua minanteis iactitaſſe. longum iter
Huc eſt per horridos maris vaſti ſinus,
Periculoſaq́ʒ nauigantibus æquora.
Animo itaqʒ es bono: abſqʒ prouidentia
Tutus etiam noſtra futurus es, ſi, vti
Ais, te Apollo huc miſit: etſi abſim procul
Ego, tamen, ne quo malo affligaris, aut
Iniuria afficiare, ne dubita, mei
Vel nominis te auctoritas tuebitur.

CHORVS.
Anapæſtici cum Iambicis
varij generis.

FOEcundam tetigiſti, hoſpes, equis
Tellurem, & quæ vberrima
Regione in tota eſt, legiſti
Sedem, albicantibus Colonum
Conſpicuum pratis,
Hîc vbi per viridanteis
Gramine valleis querulo mœſtas
Philomèla edit gutture voces,
Tecta vmbroſis hederæ frondibus:
Atque vbi pampineæ multiplici
Vites fruge tumeſcunt,

Laus regionis Atticæ.

A fertilitate & amœnitate.

CH. Crateres hic ſunt, arte quos mira fabri
Celauit ingenioſa dextra, horum caput
Anſasq́; vtrinque ori additas circumdato.
OE. Filis ne, frondibus'ue, vel quonam modo?
CH. Vulſa recens oue à tenella lanula.
OE. Scio quid velis, ſed reliqua quo peragã modo?
CH. Verſus iubar ſolis orientis ſtans ſacrum
Fundes liquorem.
OE. Ex his'ne, quos ais, ſcyphis?
CH E fontibus tibi hauriatur aqua tribus,
Atque vltimum vnico impetu euacua ſcyphum.
OED. Quo ſed genere liquoris hic replebitur,
Id explica.
CH. Mulſa imple aqua, à vino caue.
OE. Sed terra vbi hoc rigata erit libamine?
CH. Vtraque oliuæ ter nouem tum offer manu
Ramuſculos, ac ſubijce has pius preces.
OE. Quas quæſo? maximi eſſe momenti id reor.
CH. Vt nomine Eumenidum inuocantur numina,
Ita te Deæ accipiant beneuolo ſupplicem
Animo, atque tueantur, precabere ipſe, vel
Pro te alius, idq́; voce ſubmiſſa, ac breui,
Oculo irretorto, dein abi, hæc, ſi hoc feceris
Ritu, adero præſes atque defenſor tibi:
Sin renuas, aſſiſtere haud audebimus.
OE. Hos incolas, gnatæ, audijſtis hoſpites?
IS. Audiuimus, quod erit agendum tu impera.
OE. Ego hæc obire non queam, duo impediũt mala,
Et vi-

Et virium imbecillitas, & cæcitas.
Veſtrum altera abeat, atq; perficiat ſacra.
Sat enim eſſe puto pro millibus anima vna ſi
Hæc exequatur, quæ benigno prædita
Sit pectore. Atqui ne moremini, ſtatim
Iſta expedite, me modò non linquite
Solum. duce ſine hinc vſpiam prorepere
Non ſuppetit miſero facultas corpori.
IS. *Ego ſacra factura abeo, ſed ea vbi peragi*
Oporteat, aliquis mihi monſtret locum.
CH. *Confer te ad illam nemoris iſtius plagam,*
Quæ ſcire quæres, accolas de his conſule.
IS. *Diſcedo eô Antigone. tibi interea pater*
Curæ ſit. etenim qui parentibus labor „
Impenditur, quantumlibet moleſtus, haud „
Debet videri liberis vllus labor. „
CH. *Etiam diutino conſopitam tempore* „
Refricare calamitatem, acerbum eſt Oedipe. „
Audire tamen qualis, qualis
Ea ſit cupio. Anapeſt. & Iamb. dimetri.
OE. *Quidnam hoc, quid id eſt?*
CH. *Cauſſas crudelis mali,*
Quo conflictaris, ſcire expeto.
OE. *Ne per ſacra hoſpitij fœdera,*
Detegere iube atrocia vitæ
Crimina noſtræ.
CH. *Sed quæ latè ſparſa per orbem*
Fama vagatur, nec iactata

OE. *Mille malorum turbines.*
CH. *Paſſus es?*
OE. *Intolleranda hei pertuli.*
CH. *Admiſiſti crimen?*
OE. *Non admiſi.*
CH. *Quid igitur?*
OE. *Pernicioſo me donauit*
Munere ciuitas,
Vtinam id nunquam ſuſcepiſſem.
CH. *Cur cæde tam turpi miſer*
Contaminaſti dexteram?
OE. *Quid id eſt? quid ais?*
CH. *Cæde parentis?*
OE. *Hei mihi, morbo veteri*
Alium accumulas morbum.
CH. *Cædem'ne patrauiſti?*
OE. *Patraui, verùm mihi.*
CH. *Quid id eſt?*
OE. *Cauſſa æqua fuit?*
CH. *Quænam?*
OE. *Dicam tibi, etiam alios ſimul*
Plureis ad Orcum dextra compulit mea,
Sed inſcium me crimine errore liberat.
CH. *Sed ecce Rex ſatus Aegeo Theſeus adeſt,*
Iactata apud eum vt fama de te increbuit.
TH. *Fixa vt cruentis lumina ipſe tibi vnguibus*
Euulſeris, ſermone multorum mihi
Antè eſt relatum ſæpius, nuncq́ huc iter
Dum

Nuptijs nempe matris ob ſoluta Sphingis ænigmata.

Inſignis Theſei humanitas erga calamitoſum hoſpitem.

Dum facio, ſate Laïo Oedipe, illud plenius,
At certius percepi, & hoc miſerum caput,
Habitusq́; te eſſe eum arguit. quare tui
Miſertus infauſte Oedipe hoc exquirere
Mihi cura, quod beneficium tu poſtules,
Aut quæ tibi aſſiſtit miſera virgo, tribui
Vobis ab vrbe, pariter ac me, id explices.
Difficile præſtatu ſit id, cuius tua
Ferant repulſam vota. noui hoc etiam ego,
Dumq́; exteras peregrinus oras, veluti tu
Nunc, peruagarer, doctus experientia
Fui, malaq́;, ſi quis alius, quam plurima
Acerba pertuli, ac pericula grauia
Hoc impetiuêre caput, vt mente ſedeat
Fixum, atque ſtabile, dehinc opem nullam hoſpiti
Vlli negare, ſed tueri ſtat animus,
» *Omneisq́; conſeruare: neque enim neſcio*
» *Nihilo mihi ipſi, cùm ſim homo, quid craſtinæ*
» *Feret hora lucis, quàm tibi eſſe, certius.*

Sic apud Virg. Dido. Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.

OE. *Compendio ſermonis indolem tuam*
Raram, atque virtute generoſa præditam
Rex indicaſti. nec mihi multis opus
Exaggerare laudibus ea, quæ omnium
Sunt expoſita oculis. quis ego ſim, quo editus
Parente, qua terra huc profectus, ipſe tu
Nouiſti, vti reliquum mihi amplius nihil
Superſit, hîc, quàm vt, quid petam, tibi explicem,
Finemq́; ſic verbis breuem imponam meis.

T. *Quæ*

TH. *Quæ ſumma voti ſit tui, fare vt ſciam.*
OE. *Vt corpus ærumnis fatigatum feris*
Iſtud meum dono tibi offerrem, gradus
Huc languidos ſenex tuli, haud illud quidem
Iuuare quem aſpectu, atque delectare quod
Queat, ſed vtilitate permouere, quæ eſt
Spectanda potius, atque formæ gratia.
T. *Quæ lucra te portare nobis aſſeris?*
OE. *Poſt reſcies, cognoſcere id nunc non licet.*
T. *Sed commodum hoc quonam modo explicabitur?*
OE. *Vbi mortem obiero, ac tu ſepulturæ mihi*
Exhibueris honorem.
T. *Vltimorum curam agis,*
Quæ vita præſens poſtulat, ea negligis.
OE. *Extrema at hæc etiam media ſecum trahent.*
T. *hoc præter exiguum nihil petis aliud?*
OE. *Non leuia res præbebit hæc certamina.*
T. *Tuos'ne cognatos, an innuis meos?*
OE. *Mei referre me ad meos cogent gradum.*
T. *Quod ſi volent, exulẽ agere haud honeſtũ erit.*
OE. *Sed cùm volebam patria frui mea,*
Me prohibuêre.
T. *Stulte, non eſt vtilis,* „
Fortuna cum aduerſa premit, indignatio. „
OE. *Omnia vbi cognoris, mone, at nunc deſine.*
T. *Perge, omnia niſi audiuero, haud loqui decet.*
OE. *Atrocia ô Theſeu, alia aliïs tuli*
Cumulata mala.

T. *Vete-*

TH. *Veterem'ne nunc tua innuis*
Labem familiæ?
OE. *Minimè, id vniuerſa iam*
Sermone iactat Græcia.
T. *At quænam mala*
Grauiora, quàm pro ſorte fers mortalium?
OE. *Res ſic, vti dicam, ſe habet. Regno meo*
A proprijs exactus exulo liberis,
Neque parricidæ vnquam redire fas erit.
T. *Cur te requirunt, vt ſeorſum tu incolas?*
OE. *Deûm profecta ab ore vox illud iubet.*
T. *Quem quæſo Diuûm oracula iucutiunt metum?*
OE. *Terra hæc futurum vt clade eos feriat graui.*
T. *Vnde inter illos, atq; me tam triſtia?*

Nihil firmũ, aut ſtabile in rebus humanis.

» OE. *O Aegei cariſſima ſoboles, Dijs*
» *Solis datum eſt à mortis, & ſenij grauis*
» *Liberum agere æuum nexibus: reliqua omnia*
» *Tempus potens confundit: haud almæ ſuus*
» *Terra manet vigor, ſuum nec corpori*
» *Immane robur hæret, emoritur fides,*
» *Subnaſcitur perfidia, nec homini in hominem,*
» *Nec vrbi in vrbem ſemper eadem ſpiritus*
» *Perſiſtit aura, alijs ſtatim, poſt temporum*
» *Longa ſpatia alijs, dulcia admiſcet potens*
» *Fortuna amaris, atq; amara dulcibus.*
Thebasq;, & inter te licet ſint omnia
Tranquilla, paxq; firma nunc vos vinciat,
Noctes dieſq; mille progignere queant

Immen-

Immenſa temporum volumina, pax quibus
Nunc arcta, amicitiaéq; mutua fœdera
Cauſſam ob leuem Mauorte diſsiliant fero.
In ſempiternum iam ſoporem artus mei
Soluti, humoq; conditum corpus leui,
Iamq; algidum, quandoq; eorum, feruidum
Bibet cruorem, Iuppiter ſi adhuc modò
Eſt Iuppiter. parente ſi natus Ioue
Verax Apollo eſt. abdita at aperire nunc
Secreta tædet. perſequi quæ cœperam
Permitte, quamq; mihi dediſti iam fidem
Conſtans tuere: inutilem nunquam Oedipum
Fatebere recepiſſe loca in hæc te incolam,
Si prodita à Dŷs vera ſunt oracula.
CH. *Eiuſmodi vir iſte, Rex, telluri huic*
Nuper etiam futura vaticinatus eſt.
T. *Quis beneuolentiam atq; amorem huius viri*
Reÿciat? hoſpitalis id ſancta prohibet
Semperq; apud nos ara culta. dein Deûm
Fana petŷt ſupplex, humoq; huic, ac mihi
Non pendit exiguum tributum: iſta recolens
Nunquam hanc ego repudiabo gratiam hoſpitis,
Agrumq;, ſi ſedem hîc lubebit figere,
Aſsignabo, cuſtodemq; te ſtatuo illius,
Si abire mecum mallet, & id erit integrum.
Ex his vtrum voles, tibi optio, Oedipe,
Offertur: hac via tibi opem ferre animus eſt.
OE. *O Iuppiter quam iſti merentur, beneuolus*

Precor repende gratiam.

T. *Vtrum velis*

Profare: regiam petere meam lubet?

OE. *Si fas quidem, atqui hic eſt locus.*

T. *Quis? liberè*

Quæcunque prome, non refragabor tibi.

OE. *Vbi ſuperaturum me eos ſpondet Deus,*

Qui me fugauerunt in exilium impÿ.

T. *Magnum huius illud manſionis pretium erit.*

OE. *Abs te modo promiſſa præſtetur fides.*

T. *Confide, vir nunquam hic fidem prodet ſuam.*

„ OE. *Haud iureiurando obligabo te, velut*

„ *Mos obligare eſt improbos.*

T. *Nihilo amplius*

Sic ſimplici verbo atque promiſſum auferes.

OE. *Quonam igitur inſtituentur ordine res meæ?*

T. *Cuius rei te angit metus?*

OE. *Aderunt viri.*

T. *Sed hi tui curam gerent.*

OE. *Non abÿce*

Me, deſerens curam mei.

T. *Tu in his, mei*

Quæ muneris ſunt, admonere deſine.

OE. *Monere compellit metus.*

T. *Nullus meum*

Tangit animum metus.

OE. *Graueis neſcis minas.*

T. *At hoc ſcio, te nemo me inuito Oedipe*

Hinc

Hinc abſtrahet. Furore pectus concitum ››
Voces minaces ſæpe fundit: at animus ››
Ad ſeſe vbi reuertitur, abeunt minæ ››
Euanidæ leueis in auras. multa ego ››
Illos ſatis credo reductione de
Tua minanteis iactitaſſe. longum iter
Huc eſt per horridos maris vaſti ſinus,
Periculoſaq; nauigantibus æquora.
Animo itaq; es bono: abſq; prouidentia
Tutus etiam noſtra futurus es, ſi, vti
Ais, te Apollo huc miſit: etſi abſim procul
Ego, tamen, ne quo malo affligaris, aut
Iniuria afficiare, ne dubita, mei
Vel nominis te auctoritas tuebitur.

CHORVS.
Anapæſtici cum Iambicis
varij generis.

FOEcundam tetigiſti, hoſpes, equis
Tellurem, & quæ vberrima
Regione in tota eſt, legiſti
Sedem, albicantibus Colonum
Conſpicuum pratis,
Hic vbi perviridanteis
Gramine valleis querulo mæſtas
Philomela edit gutture voces,
Tecta vmbroſis hederæ frondibus:
Atque vbi pampineæ multiplici
Vites fruge tumeſcunt,

Laus regionis Atticæ.

A fertilitate & amœnitate.

Quas nec flagrantes Phœbi
Faces, nec vrentis vis
Boreæ, aut niuoſæ lædunt
Hyemis procellæ. Bacchus
Semper vbi ipſe ancillis
Mænadibus comitatus obambulat,
Atque vbi cæleſti Narciſſus
Rore rigatus ſemper
Flore viret nouo,
Ex quo venerandis nectuntur
Serta Deabus.
Flauiq́; germina pullulant croci,
Vbi limpidi fontes ſcatent
Latice perenni herboſa
Humectantes paſcua:
Quæ Cephiſus liquente
Viridem gurgite terræ omniferæ
Fecundans ſinum
Tenui murmure lambit,
Hæc loca nec ſacer Aonidum Chorus,
Nec Venus aurea ſpernit.
Eſt quiddam aliud, quod neq; fertilis
Aſiæ regio, nec magna nutrit
Inſula Pelopis, quod ſponte ſua
Nullaq́; ſatum cura
Creſcit, germen viride,
Sæuos hoſtibus incutiens metus,
In hiſq́; copioſè

Sacras oleas intelligit, quas morias vocarũt, de quibus multa eſt apud ſcriptores mentio. Diris deuouebãtur, qui eas excindebant, & in

Pro ue-

Prouenit oris,
Glaucæ nimirum oleæ frondes:
Has neque iuuenis, nec ſenio grauis
Immiſſa audet cædere dextera:
Ac ne id fiat, cuſtos Morius
Iuppiter excubat, atque huic iuncta
Cæſia Pallas.
Laus alia adhuc memoranda
Reſtat, qua vel maximè hæc
Lucida tollitur vrbs ad ſidera.
Hoc magni inſigne Dei munus,
Quod equis excellat præſtantibus,
Quod naualis belli emineat
Clara triumphis.
O Saturnia proles,
Tu hæc vrbem ad faſtigia
Neptune euexiſti,
Tu primus docuiſti equos
Durus parêre lupis:
Aſt agitatæ manibus tonſæ
Ocyus Euro cærula verrunt,
Vt centipedes celeri curſu
Nereïdas aſſequantur.

tanta fuére religione, vt ne hoſtes quidem eas auderēt tangere.

Ab equorũ, equitumve præſtantia, & re nauali

AN. *O laude vbiq; regio præſtanti inclyta,*
Nunc re inclytam magnanima famam comproba.
OED. *Quid hoc? nouíne quid accidit?*
ANTIG. *Properum huc Creon*
Mouet gradum, magnaq; comitatus manu.

Iamb. trim. Antigone nuntiat aduentũ Creontis.

OE. *Cariſsimi mihi ô ſenes, vitæ meæ*
In vos recumbit tota ſpes, adferte opem.
CH. *Spe ſis bona, adueniat, licet ego ſim ſenex,*
Terræ huius haud conſenuit inuictus vigor.
CR. *Telluris huius nobiles ô incolæ,*
Aduentus hic vobis meus, vti conſpicor,
Incuſsit attonitis metum, depellite
Vanum timorem, maledicisq; vocibus
Tantum abſtinete: hoſtile facturus nihil,
Nec venio vim illaturus vllam. ſum ſenex,
Nec me fugit reliquis Pelaſgis vrbibus
Vrbem hanc potentia antecellere omnibus:
At huic viro vt perſuadeam mecum arduas
Arces, humumq; repetat Amphioniam, ego
Huc miſſus adſum, non ab vno quopiam,
Sed ab vniuerſis ciuibus, quodq; genere
Iunctus mihi cùm ſit, calamitatem illius
Me inter alios lugere maximè decet.
O calamitoſe nunc meis aurem Oedipe
Sermonibus præbe, domos redi tuas,
Vocat vniuerſa te vrbs Agenorea, vocat
Te populus, egoq; maximè. quanto magis,
Ni peſsimus hominum omnium ſim, miſeriis,
Quibus inuolutus ſpiritum ægrum vix trahis,
Me conuenit nunc ingemiſcere. ô ſenex,
Miſerabilem te video, & aliena hoſpitem
Per arua oberrare, comitatum hac vnica
Tantum miniſtra, inopemq; victus: quam quidem

Hæc conficta eſt oratio, vt ſequentia indicāt.

Nun-

Nunquam putaſſem eô mali venturam ego,
Quò miſera nunc deuenit, aſsiduam tui
Curam gerens, dumq́; querula cibum tibi
Mendica quærit voce, pleno nubilis
Aeuo, iugalis ſequitur expers te tori,
Cuiuſlibetq́; expoſita contumeliȷ́s.
Miſerum ô probrum. ſed heu ter infelix ego,
Hoc vice probri Oedipe obȷ́cio tibi, quod in
Te, meq́;, & in totam redundat familiam.
Sed nota quæ vulgataq́; omnibus patent, „
Celari ea haud queunt. Deos per patrios „
Te obteſtor Oedipe, mihi nunc morem gere,
Hinc te àufer, atq; patrios repete lareis,
Vrbemq́;, ſponte tua, huicq́; amanter, merita enim
Eſt, dic vale vrbi, patriæ pietas tuæ,
Quæ te educauit, ſit animo potior tuo.
OE. *O quodlibet mens prompta, & audax in ſcelus!*
Vt noxias oratio inſidias tua
Sermone commendata ſpecioſo ſtruit,
Semperq́; ſtruxit. quid moleſtus es mihi?
Captare cur me rurſus aggredere, vt eò
Redigar prehenſus, vbi nihil aliud mihi,
Præter dolere, ſit paratum, & perpeti?
Nam calamitatis antè cùm domeſticæ
Infectus agitaret dolor, tellureq́;
Decedere patria mea eſſent vota, tum
Id vnicè obteſtanti eam mihi gratiam
Præſtare renuiſti: atq; cùm iam aliquantulum

 Exple-

Expleta tempore ægritudo lenius
Me haberet, ac reliquum quod ætatis foret,
Domi exigere volupe futurum erat, cùm feris
Laxaſſe habenas me doloribus,
Plusquam ſat eßet, iam probè cognoſcerem,
Tu me tum auitis expuliſti finibus,
Nec vinculum mouere potuit ſanguinis
Animum efferatum, nuncq́, cùm hanc vrbē vides,
Gentemq́, totam beneuolè recipere me,
Auellere hinc contendis, aſpera temperans
" *Sermone molli: ita ſtudio inuitos tibi eſt*
" *Beneficijs afficere, nec aliter, atque ſi*
" *Quis flagitanti atque indigo tibi nihil*
" *Det, atque ferre opem opis egeno deneget:*
" *Rerumq́, copia affluenti iam, prius*
" *Quibus indigebas, tum offerat, cùm gratia*
" *Oblata nullam gratiam parit, nunquid hæc*
" *Stulta eße liberalitas videbitur?*
Taliq́, deuincire tibi beneficio
Me poſtulas, verbis quidem haud malo,
Sed noxio re ipſa. idq́, nunc his aperiam,
Quò te improbum eſſe liqueat omnibus. huc ades,
Vt me hinc reducas, non quidem ætatem vt domi
Quietus exigam, ſed vt quâ limites
Regnum ſecant, ſedem mihi aßignes, & vrbs
A clade, quæ regione ab hac illi imminet,
Seruetur hac tibi via immunis, ſed hunc
Quo diriguntur tibi oculi haud tanges ſcopum:

Hoc

Hoc aſſequeris, vltro vt Genius meus
Strage horrifica humum infeſtet vſq; filij
Hoc ſortientur noſtri, vt obtineant loci
Terra è mea tantillum, vbi pereant. quid? an
Non fata, quæ Thebas manent, iam ſcire, quam
Tu, rectius tibi videor? multo quidem:
Certi, è quibus habeo illa, ſunt & Iuppiter,
Satusq; Ioue Apollo. dolo plena omnia
Tua verba, & inſidijs ſcatent: ſed illa plus
Latura ſunt mali tibi, quàm commodi.
Nunquam in tuam me pertrahes ſententiam.
Diſcede, meq; hîc exigere vitam ſine.
Nec vita, quando hæc dulcis arridet mihi,
Exiſtimari incommoda à quoquam queat.
CR. *At quæſo, precibus non gerens morem meis,*
Tu'ne, an ego pertinaciæ pœnas luam?
OE. *Volupe id erit mihi, ſi neq; hos, qui aſtãt propè,*
Nec me tuis permoueris ſermonibus.
CR. *O ſortis infauſtæ Oedipe, ita longinquitas*
Nondum ſapere te docuit æui, ac debilis
Senecta cum annis attulit delirium?
OE. *Linguam acrem alis. ſed nũquã ego videre me* „
Memini virum, qui recta vbiq; diceret. „
CR. *Non autumo eiuſdem eſſe multa dicere,* „
Eademq; oportuna. „
OED. *Breuiter tu hæc quidem*
Locutus es, ſed admodum oportunè.
CREON. *Iis,*

Qui ſentiunt, vt tu, haud oportunè puto.
OE. *Faceſſe, pro his etiam loquar. neq; tu puta*
Tuum eſſe me monere, vbi habitandum mihi.
CR. *Non te, ſed hos, ſimulq; amicos hîc mihi*
Appello teſtes, meminerint quæ verba nunc
Rependeris, aliquando ſi fias meus.
OE. *Socijs quis inuitis mihi his nunc vim inferat?*
CR. *At iam ſine hoc, feci quod animum vret tuum.*
OE. *Quorſum hæ minæ tendunt?*
CR. *Duarum prolium*
Iſmenē innuit. *Raptam alteram ablegaui, & hîc quæ eſt altera,*
Mox hinc rapi iubebo.
OE. *Væh miſero mihi.*
CR. *Mox iuſtior flendi tibi erit occaſio.*
OE. *Gnatam'ne habes meam?*
CR. *Hanc quidem mox auferam.*
OE. *Heu quidnam agetis, deſeretis me hoſpites?*
Non impium hunc tellure veſtra pellitis?
CH. *Hinc ocyus iam hoſpes faceſſe: nec enim ea,*
Quæ iam facis, nec quæ antè feciſti, æqua ſunt.
C. *At vos, miniſtri, abducere hanc iam tempus eſt,*
Si renuat inuitam abripite.
AN. *Miſeræ hei mihi.*
Quis iam fugæ locus patet? quorum iam opem,
Homines'ne, an implorabo ſubſidio Deos?
CH. *Quid aggrederis hoſpes.*
CR. *Meam hinc nunc auferam,*
Nulla huic viro vis fiet.

OE. *Eheu*

OED. *Eheu principes.*
CH. *Non iuſtè agis iam hoſpes.*
CR. *Ago iuſtè.*
CH. *Quomodo*
Iuſtè?
CR. *Meos abduco.*
AN. *Fer opem ciuitas.*
CH. *Quid hoſpes agis? omitte, moneo, mox niſi*
Quid dextra valeat noſtra, diſcere hoc velis.
CR. *Obſiſte.*
CH. *Faciam hoc vt nec id reprendere*
Tu iure poſſis.
OE. *Ciuitati vim facis,*
Si quam mihi inferes.
CH. *Nunquid hoc dixi fore?*
CR. *Dimitte quam tenes puellam, heus, illico.*
CH. *Non impera arbitrij illa quæ non ſunt tui.*
CR. *Dimittito inquam.*
CH. *At tu recede, ſi ſapis.*
Adeſte in auxilium, venite ô incolæ,
Vaſtatur vrbs, diripitur vrbs per vim mea,
Auxilio adeſte nunc mihi.
AN. *Abripior hei miſera, hoſpites, ô hoſpites.*
OED. *Filia vbinam es?*
AN. *Vi progredi miſera adigor.*
OED. *Dextram gnata mihi porige.*
AN. *At non queo.*
CR. *Quin rapitis illam?*

OED. *O ſortis infauſtæ Oedipum.*

CR. *Innixus hiſce ſcipionibus amplius*
Aetate tardum non feres gradum Oedipe,
Quando quidem nec patriæ, nec cedere
Statuiſti amicis, quorum ego, ſim Rex licet,
Auctoritate, quæ facere nunc me vides,
Facio: age dura pertinaces pectoris
Sæui impetus mora ſpacioſi temporis
Tandem docebit, quàm malè in te hæc conſulas,
Quamq; grauiter nuper dolentibus tuis
Feciſti amicis, Oedipe: ira te, cui
Plusquam ſat eſt, laxas habenas, ira te
Infeſta perdit, atque præcipitem obruit.

CH. *Subſiſte tu hic hoſpes.*

CR. *At ego veto tangere.*

CH. *Priuatus hiſce non abire te ſinam.*

CR. *Iam faxo ego quidem maiore capti huius tibi,*
Vrbiq; conſtabit redemptio pretio.
Solæ hæ duæ haud rapientur.

CH. *Hem quæ animo fero*
Conſilia verſas?

CR. *Huc quoq; abreptum auferam.*

CH. *Atrocia minitaris.*

CR. *Effectum dabo,*
Niſi, ſceptra qui terræ huius obtinet, vetet.

OED. *Os impudens, ſi tetigeris.*

CR. *Quin tu taces?*

OE. *Non auferent vocis facultatem mihi*

Telluris

Telluris huius numina, vt capiti queam
Tuo imprecari dira, quem iam cæcitas
Satiare noſtra non potuit, oculo altero Per oculum Anitgonē innuit.
Quin me quoq; ſpoliares, hominum peßime.
Tibi tuoq; generi, ab arduo omnia
Qui cernit æthere, lucidum ſolem precor,
Vt cùm opprimet grauis ſenecta, eiuſmodi
Vitam exigatis, qualem ego nunc exigo.
CR. *Videtis iſta ô incolæ?*
OED. *Haud dubita, vident*
Meq; atque te, probeq; intelligunt,
Quod multa re abs te paßus ego, verba referam.
CR. *haud amplius cohibebo nunc iræ impetus,*
Rapiêre vi, & ſi ſolus ego, & annis grauis.
OED. *Væh mihi miſero.*
CH. *Qua ſpe, hoſpes, aut fiducia fretus venis,*
Vt poſſe credas facere te quod iactitas?
CR. *Factum dabo.*
CHO. *Non ciuitatem hanc amplius,*
Si feceris id, eſſe arbitrabor liberam.
C. *Paruus etiam magnū, æquā vbi cauſſam fouet,* „
Sæpe ſuperat. „
OEDIP. *Quæ loquitur auditis?*
CHORVS. *Tamen*
Quæ cogitat, non efficiet.
CREON. *Illud Ioui*
Notum, haud tibi.
CHO. *Iſta nónne contumelia eſt?*

CR. *Eſt*

CR. *Eſt contumelia, ſed ferenda.*

OE. *O incolæ,*
O vniuerſa plebs, & vrbis principes,
Abrumpite moras, ocyus adeſte, ocyus
Adeſte, properate, omne fas abrumpitur.

THESEVS.

Trochaïci Tetrametri, vt in Græco.

QVæ iſta vox? quæ turba? quis quæſo tumultus? quem ob metum
Præſidi, ac huius Coloni dum patrono cæruli
Aequoris Deo immolo, me ipſis ab aris deditum
Auocatis victimis? rem pandite omnem iam mihi,
Cuius huc cauſſa gradum properantiorem protuli,
Quàm fatigato iã anhelo curſu erat volupe pedi.

Iamb. trim. OE. *Mortalium ô cariſſime, agnoui tuæ*
Vocis ſonum. indignas ab hoc iniurias,
Theſeu, viro ſum paſſus.

T. *At quas? quis hominum*
Te afflixit, ede.

OE. *Hic, quem vides coràm, Creon,*
Vitæ vnicæ miſeræ mihi quæ ſupererant
Spes atq; ſuſtentaculum, natas meas
Arctis ferus reuulſit è complexibus.

TH. *Hem quid refers?*

OED. *Quæ pertuli vera refero.*

T. *Mox has ad aras è miniſtris quiſpiam*
Pede propero procurrat, omnemq; populum
Nulloq; diſcrimine, equites atq; pedites,

Qui-

Quicunq; ſunt, cogat relictis iam ſacris,
Huc ſciſſa vbi viatoribus duplex via
Concurrit, omnes incito tendant gradu:
Ne virgines qui abducere parant, vſpiam
Fugæ locus pateat: meritò enim ab hoſpite hoc
Ludibrio dignus habear, ſi vim mihi,
Patiar parari. vos, vti iuſſi, ocyus
Abite, at hunc, ſi, quò ira ſuadet, pergerem,
Vt meritus eſt, haud abſq; vulnere manibus
Emitterem meis. mihi at ſatis iam erit,
Vt iure, quo vti ille in alios molitus eſt,
Coërceatur ipſe, neque grauior ei
Pœna irrogetur. nuſquam enim ex hac efferes
Terra pedem, niſi vtranq; pariter virginem
Coram huc reduxeris mihi. indignum quidem Elegans, & grauis increpatio.
Me perpetraſti facinus, ac maioribus
Tuis, tuæq; infame ſemper patriæ:
Qui ciuitatem ingreſſus hanc, iuſtitia vbi
Exercitata floret, vbi ſine lege nil
Statui ſolet, ſancita iuris vinculis
Tranſgredere, viq; irrumpis, & libido quæ
Furioſa ſuadet, abripis, vímque apparas,
Vacuamq; me regere viris vrbem putas,
Aut ſeruituti ſubditam, meq; nihili
Hominem eſſe. non Thebana tali te imbuit
Vrbs diſciplina: alere illa iuſticiæ ſolet
Viros amantes. nec, vbi ad illos rumor hic
Peruenerit, miſcere te fas, & nefas,

Mea

Mea ſpoliare, & quæ Dÿs ſacrata ſunt,
Diripere violenta manu, atque ſupplices
Rapere calamitoſos, probabunt. equidem ego
Si fortè regionis ſubiſſem limites
Tuæ, licet iuſtiſſimæ omnium mihi
Cauſſæ forent, illius imperio tamen
Subiecta humus cui eſſet, ſine arbitrio nihil
Mihi ſtatuendum exiſtimarem, cogitans
Quo iure apud cioeis deceat agere exterum.
At tu tuæ contaminas vrbis decus,
Indigna ſanè infamia hæc, quæ eſt maximè.
Longiq́; iam ætas temporis quæ te ſenem
Facit, ſimul te mente priuat. quare vti
Iuſſi antè, ſic nunc iubeo, virgines iube
Huc ocyus mihi reduci, ni incola
Inuitus eſſe hic magis ames, atque hæc vti
Lingua, ita animo quoque explicata tibi putes.
CH. *En quo tuæ verſantur, hoſpes, res loco.*
Quod ad parentes attinet tuos, iuſtum quidem
Te exiſtimo, ſed nunc quæ agis non iuſta ſunt.
GR. *Non hanc ego vacuam viris, aut legibus*
Prudentiaq́; deſtitutam vrbem, vt tu ais.
Exiſtimans, molitus hæc ſum, quæ exprobras:
Sed fretus hac perſuaſione, neminem
Fore ciuium, quem ſanguinis firmo mihi
Iure ſociatas nutriendi cupiditas
Inceſſeret, nolente me. nec in animum
Inducere potui, virum nefarÿs

Con-

Contaminatum ſceleribus, cædeq́ patris,
Vetitisq́ qui Hymenæis & inceſto, ô probrum,
Coïtu excitaſſet liberos, receptum eum
Hîc iri, vbi in Areopago ſanctiſsima
Vigere iuſticiæ decreta noueram,
Quæ huiuſmodi errones vetant conſidere
Præclara in vrbe. atque hiſce fretus, prædæ huic
Incubui, & ipſe dira niſi capiti omnia
Meo fuiſſet imprecatus, nunquam eò
Forem progreſſus. nec videri debeo
Feciſse iniquè, ſi malo petitus, &
Iniurijs, hæc rurſus illi inflixerim.
Iram ſenectus non premit, ſed ſola mors. „
Illa incitos reſtinguit æſtus pectoris, „
Vitaq́ functos nullus exagitat dolor. „
Re in hac tibi quæcunq́ facere liberum eſt,
Me ſolitudo, etſi æqua cauſſa ſit mea,
Contrahere vela cogit, ac humilem facit,
Qualis tamen mea cunq́ ſors hoc tempore,
Quoad ferent vires, reſiſtere animus eſt.
OE. *O arrogantia impudens, vtrum tibi*
An me ſenem, an verò ipſe te tam turpibus
Lacerare contumelijs vidêre? qui
Cædeſq́, coniugiaq́ & alias miſerias
Rabido exprobras mihi ore, ego inuitus miſer,
Quaſq́ inſcius ſubij. voluntas hæc Deûm
Fuit, ob vetus fortè aliquod admiſſum ſcelus
Generi malè indignantium noſtro. inde age

Vitam

Vitam vſque ab origine meam excute, ſi lubet,
Sine labe mores deprehenſurus, neque
Vitare quod manu in mea poſitum fuit,
Vllum in meos, aut me, patrati criminis
Opprobrium. ſed dic mihi, ſi oraculo
Præmonitus à Dijs fuit pater, fore
A liberis vt interemptus proprijs
Occumberet, quo iure id exprobras mihi,
Qui à patre nondum genitus, aut matre editus
Auras adhuc clari ætheris non hauſeram?
Inauſpicato at ſidere genitus vti ſum,
Si eum parente conſerens manus, eum
Occiderim, ignarus quòd in quem admitterem
Scelus, cedo, non ſponte, at ignorantia
Quod perpetratum eſt, quo modo meritò queas
Damnare? ſed de matris infauſti toris
Renouare verbis memoriam te cogere,
Tua illa cùm fuerit ſoror, nunquid pudet?
Nihil tacebo quando ſceleratum tuum
Nunc os me eò adigit, fabor omnia, peperit
Me illa, peperit, atrox ô malum, ſed inſcium
Tamen inſcia, editoq́; poſtea liberos,
Infame probrum, filio peperit ſuo.
Hoc conſtat vnum ſponte nunc hæc te tua
In me, atq; in illam erumpere ad conuicia.
Inuitus illam duxi, ego inuitus etiam
Hæc eloquor, nec nuptias ob has, nec ob,
Quàm contumelioſus vſq; mihi occinis,

Cædem

Cædem patris malè audiam, aut ferar impius.
Vnum hoc, quod ex te interrogabo, dic mihi,
Nullo laceßitus malo abs te, ſi tibi
Vim quiſpiam, vt trucidet, inferat, cedo
Pater'ne ſit qui in te irruit, rogabis? an,
Vt vindices iniuriam, dabis operam?
Equidem arbitror, ſi vitæ amans eſſes tuæ,
Quid ſuadeat iuſtitia ſecurus, ſtatim
Vlciſcereris hoſtem. at in mala talia
Me fata præcipitem, Dijs cogentibus,
Dedêre, nec rediuiua in auras ſi patris
Iam redeat anima, quàm ego, aliud loqui queat.
At tu improbus cùm ſis, putas tamen omnia
Infanda te atq; fanda iure dicere.
Eiuſmodi coram his laceßis impiè
Iniurijs, nomenq; Theſei tibi
Idoneum videtur, atq; vrbs Attica,
Cui ſtultè aduleris, quòd egregijs caput
Superba tollat ciuibus, & alias adhuc
Laudes recenſens, qua inter omneis eminet
Clarißima, illam obliuione præteris:
Quod nempe religione, ſi qua eſt vſpiam
Tellus, Deos quæ feruida veneretur, hæc
Cultu Deorum atque pietate alias procul
Poſt ſe relinquit: vnde tu miſerum hunc ſenem
Ac ſupplicem furatus abripis, meas
Vnde rapuiſti virgines. ob quæ has Deas
Flagitia ſupplici inuoco pronus prece,

Y *Auxi-*

Auxiliatrices porrigant miſero manus,
Nunc re ipſa vt experiare, quales ſint viri,
Ad hanc tuendam ſedulò vrbem qui excubant,
CH. *Hic integer, Rex, hoſpes eſt, ſed calamitas*
Qua premitur, extrema eſt. tuendum cenſeo.
T. *Dictum ſatis. qui vim intulere raptu, ij*
Celerant fugam, nos interim ad quos pertinet
Ea contumelia otioſi hærebimus?
CR. *Quid debili huic homini, vti faciat, imperas?*
T. *Tu primus ingredere viam, ego ſequar comes.*
Vt ſi his alicubi iam abditas ſeruas locis
Ipſe, iubeo virgines ſtatim exhibeas mihi:
At ſi fuga abripiuntur, haud vllo hic opus
Erit labore, alij hoc agunt, qui, ne ex humo hac
Læti auferant tui rapinam, ſedulò
Deos precantur. Præuius tu carpe iter,
Ac quo in ſtatu res ſint tuæ, conſidera.
Fortuna nunc te ea, quæ alijs tetenderas,
" *In retia impulit, ita quæ fraude, ac dolo*
" *Quæſita ſunt malo, ſtabilia non manent.*
Neque alius hac in re, atq; præ me nunc fero,
Ego ſum futurus, nec te ad hanc audaciam
Vimq; inferendam nudum, & imparatum ego
Veniße credere queo. copias tibi,
Quibus iſta fretus perpetraſti, eſſe alicubi
Exiſtimo, id perquirere mihi nunc lubet.
Superari ab vno vrbem hanc viro nimium foret
Infame: percipis'ne quæ tibi nunc ego

Loquor?

Loquor? an eodem iſta tibi verba cadunt loco,
Quo ea, quæ audiebas impios ſtruens dolos?
CR. *Refellere hic tua dicta Theſeu liberum*
Non eſt mihi, ſimulatq; rediero domum
Quod facto opus erit, tum ſtatuam oportunius.
T. *Minare, liberum eſt, gradum tamen moue:*
Securus interea reſiſte hîc Oedipe,
Certusq; niſi vitam antè mors mihi auferat,
Nunquam quieturum, priusquam prolium
Te compotem planè tuarum effecero.
OE. *Dij quæ cupis tibi largiantur, id tua hæc*
Generoſa virtus promeretur, iuſtaq;
In me miſerrimum iſta prouidentia.

CHORVS.
Anapæſtici & Iambici
varij generis.

O Vtinam illo iam conſiſtere
Liceat loco, vbi confertæ hoſtium
Turmæ aſpera crudi miſcebunt
Prælia Martis
Hîc vbi Pythia templa, aut
Vbi crebra fulgentia lampade
Sæui tundunt littora fluctus,
Spicigeræq; vbi dedita Cereri
Veneranda facit ſacra ſacerdos,
Linguaq; quorum arcani continens
Vincla conſtricta coërcetur
Aureo, egregio Eumolpidæ

Vita, ſollicitudo, & curioſitas vulgi hîc exprimitur.

Arcana erant in Cereris myſterijs quæ prodere aut enunciare capitale erat.

Bello ferox Theſeus ibi,
Thalami experteſq; iugalis
Geminæ ſorores magno
Aſpera conſerent
Bella tumultu.
An potius regionibus,
Quæ ſolem ſpectant occiduum,
Hic vbi ſcopuli Niphades eminent,
Sunt conſerturi manus?
Prata vbi tellus Oeatis
Pinguia præbet.
Certamine equeſtri, aut curuli
Capientur conflictu
Qui ſibi conſulere fuga
Voluerunt. ſanguineo
Indigena potens floret
Marte iuuentus.
Acris Theſeidarum virtus
Iam diſtincta notis frena aureis
Paſſim nitent. vbique
Phaleris equos ſuperbos
Conſcendere, omneis videas
Feſtinare, Mineruam
Quicunq; equeſtrem, quiq;
Progenitum matre Rhea æquoreum
Neptunum colunt.
Iam cœpêre manus conſerere,
Aut mox conſerent.

Non

Non ambiguus præſagit mihi
Animus, mox, mox iri redditum
Multis conquaſſatam ærumnis
Criminaq́; luentem, quæ iuncti
Sanguine commiſerunt, virginem
Nunquam otioſa dextra ”
Iouis vacat, aliquid illa ſemper conficit. ”
Fauſtorum certaminum
Ego ſum vates,
O vtinam celerem mutatus
Nunc in columbam præpete
Scindam æthereas penna nubes,
Vt quæ futuri præſcia
Præſagit mens, coràm medijs
Aſpiciam in conflictibus.
O ſumme Rex Deorum,
O qui potente cernis
Omnia oculo, da Iupiter,
Vt terræ huius principes
Victrice conficiant manu
Captu hanc cohortem facilem.
Præclara Iouis filia Pallas,
Et te, venator Apollo, inuoco,
Quæq́; fugaces ſequitur ceruos,
Tuam ſororem obteſtor,
Geminum ferte propitij auxilium
Telluri huic & ciuibus.

CHORVS.

Iambici Trimetri.

O Hoſpes, errabunde ſpeculator tibi
Haud falſus hic vates feretur: virginem
Vtranq; greſſus huc mouentem conſpicor.
OE. *Vbinam, vbinam? quid ais? quid inquam ais?*
ANT. *Pater,*
Pater, ô quis, vt virum optimum aſpicias, pater,
Qui huc nos remiſit, iam tibi tribuat Deus?
OE. *O gnata ades?*
AN. *Nos fida Theſei atque comitum*
Ipſius exemit, pater, raptas manus.
OE. *Accedite ô gnatæ propè, ſinite corpora,*
Quæ tangere amplius mihi ſpes nulla erat,
Deſiderante comprimam manu.
ANT. *Pater*
Quod poſcis aſſequeris, hoc beneficium
Cupidè tibi præſtabitur.
OE. *Vbi itaq;, vbi,*
Vbi filiæ eſtis?
AN. *En pariter accedimus.*
OE. *Cariſſima ô mea germina.*
„ AN. *Parenti omnia*
„ *Iucunda.*
OE. *Suſtentacula ô huius viri.*
AN. *Infauſta ſuſtentacula infauſti viri.*
OE. *Teneo animo ſuauiſſima meo pignora,*
Neque ſi mori, vobis mihi aſſiſtentibus,

Con-

Contigit, omni ex parte me puto miſerum.
Fulcite, natæ, nunc latus mihi dexterum,
Parenti inhærete atque calamitoſa iam
Hæc vt queant quieſcere miſeri exulis,
Quiq́ue modo deſertus gemebat, filiæ,
Componite imbecilla membra, atque pariter
Quæcunque vobis acciderunt, ea breui
Sermone mihi perſtringite: etenim veſtra quæ eſt »
Conditio, & ætas, vos breuis ſermo decet. »
AN. *Huic noſtra debetur ſalus, hunc audias,*
Atque hoc modo mea breuis erit oratio.
OE. *Ne, ô hoſpes, admirere, ſi inſperati ego*
Ob redditam gnatis ſalutem gaudij
Permotus æſtu, longiore traxerim
Orationem ambage: tu ſolus mihi
Huiuſce inexſpectati es auctor gaudij.
Id me haud latet. niſi tibi, nulli hominum ſuam
Debent ſalutem. Dij ſuperi ea, quæ opto ego,
Tibi, atque terræ huic, largiantur: vos apud,
Mortalium, quos adij ego, ſolos viget
Pietas, amabilis viget benignitas,
Fuciq́ue neſcia veritas, expertus id
Ego ſcio, verbisq́ue aſtruo hanc fidem meis,
Quæcunque habeo ego, abs te habeo ſolo: dexteram
Quæſo mihi, ô Rex, porrige, vt tangam, & tuum
Venerande, ſi fas eſt, caput iam exoſculer.
Verùm quid infelix loquor? qui fas mihi
Sit poſtulare taminata tangere

Dextra virum iſtum, cuius vnquam integritas
Nulla inquinata eſt turpitudinis nota?
Sed nunquam omittam, quin tuum oſculer caput.
» *Solos malorum, ſæua quæ mortalibus*
» *Fortuna miſcet, eos ſubit miſeratio,*
» *Qui calamitates pertulêre ipſi. itaq; tu*
Nunc hinc mihi ſalueto, & ut feciſti adhuc,
Semper mei etiam in poſterum curam gere.
T. *Quod maximo ob gnatas receptas gaudio*
Prolixiore oratione es Oedipe
Vſus, nihil miror, prius'ue quòd ad eas,
Quàm ad me, ordine inuerſo, profecta oratio eſt,
Nulla inde oborta animo ægritudo fuit meo.
„ *Inſignibus famæ decus factis mihi,*
„ *Quàm augere dictis ſemper, Oedipe, potior*
„ *Cura fuit: hoc re oſtendo, quæq;, hoſpes, tibi*
Iuraui, in omnibus fidem exolui meam,
Saluas tibi has adduco, & ab eorum feris,
Qui rapuerant, tutas minis. at prælia hæc
Quo Marte ſint dirempta, quorſum attinet
Superbius iactare me? opportunius
Iſtæ tibi per otium omnia referent.
Sed quod mihi gradum huc ferenti iam fuit
Renuntiatum, id animum apud reputa tuum,
Leue id quidem, ſed negligi quod non decet.
„ *Res nulla, quantuncunq; videatur leuis,*
„ *Nihili æſtimari debet.*
OE. *Atqui quidnam id eſt*

Quod

Quod ais? ſate Aegeo, rogo mihi explices:
Ego nil eorum, quæ loqueris, intelligo.
T. *Aiunt virum quendam, haud quidem ciuē tuū,*
Sed ſanguine tibi fortè iunctum, ſupplicem
Neptuni ad aram prouolutum, vnde ego ſacra
Faciens vocatus me huc recepi.
OED. *Sed quis eſt,*
Aut qu dnam ad aram conſidens ſupplex petit?
T. *Neſcio equidem, niſi quod ferunt humili ſono,*
Nulloq́ faſtu abs te exiguum aliquid poſcere.
OE. *Haud parua res ſedere ad aram compulit.*
T. *Venire tecum in colloquia petere ferunt,*
Tutusq́ vt acceſſus, receſſusq́ pateat.
OE. *Quiſnam igitur eſt, qui ſacram ad arā cōſidet?*
T. *Vide, ne aliquis Argiua in vrbe ſanguine*
Iunctus tibi, hoc abs te impetrare poſtulet.
OE. *Cariſsime ô Theſeu, reſiſte quo es loco.*
T. *Quid hoc ſibi vult?*
OE. *Quæſo, ne tu me obſecra.*
TH. *Quam rem cedo?*
OE. *Supplex quis iſte ſit, mihi*
Iam rettulēre iſtæ.
TH. *Quis eſt, quem dignum ego*
Reprenſione indicem?
OED. *Meus ille, Rex,*
Quem peßimè odi, eſt filius, cuius mihi
Audire vocem morte acerbius foret.
T. *Quid? nunquid audire licet, & nihilominus*

Non facere quod nolis? quid auditus tibi
Ferat moleſtiæ?
OE. *Hei mihi triſtiſſima*
Vox patrijs illa inſonabit auribus.
Ne quæſo cedere me neceſſitas mihi
Statuatur.
T. *At ne cogat habitus ſupplicis,*
Et quæ Dijs præſtanda relligio eſt, vide.
AN. *Pater, impetrare abs te hoc mihi liceat obſecro,*
Vt iam mihi, adoleſcentula etſi ſim, tamen
Obtemperes monenti, age animo ſinas
Virum hunc ſuo, ipſiq; obſequi Deo, ac fratri,
Accedere vt te liceat, indulge mihi.
Nec enim illius ita erit efficax oratio, vt,
Contrà, atq; ſtatuiſti illa, te inuitum trahat.
Quid verba damni dent? & egregia opera
Concepta cogitatione, non niſi
Per verba declarari, & exprimi ſolent.
Ex te ſatus vitæ haurit auras, atq; ſi
Iam peſſima, ſceleſtiſſima erga te, pater,
Molitus eſſet, non tamen rependere
» *Illi mala deceat. ſed illum. etiam alijs*
» *Sunt liberorum praua germina, & ferox*
» *Ira, atq; vehemens impetu animus. verùm acres*
» *Sermone amicorum, efficaci vt carmine,*
» *Motus reſidunt impotentis pectoris.*
Non vrgeare nunc, pater, præſentibus,
Patris intuere, & acerba genitricis mala,

Quæ

Quæ ſi, vt decet, diſcuſſeris, iam clarum erit,
Quàm noxios ferat ira triſtis exitus.
Atque huius euidentia indicia rei
Penes te habes, non vi irrogata, quòd oculis,
Et lumine orbus triſte tempus exigis.
Age cede nobis: haud decet longa prece »
Nimiumq́ blanda defatigari, æqua qui »
Petunt: beneficioq́ qui affectus fuit, »
Meminiſſe debet, vt rependat gratiam. »
OE. *O filia, voluptate me ingrata, ac graui*
Dicendo vincis. agite, fiat vt lubet:
Hoc deprecor tantum, hoſpes, ille vbi venerit,
Vt ne quis inuitum quid adigat aggredi:
T. *Dixiſſe ſufficiat ſemel. quid attinet*
Vanas ſuperbè glorias iactare? tu id
Mihi crede, vitam ſemper incolumem tibi
Fore, donec eſſe me Dei incolumem volent.
CH. *Cui mens auidis feruida curis* » Anapeſt.
Aeſtuat, atq; vltrà, quam ſatis eſt, »
Poſcit auara, cui mediocritas »
Diſplicet aurea, quis non praui hunc »
Eſſe ingenij, meritò dixerit? »
Multa adfert longa dies triſtia, »
Nil volupe adferre poteſt vita ei, »
Immodica cui cæca cupido »
Pectora turbat, nec, niſi morte, »
Satiatur amor dirus habendi. »
Expers Hymenæi cùm Parca »

Strepitu

» *Strepitu abſq; lyræ apparens,*
» *Triſtem abrumpit funere vitam.*
Vide adagium Optimum nō naſci. » *Non naſci arbitror optimum,*
» *Aut ſimul ac ſatus hauſeris auras,*
» *Refugos, vnde adueneris,*
» *Mox retroferre pedes, proximum eſt:*
» *Quæ fert viridem læta iuuentam,*
» *Quàm ſtultos ſimul animi motus*
» *Aduehit ætas?*
» *Quis quoque tum ſæuas immunis*
» *Effugere ærumnas poteſt?*
» *Quem non miſeræ infeſtant curæ?*
miſeriæ ſenectutis. » *Hic cædes, ſeditio, pugnæ,*
» *Rixis, inuidia omnia flagrant,*
» *Tandemq; gradu languido*
» *Forteis celeri traijcit haſta*
» *Odio plena, ac viribus orba,*
» *Moroſa atque ingrata ſenectus,*
» *Quam mala cumulata malis*
» *Mille ſequuntur.*
Nec ſolum me hæc, vt Boreæ patens
Moto tunditur æquore littus,
Tempeſtas quatit, hunc quoque diro
Turbine mota procella
Funditus obruit,
» *Alia ex alia cura fatigat:*
» *Atque hæ quà ſol Oceano caput*
» *Mergit, veniunt, aliæ quà diem*

Radia n-

Radiante mouet conſpicuus rota, ”
Arcturo aliæ oppoſita à plaga, ”
Riphæi alias cumulant montes. ”
AN. *Sed hoſpes incomitatus huc mouet gradum*
Pater, vt videtur, humidis triſteis rigans
Lacrymis ſinus.
OE. *Quis eſt?*
AN. *Is ipſe, quem fore*
Præſagiebam ego eſſe, Polynices adeſt.
PO. *Hei mihi,*
Quid agam, ſorores, mea'ne plorabo prius
Mala, an miſerias huius intuens ſenis
Patris? peregrinis quem in oris reperio,
Voſq́; pariter cum illo reiectas, membra cui
Tales tegunt veſtes, ſenile quæ ſitu &
Squallore corpus ſordidant, caput oculis
Orbum, coma impexa horret, agitataq́; leui
Mouetur aura, nec habitu, puto, diſcrepat,
Famelicum quæ placat eſca ventrem: ego hæc
Hominum miſerrimus omnium, ſerò nimis
Cognoſco, peßimumq́; me mortalium,
Alimenta dum tua iſta conſpicor, pater,
Ad te venire hac voce teſtor, metuoq́;,
Ne miſeriam præſentia mea tuam augeat.
Sed quæ aureo aßiſtit throno ſemper Iouis
Sancta reuerentia illa te coram quoque
Aßiſtat, ô pater, data admißis ſuæ
Medela noxis, elui at nunquam queunt.

Quid

Quid taces?
Alloquere me, verboq́ digneris, pater,
Deſpectui ne ſit tuus tibi filius.
Ah nil refers? ſpretum ita remittis nil loquens?
Hoc tribue ſaltem, iræ huius vt cauſſas ſciam.
O hoc patre genitæ, ac ſorores ô meæ,
Vos date operam, nunc difficilem aditu patrem
Precibusq́ veſtris peruicaces pectoris
Commitigetis impetus, ne ita miſerum
Nulloq́ honore ſupplicem affectum Dei
Ableget, alloquio iuuet tantum ſuo.
AN. *Aduentus ipſe tu explica cauſſas tui:*
„ *Prolixa enim ſeu mulceat dulcedine,*
„ *Siue excitet ferocis æſtus pectoris,*
„ *Siue miſereri oratio cogat, etiam*
„ *Mutis vel ipſis illa vocem extorqueat.*
PO. *Effabor itaque, tu optimè mones ſoror.*
Primum omnium Deum hunc in auxilium voco,
A cuius ara me excitauit ſceptra qui
Terræ ſuperba huius regit: fidem hic ſuam,
Tutumq́ dicendi, audiendi præſtitit
Mihi commeatum. idem ego vtinam à vobis queã
Sororibusq́, patreq́, conſequi hoſpites.
Aduentus at cauſſas mei tibi, pater,
Nunc explicabo, patria per ſcelus humo
Fugatus exul exteros apud ago, quòd
Sedes tui occupare regias throni
Maior ego natu filius contendi: ob id

Natu

Natu minor ſceptris potitus me expulit
Regno Eteocles, nec cauſſa, quàm mea, illius
Fuit æquior, nec clarior viget illius,
Quàm noſtra virtus; reſq; geſta ſtrennuè,
Perſuaſit vrbi: Erinnys, ô pater, tua eſt
Stragis mihi huius cauſſa, ſic exiſtimo.
Idemq; poſtea mihi fatidicis ſonis
Dixêre vates. profugus itaque Doricum
Poſtquam Argos appuli, ſocerum Adraſtum ſtatim
Adeptus, auxilio mihi Argiui inclytos,
Primoſq; principes ſoli adiunxi, fide
Et iureiurando dato icta fœdera:
Septena turreis caſtra Cadmeas premunt:
Iuſta nece interire, vel qui iniurias
Mihi machinati ſunt, humo vltos pellere
Certum eſt. ſed hactenus iſta. quæ aduentus mei
Sit cauſſa, nunc effabor. ad te ô ſupplices,
Pater, preces nunc adfero auxiliarium, &
Meas. Pelaſgi ad arma cuncti principes
Moti cateruis obſident ſeptem vberes
Thebani agros ſoli: potens armis adeſt
Belliq; gloria, atque fatidico impetu
Dux primus Amphiareus: ſecundus Oeneo
Tydeus ſatus parente: Eteocles tertius
Argiuus eſt genere: atq; quartum Talaus
Submiſit Hippodomontem in auxilium pater:
Thebasq; capturum ſtatim ſe glorians
Succedit ordine Capaneus quintus: manu

Belloq;

Belloq́ꝫ Parthenopæus Arcas inclytus
Proficiſcitur ſextus, cui à matre inditum
Nomen fuit, quæ virgo cùm eſſet antè, eum
Enixa felice generoſum prodidit
Atalanta partu : ſeptimus at ego tuus,
Ac fortè ſi non ſim tuus, ſed aſperi
Infauſta proles fati, at Oedipi tamen
Vocatus, intrepidas ago Argis copias,
Thebarum in excidium. proinde, vt filÿ,
Precamur omnes te genitor, ac ſupplices
Precamur, indomitos pater preme impetus
Effrenis iræ, in me incitatus qua tumes:
Iniurias vt vindicem fratris, abeo,
Qui regno auito exterminatum me exteris
Compellit exulem agere in oris. at fides
Si qua tribuenda oraculis, hîc, quò tuus
Verget fauor, certiſsimam victoriam
Spondent Dei. per te itaque cognatos Deos,
Per patrios fonteis precor, morem gerens
Concede iam mihi. vagamur hoſpites,
Rerumq́ꝫ egeni, tu quoque hoſpes exteras
Oras pererras : vitæ ad vſum, vt ſuppetant,
Quæ pertinent, blandiri, & alios cogimur
Colere tu, & ego eodem obruti infortunio:
Regni interim ille ſceptra Thebani occupans
Vtrique noſtrum inſultat, & agit molliter
In honore ſummo, quem, modò fauore tu
Dignere me tuo, ſtatim exiguo improbum

Frangam atq; diſsipabo momento, atq; te,
Illo fugato, in regna reſtituam tua,
Ipſumq; me, & de hoc, ſi voluntatis tuæ
Iuuer fauore, gloriari promptum erit:
Te deſtitutus, hei pater, potero nihil.
CH. *Id expedire quod tibi videbitur*
Reſponde huic viro Oedipe eius, qui huc eum
Miſit, fauore, deinde dimittas licet.
OE. *Atqui hunc, niſi telluris huius Rex virum*
Duxiſſet Aegeo ſatus Theſeus, ei
Vt audientiam darem æquum iudicans,
Nunquam mea illi audita vox fuiſset: at
Theſei rogatu dignus habitus audiet,
Mæſtusq; voce audita abibit, hoſpites.
Tu ſceptra regni cùm occupares, quæ tuus
Thebis tenet nunc frater, impiè ſuo Acerba apo ſtrophe.
Patrem hunc tuum regno expuliſti, tuq; eò
Miſerum redegiſti, vt ſine vrbe erret vagus,
Squallenteq; horrida membra amictu contegat:
Quæ nunc vt aſpicis, per ora lacrymæ
Manant, quòd in eaſdem nouerca miſerias,
Fortuna te coniecit: at mihi non puto hæc
Lugenda, ſed ferenda tantùm. viuo ego
Vt viuo: verùm parricidæ te loco
Habebo ſemper: tu me in ærumnas, quibus
Exagitor, implicitum protruſiſti, meo
Tu me fugaſti regno, eo nunc per te ego
Recidi, alimenta vt poſcere alios me fera

Neceſsitas compellat, & nutricias
Niſi genuiſſem has virgines, quod attinet
Ad te, nihil iam eſſem amplius: vitam hæ mihi
Tuentur, atq; ſuſtinent, hæ nutriunt,
Hæ miſerias, non debiles vti feminæ,
Sed vt viri tolerant meas. ex me quidem
Neuter ſatus veſtrum eſt. tibi quam meritus es,
Nondum Deus plagam intulit: longa haud mora
Futura, ſi Argolica petat Thebas manus,
De vrbe capienda vana gloria. tu prius
Atro cades cruore ſquallidus, & ſimul
Tecum impius frater. caput ego talibus
Defixi Erinnybus antè veſtrum, nunc quibus
Defigo rurſum, vtq́; auxilia iungant ſua,
Obteſtor, vt pietatis, hoc tandem modo,
Præſtare quam decet parentibus, animis
Memoria veſtris excitetur: & ſimul
Oculis quod orbus, vitam in obſcuro trahat,
Non eſſe habendum deſpicatui patrem.
In virginibus his nulla culpa eiuſmodi
Hæret: thronos illæ tuos, & ſceptra, quæ
Tu ſomnias, illæ occupabunt, ſi modò
Veterum celebrata ore Dea vindicta adhuc,
Quo olim ſolet loco, Ioui ſummo aſsidet.
At tu execratus hinc faceſſe, patriſq́; iam
Nudatus auxilio, ſceleſtiſsime hominum
Recede, quaſq́; nunc tibi horrificas pater
Diras precatur, has ſub atra Tartara

Tecum auferas : neque Marte felix patria
Potiare humo vnquam, nobile nec Argos redux
Teras : Sed in fratrem ruas frater, fera
Illius, à quo exactus exul agis, cadas
Manu, tuaq; ille : hæc vt eueniant, Deos
Oro, ſimulq; vt præparent tibi locum
Manes profundos triſtis inuoco Tartari,
Has oro Diuas, oro ſanguineo trucem
Furore Martem, atrocibus qui pectora
Veſtra ſtimulat odijs. Abire liberum eſt:
Quæ vota ſunt mea audijſti : nuntius
Thebas colentibus iam abito ciuibus,
Ac vniuerſis, quos in auxilium vndique
Tuum coëgiſti, recede, & Oedipum
Hæc dic ſuis paraſſe præmia liberis.
CH. *Polynices, heu, nil eſt, quòd ob ſuſceptum iter*
Tibi gratuler, quàm primùm itaq; refer gradum.
PO. *Triſtem heu viam, ſors ô acerba, eheu cohors*
Fida ſociorum, inauſpicato heu ſidere
Exercitus Argiua ab vrbe ducimus.
Miſero hei mihi, tacitum premere me miſerias,
Ac deuorare oportet, aperire ſocijs
Hæc non licet, neq; refugum pedem licet
Referre. Germanæ ſorores vos precor
Poſtquam horridas, quibus caput pater meum
Defixit, imprecationes auribus
Ipſæ audijſtis, per Deos vos obſecro,
Ne, ſi quibus me deuouet Diris pater,

 Corri-

Corripiar infelix ego, ſiq́, vt canit,
Vos patrijs reddamini penatibus,
Caræ ô ſorores, ne, precor, me ſpernite,
Ne abijcite fratrem, funeris vobis mei
Sit cura, terra condite miſerabile
Cadauer, exequiasq́, vos inclytas quas decet, date.
Laus, qua in patrem ſumma pietas
Totoq́, celebres orbe reddidit, hoc mihi
Beneficium ſi adiungitis, adaugebitur.
AN. *Obſecro Polynices, mihi morem gere.*
PO. *Qua in re cedo cariſſima Antigone ſoror?*
AN. *Quàm ocyſſimè Argos copias reducite,*
Nec te, atq; perditum vniuerſam vrbem iam eas.
PO. *Hoc in manu non eſt mea: ſi exercitu*
Miſſo timoris ederem ſigna ſocijs,
Qui rurſum eaſdem cogere queam copias?
AN. *Quid iterum in iras concitari turgidas*
Frater iuuet? quod patria euerſa lucrum?
PO. *Infame fugere eſt. nec ſatu maior cùm ego*
Sim, fratris exponi volo ludibrijs.
AN. *Vides vt in vos recto eant hæc tramite?*
Ab vtroque mortem vtriq; veſtrum ingruere ait.
P. *Prædicit ille quidē: at mihi haud tolerāda ſunt.*
AN. *Miſeræ hei mihi, quis iſta poſtquam audiuerit,*
Hic quæ Deûm ex oraculis minatus eſt,
Frater, tibi, partes ſequi audeat tuas?
„ P. *Reticebimus quæ aduerſa ſunt: Ducis hoc boni eſt*
„ *Læta palàm habere, infauſta premere ſilentio.*

AN. *Hæc*

AN. *Hæc itaq; ſic, frater, tibi ſtatuta ſunt?*
PO. *Nec me impedi tu: animo meo fixa hæc via*
Sedet, etſi inauſpicatam eam reddunt patris,
Pariterq; Erinnyes meæ. Sed Iuppiter,
(Viui quia hærere amplius in amplexibus
Nunquam licebit) iuſta mortuo mihi
Si facere non renueritis, quæ fauſta ſunt
Vobis, benignus omnia vt præſtet, precor.
Recedere ſinite me, ac valete, iam vltimùm
Viuum fratrem videtis.
AN. *Hei mihi miſeræ.*
POL. *Luctu abſtine.*
ANTI. *Properantis hei ad inferos.*
Quis non gemat fratris vicem?
POL. *Neceſſe ſi*
Sic ſit, moriar.
ANTI. *Audire ſed ſi me voles,*
Non vlla te compellet huc neceſſitas.
PO. *Quæ non decent, ne iuſſeris.*
ANTIG. *Miſeræ hei mihi,*
Si ſæua te fratrem mihi mors auferat.
PO. *Dij fata diſpenſant: penes Deos id eſt* ”
Felice, an infelice naſci ſidere. ”
At vos ne in vlla aduerſa præcipitent, Deos
Obteſtor, indignas mala ſorte opprimi.
CH. *En noua rurſus triſtiaq; hoſpes* Anapæſtici
Oculis orbatus mala concitat.
Niſi fortè omnia vis fati regat, ”

 Nil

„ *Nil ſtatuerunt vnquam*
„ *Numina temerè:*
„ *Immenſum inſpicit omnia tempus,*
„ *Triſtibus alia accumulat triſtia.*
Sed ſonat æther, Iupiter.
OE. *O filiæ, quis incolarum huc optimum*
Iambici. *Virum mihi, vt veniat, vocabit Theſea?*
AN. *Quæ cauſſa pater? accerſi eum cur imperas?*
OE. *Iouis ecce me aligera Tonantis mox manus*
Ad inferas deducet vmbras, ocyus
Aliquem expedite, Theſeo qui hæc nuntiet.

CHORVS.
Anapæſtici.

EN iterum terribili
Concutitur Iouis æther tonitru,
Rigidos ſummo vertice crines
Erigit horror:
Animus ſtupet attonitus.
En rurſus micat. æthere fulgur.
At, at, at, quidnã hæc portenta innuunt?
Territa mens labat.
„ *Non fruſtra ſolet arduo*
„ *Mitti fulgur ab axe:*
„ *Aliquid ſemper ſecum*
„ *Aduerſi vehit.*
O ſumme æther, ſumme ô Iuppiter.
Iambici. OE. *O filiæ, fato ſtatutus imminet*
Vitæ mihi finis, nec effugium patet.

CH. *Qui*

CH. *Qui ſcis id, ô pater, vnde quæſo colligis?*
OE. *Certò ſcio: ſed aliquis accerſitum eat*
Regem, citato vt huc pius veniat gradu.
CH. *Rurſum aureis ferit editus æthere*
Horrendus fragor. Anapæſtici
Auerte iram ô Iuppiter:
Si qua ô telluri Atticæ
Sæua minaris,
Ne mala præcipitem me agant:
Nec quòd triſtibus aſpexi hoſpitem hunc
Exagitatum ærumnis,
Præmia iam damnoſa reportem.
Auxilium imploro tuum ô Iuppiter.

Chorus veretur, ne quid mali ſibi contraxerit ex colloquio hoſpitis.

OEDIPVS.
Iambici Trimetri.

THeſeus *vbi eſt? procúlne abeſt? viuũ'ne adhuc,*
Ac præditum me mente reperiet integra?
CHO. *Quænam placet ſecreta fido pectori*
Committere hoſpes?
OE. *Pro beneficio volo*
Plenam, vltimamq́, ei referre gratiam,
Verbiſq́, ſic ei meam aſtrinxi fidem.
CH. *Rex præcipiti rapere huc curſu,*
Etſi fortè, vbi votiuas capit Anapæſt.
Pulſata æquoris
Fluctibus horridis
Neptuno ſacra victimas
Ara, Deum venereris,

Huc ades: hoſpes, meritorum memor
Dignam vrbiq́; tibiq́; rependere
Et amicis vult gratiam.
Propero, Rex, allabere curſu.
Trimetri. T. *Quis rurſus hic ſtrepitus? quis exortus mouet*
Vos clamor? hoſpitis'ne cauſſa? an ardua
Ab arce fulmineas Deus vibrat faces?
Aut miſta pluuijs grando decidit imbribus?
Huiuſmodi cùm turbine inſtat Iuppiter,
Non poſſumus non metuere meritò omnia.
OE. *Deſideratus Rex ades, & auibus bonis*
In hanc opinor iam dediſti te viam.
T. *Quid genite Laio nunc ſubortum extat noui?*
OE. *Inclinat en nunc vita ad exitum mea,*
Quam vrbi tibiq́; dedi, fide me exoluere,
Mors antequam vitam mihi abrumpat, volo.
TH. *Quæ te indicia de morte commonent tua?*
OE. *Signis Dei ipſi proditis mortis meæ*
Sunt nuntij: vox certa ſemper numinis.
T. *Quibus tibi denuntiantur hæc modis?*
OE. *Continua toto tonitrua æthere, ignei*
Contorta ſpicula fulguris denuntiant.
TH. *Dictis fidem tribuo tuis: dixiſti enim*
Permulta fatidico ore vera. in poſterum
Nobis quæ agenda ſint, mihi communica.
OE. *Sate Aegeo Theſeu, tibi ego ſum talia*
Nunc explicaturus, ſaluti quæ vrbi huic,
Tibiq́; ſunt futura ſemper: ipſe mox

Ductore

Ductore nullo, fata me vbi mori volunt,
Certis petam veſtigijs locum. at caue,
Illum cuiquam tu indices mortalium,
Nec corpus vbi tellure conditum meum
Recubat : locus ſcuti inſtar inuicti hic erit,
Vbi Marte mœnia tua vicini petent.
At ſacra quæ ſilentio myſteria
Tegenda ſunt, in eum vbi veneris locum
Solus, tibi aperiam omnia, illa ciuium
Nulli, nec ipſis, etſi eas tenerè ego amem,
His filiabus indicauerim meis.
Tu pectore illa contine fido : atq; cùm
Vitæ imminebit exitus, Theſeu, tuæ,
Vni illa cuipiam, ſed optimo viro,
Pandes ſecreta, quæ ille ſucceſſoribus
Tradet ſuis : atq; hoc coles vrbem modò
Munitam Agenoridumq; maximis licet,
Nullis tamen delebilem vnquam viribus.
Sunt mille iuſticiæ decus apud quas viget,
Quæ ad inferendam vrbes ruunt iniuriam. »
Magnos nihil fugit Deos : tardè licet »
Veniat, venit tamen horrido pede cœlitus »
Delapſa tandem pœna, eoſq; corripit, »
Pietate qui ſpreta, atq; honeſti vinculis »
Ruptis ruunt dirum in furorem. proinde tu »
Mentem, ne id accidat tibi muni tuam.
Sed iſta non loquor rudi ignaro'ue. Nunc,
Quò me Deûm vis, fataq; vrgent, ad locum

Feramus impauidi gradus, ô filiæ,
Veſter ego dux futurus, ante vos patri
Duces fuiſtis, ite, non contingite
Me, ſinite nunc per me inuenire mihi aggerem
Tumuli ſacratum, vbi virum hunc terra volunt
Sua fata condi, illac iter, iter hac, agit
Me hac Manium dux Mercurius, & inferi
Dea lacus. ô nullo refulgens lumine
Lux noſtra, vbi hactenus fuiſti? iam vltimum
Te membra contingunt mea, abeo nunc ego,
Dies vt extremos meæ vitæ inferas
Apud recondam vmbras Erebi. at ô hoſpitum
Cariſsime omnium, tu, humusq́; hæc, & tui
Fauſti æuum in omne ſubditi vitam exigant,
Feliciaq́; vobis vbi fluent omnia,
Mei quoque ſubeat memoria mortui.

CHORVS.

Dimetri Iambici Catalectici & Acatalectici.

Placidum genus mortis precatur Oedipo.

SI fas opacæ Diuam
Noctis, humili ſi fas
Prece inuocare ſceptris
Qui euanidas premis vmbras
Tartaree Pluto, obteſtor,
Laborioſa ne hoſpes,
Ne morte dura tortus
Migret inferos ad Manes,

Stygias-

Stygiasq́; ſubeat arces:
Nam plurimis iactatum,
Crudelibusq́; ærumnis
Deus viciſſim iuſtus
Solabitur te ô Oedipe.
O ſacræ Erinnyes Deæ,
Inuicteq́; canis, poſtes
Cubare quem ante æratos
Fama eſt, ſpecuq́; Stygio
Trifauci ab ore diros
Edere latratus, nigri
Indomite cuſtos Tartari,
Telluris ô Erebiq́;
Partus, placidus accurras
Tendenti ad inferornm
Atras cauernas hoſpiti.
Te etiam inuoco, perpetuo
Sopore quæ perfuſa
Artus quieſcis ô Mors.
NV.*Sermone, ciues, vtar vt breuiſſimo,* Iamb.trim.
Mortem obijt Oedipus.at ibi quæ geſta ſunt,
Compendioſus ſermo nullus explicet.
CHO.*Obijt miſer?*
NV. *Reditura nunquam euanidas*
Fugit ſub vmbras vita.
CHOR. *Sed quonam modo,*
Sine cruciatu'ne, atque diuina ope obijt?
NV. *Miranda contigêre: namque quomodo hinc*
Abijt

Abijt, duce vſus ex amicis nemine,
Dux ipſe noſter præuium carpens iter,
Præſens qui eras, noſti ſatis vbi ventum erat,
Prærupta quà ſpecum via facit æreis
Munitum ab imo gradibus, atq; vbi plurima
Coït vndique via, caua haud procul voragine,
Vbi icta Pirithoumq;, & inter Theſea
Fuêre duratura ſemper fœdera,
Hoc conſtitit loco, Thoriciam inter petram
Cauumq; Acherdum, tumulo ibi ſedens ſaxeo
Mox exuit ſquallore veſtes obſitas,
Gnatas vocat, laticemq; viuo flumine
Hauſtam iubet lauacra portari ſibi:
Illæ, Cereri vbi prominet rupes ſacra,
Propero progreſſæ pede patris iuſſa faciunt,
Et lotione membra purgatum, & toga
Compoſitum adornauêre, vti exequiæ exigunt.
Ac grata cùm hæc officia ei eſſent, & nihil
Omiſſum eorum, quæ ſibi impendi vltimùm
Deſiderabat, illico intremuit humus,
Horrore ſæuus virgines quatit pauor,
Genibusq; patris aduolutæ triſtibus
Miſcent querelas lacrymis, nec abſtinent
Niuea inimico vngue laniare pectora:
At ille viſceribus ab imis lugubri
Mugire terram vt audijt ſono, illico
Natas manibus amplexus, inquit, filiæ
Hic vltimus reſtat patri veſtro dies,

Vitam

Vitam hic meam ſecum auferet, requieſq́ iam
Vobis futura à me eſt, labore nec graui
Quæ ſuſtinendum ad corpus iſtud miſerum erant
Opus, neceſſe erit parare: id aſperum,
Durumq́ vobis ſcio fuiſſe, caræ filiæ:
Sed mollit vnum hoc quaſlibet moleſtias,
Sincerus hic, quo proſequutus vos ſum, amor.
At nunc eo priuatæ id æui quòd ſuper
Eſt, reliquum adhuc viuetis. atq́ mutuo
Complexu inhærentes, ita gemitu ſimul
Fletuq́ mœſto perſonabant: lacrymis
Egeſtus vt aliquantulum fuit dolor,
Nullus gemitus auditur amplius: alta mox
Secuta ſunt ſilentia. Ecce repente vox
Nube edita audita fuit illum accerſere:
Metu omnibus rigidæ ſtetêre comæ: ſono
Iterum, iterumq́ ac ſæpe repetito Deus
Vocat, heus, ait, quid adhuc moramur, Oedipe,
Cur tam diu cunctaris? vt diuinitus
Seſe vocari ſenſit, extemplo iubet
Regem venire Theſea. is ſimul aſtitit,
O carum, ait, caput manum fidei tuæ
Teſtem atque certum pignus, age, gnatis meis
Iam porrige, atq́ vos viciſſim filiæ
Porrigite huic. promitte, ſponte quòd tua
Nunquam haſce deſeres, quòd ex vſu omnia
Quæcunq́ earum fore putabis, ſedulò
Curabis: at ſola ille generoſa indole

Permotus,

Permotus, haud miſeratione vlla, fidem
Iuratus, hoſpiti hanc dedit certam, illico
Complexus infirma Oedipus natas manu,
Filiæ, ait, animo hæc ferre magno vos decet,
Atque generoſo, hiſq; egredi ſtatim locis,
Ne, quæ videre vos nefas, videatis, &
Quæ ſunt ſilentio implicanda, audire vos
Contingat. ocyus igitur diſcedite:
Theſeus veniat huc, vt, quæ agenda ſunt, ſciat,
Soluſq; veniat. talibus fantem ſonis
Audiuimus: fuſis rigantes lacrymis
Sinus puellas non ſine graui nos quoque
Gemitu ſecuti, vbi paululum receſſimus,
Mox retro flectentes caput reſpicimus: at
Nuſquam vir ille apparet: appoſita oculos
Rex viſus eſt tegere manu, ſpectri velut
Imagine pauefactus horridi, & oculi
Videre quod non ſuſtinerent. dein breui
Poſt illum humum ipſam, atq; ſuperûm ſedẽ Deûm
Venerari eadem prece videmus æthera.
Sed quo genere lethi obierit, mortalium,
Niſi Theſeo, nulli foret promptum eloqui.
Non ſæua vis peremit illum fulguris,
Nec, quæ hora eadem concitata turbido
Procella ferueſcebat æquore obruit:
Delapſus æthere nuntius vitam abſtulit,
Aut inferorum beneuolentia Deûm,
Tellus aperto eum ſinu placidè abdidit.

Non

Non ille gemitu proſequendus, nec velut
Vi morbi acerba ſit peremptus, lacrymis
Lugenda mors eſt, quæ omnibus mortalibus
Miraculoſa haberi debet. certa ſunt,
Quæ narro, nec conceſſerim, ſi falſa me,
Neq; ſatis explorata dicere quis ferat.
CH. *Vbi filiæ, ac ſequentium eum turba comitum?*
N. *Non hinc procul abeſſe puto: vox lugentium*
Propè adeſſe, & huc dirigere greſſus arguit.

ANTIGONE.

Variè mixti Anapæſtici Iamb. Anapæſtici Dimetri.

EHeu nunc tempus adeſt.
Infauſtum ortû ſanguinem ab ipſo
Miſeri flere parentis,
Et quas tolerauimus ærumnas
Prius, & quæ toleranda miſeris
Extrema nunc reſtant.
CHOR. *Quidnam hoc eſt?*
ANT. *Nec cogitatione*
Poſſum aſſequi crudeles,
O hoſpites, miſerias.
CHO. *Deceſſit?*
ANT. *Ac ſic, vt obitus ſcire*
Deſideres modum:
Vt quem nec truculentus Mauors,
Nec vis feruida ponti ſuſtulit:
Verùm ima, obſcuro lethi modo,
Lato abſorpſit chaſmate tellus.

Heu

Heu me miſeram:
Oculos nox oppreßit
Exitioſa tenebris noſtros:
Nam nos an peregrinas exules
Errabimus per oras,
An turgida Notis inopes
Victusq́, diurni ſollicitas
Iactabunt freta, neſcio.
IS. *Vtinam me quoq; ſanguinolentus*
Rapiat Pluto, vt pariter cum ſene
Mortem parente miſera
Obeam: vitæ, quæ reliqua eſt mihi,
Nulla voluptas.
„ CH. *O gemina proles Oedipi*
„ *Quæ deſtinata fatis*
„ *Veniunt, patienter toleranda ſunt:*
Ne nimio conficite
Quia Theſeus eas nõ ſit deſerturus. *Pectora luctu:*
Non tam ſæuo vos exagitant
Turbine fata.
AN. *Eſt'ne ærumnarum, quod mulceat,*
Pectora, deſiderium?
Id quod nequaquam iucundum,
Viſum eſt iucundum, cùm illius
Præſentia frueremur,
O pater, ô care pater,
Te perpetuæ ſub humo
Tenebræ detinent.

Ah,

Ah, quamuis infirmo
Fractus ſenio, nunquam
Faſtidium tui me
Cœpit, nec nunc capiet.
CH. *Qua ſorte vtitur?*
AN. *Qua maxime vti optauit.*
CHO. *Quanam?*
AN. *Qua cupijt, peregrina*
Occubuit humo,
Tumulumq́ nactus opaca
Defenſum vmbra,
Non indefletus perijt.
Oculi tua funera noſtri pater
Triſti cum gemitu lugebunt
Semper: nec ægritudo
Qui poſsit hæc leniri,
Video. hei mihi, peregrina
Non debuit tua oſſa
Contegere tellus: longè
Semotus hei ab amicis,
Vitæ vltimum diem obiſti.
IS. *Eheu, quæ me Fortuna manet?*
Deſertam, egenamq́ omnium
Rerum, atque te quoque ſoror
Caro parente orbatas.
CHO. *Sed quando feliciter*
Extremos vitæ ſoluit dies,
Deſine luctu pectora triſti

„ *Macerare. nemini à malis*
„ *Immunis atq; libera*
„ *Traducta vita eſt vnquam.*
AN. *Properemus hinc ô rurſus.*
IS. *Quidnam facturæ?*
AN. *Deſiderium me tenet.*
IS. *Quodnam?*
AN. *Sub humo ſtructam*
Conſpicere domum.
IS. *Cuius?*
AN. *Hei mihi, patris.*
IS. *Sed fas non eſt, nunquid iam vides?*
AN. *Quid me obiurgas?*
IS. *& iam rurſum.*
Occubuit inſepultus,
Vlloq; ſine.
AN. *Duc nunc eò me, tuncq;,*
Si ſic lubet, interfice me.
Hei mihi miſeræ,
Vbinam deſolata,
Vbinam perdita poſthac
Vitæ peragam miſeros annos?
CH. *Pellite, amicæ, iniuſtos metus.*
AN. *Quò, quò miſera aufugiam?*
CH. *Ante hoc euaſiſtis,*
Fortuna ne qua aduerſa
In poſterum vos obruat.
AN. *Cogito.*

CHO. *Quid*

CHO. *Quid mente verſas?*
AN. *Quonam modo patrias ad*
Aedes redibimus.
CHO. *Non te hæc cura remordeat:*
Haud ignara mali vitam exigis.
AN. *Duris ſemper plena ærumnis*
Vita fuit mea.
CHO. *Vaſto iam pelago iactamini.*
AN. *Vaſto verè.*
CH. *Id quoq; ego fateor ipſe.*
AN. *Eheu, qua nunc inſiſtam via?*
Iuppiter, ad quas me ſpes
Impellit Deus?
CH. *Nimios, amicæ, gemitus,*
Nimias fundere deſine lacrymas.
Quibus optato contigit emori
Fato, illos plorare nefas eſt,
Atque velut inuidere ijs,
Quibus fruuntur commodis.
AN. *O nate Aegeo*
Theſeu, te obteſtamur ſupplices.
T. *Quis vobis operæ vſus erit meæ?*
AN. *Tumulum conſpicere patris cupimus.*
T. *Abire eò nefas eſt.*
AN. *Quid ais,*
O Rex Athenienſium?
T. *Hoc ipſe mihi, filiæ, inhibuit,*
Ne quis loco huic propinquet,

Neu quis tumulum imploret ſacrum
Quo corpus iacet abditum:
Quod rite ſi facerem ego,
Incolumem mihi ſemper
Tellurem fore dixit.
Atq; huius conſcius eſt Deus, &
Quod cuncta exaudit Iouis
Iuſiurandum.
AN. *Si illius animo ſedit*
Iſta voluntas, illa
Contentæ etiam nos viuemus:
Thebasq; nos Ogygias
Rurſus remitte, ſi qua
Prohibere mutuas fratrum,
In Quas ruunt furioſi,
Cædeis queamus.
T. *Faciam hæc, & omnia, veſtro*
Quæ exiſtimabo ex vſu
Eſſe, vt ei, quem nunc terra tegit,
Gratum faciam, nec durus labor
Vllus mihi eſſe videbitur.
CHO. *Ceſſate, & immoderato*
Nunc temperate luctu:
Rata atque firma hæc ſtabunt.

FINIS OEDIPI COLONEI.

Patauij 6. Calend. Octob. Anno à Chriſto nato M. D. LII.

ARGVMENTVM TRACHINIARVM, EX GRÆCO.

CALIDONEM cùm veniſſet Hercules, Oenei filiam Deianeiram vxorem popoſcit: luctaq́ne propter nuptias puellę cum Acheloo tauri gerente formam, inita, alterum ei ex cornibus confregit, Deianeiramq́ue ſponſam accipit. Cornu Achelous ſuum vt recuperet, Amaltheæ ei cornu dat. Amalthea autem filia Aemonij fuit, quæ tauri cornu habebat, cui ſingularis, Pherecyde teſte, vis inerat, vt quęcunque aut eſculenta, aut poculenta optari à quoquam poſſent, ſine labore vllo ſuppeditaret. Hercules verò cum Calydoniorum auxiliarijs copijs exercitum in Theſprotos ducit, captaque vrbe Ephyra, cui præerat Phylas, compreſſit filiã eius Aſtyochen, ex qua Thepolemũ generat. Poſt hęc autem, conuiuio apud Oeneum exceptus, Eunomum Architelis filium aquam ipſi abluendis manibus miniſtrantem, pugno inflicto occidit. Cognatione hic iunctus erat Oeneo. Pater quidem pueri non ſponte, neq̃ue dedita opera cędem factam conſiderans, Herculi ignoſcit: at ille, ſecundum legem, voluntarium in exilium ſeceſſit, Trachinemq́ue cogitans apud Cæycem ſtatuit diuertere. Ducta autem ſecum Deianeira ad Eueni ripas fluuij cùm perueniſſet, Neſſum ibi Centaurum ſedentem inuenit, qui illac iter facientes traijciebat, traiectionis huius munus virtutis ſuæ, iuſtitiæque à Dijs immortalibus mercedem ſe accepiſſe iactitans. Ipſe quidem Hercules fluuium tranſit: Deianeiram verò pacta mercede conſenſu Herculis tranſportat: cui vim, dum tranſmittit, inferre conatur. Illam vociferantem Hercules exaudiens, è fluuio egre diẽtis cor Centauri ſagitta transfigit. Ille iã agens animã Deianeirã aduocat, ſi conſtantem deſiderat, atque perpetuum Herculis erga ſe amorem, teſta exceptum conſeruare ſanguinem iubet, ac veneno in teſtam coniecto, qui ex vulnere teli effluebat, ſanguinem miſcuit. Illa acceptum penes ſe ſeruauit.

Peragrans autem Hercules Dryopum regionem, commeatuſq́ue inopia preſſus, obuium habuit Theodamãtum, qui ex vicinis paſcuis boues agebat, è quibus vnum mactatum comedit. Trachinẽ vt venit, à Cæyce exceptus, Dryopas debellauit. Illinc reuerſus Aegimio Dorienſium Regi ſuppetias tulit, contra quem Lapithæ Corono duce de finibus armis decertabant. Aegimius enim ob-

ceſſus in auxilium Herculem aduocat, parte regni ipſi deciſa. Ei Hercules auxilio venit, Coronum, & qui cum eo erant, occidit, regionemque totam in libertatem vindicauit. Allagoram quoq; cum liberis interemit Dryopum Regem, qui Lapithis in Apollinis delubro ſuppetias tulerat. Itone verò iter faciens ad ſingulare certamen à Cycno Martis & Pelopiæ filio prouocatus fuit: congreſſus eum occidit. In Orchomenos venientem Rex Amyntor vetuit, ne cum armis tranſiret: tranſitum impedientem occidit. Deinde Trachinem reuerſus, in Oechaliam expeditionem fecit, de Euryto pœnas ſumpturus. Arcadum autem Melienſiumque, qui ex Trachine erant Locrenſiumque auxiliarijs vſus copijs vrbem capit: ſepultiſque qui eo bello ceciderant ſocijs, interque eos Hippaſone Cæycis, Argio, & Melane Lycymnij, vrbeque ſpoliata captiuam abduxit Iolen: Cenæoque Eubœæ promontorio appulſus Ioui Cenæo aras erexit. Facturus autem eo in loco ſacra ad Cæycem hoſpitem ablegat Licham, qui veſtem ipſi ſplendidam apportet. Ex quo, cum de Iole Deianeira cognouiſſet, metuenſque ne illius amoribus deditus ſe negligeret, ac Neſsi cruorem amoris medicamentum eſſe certò ſibi perſuadens, eo veſtem inunxit: incaleſcente veſte, venenum Hydræ vires exerit, Licham de rupe dat præcipitem: qui nauigio Trachinem reuectus eſt. Porro Deianeira, doloris impatientia, laqueo vitam finit. Hercules Hyllo, qui natu maximus ei filius ex Deianeira erat, mandat, vt, adulta ætate, Iolen vxorem ducat. In Oetam Trachinis montem ipſe profectus, conſtructamque ibi pyram conſcendens, ignem Hyllum iuſſit ſubijcere. Quo renuente Pœas aberrantem illac ſecutus gregem: flammis ſubditis, arcum, & ſagittas muneri ab eo accipit. Ardentem rogum circumſepſiſſe cum tonitru nubes fertur, qua in cælum tranſlatus eſt Hercules, vbi immortalitatem adeptus, Hebe Iunonis filia in vxorem ducta, Alexiarem, & Anicetum generat.

Aliud Argumentum Trachiniarum.

HERCVLES deuicto Acheloo Deianeiram Oenei filiam vxorem ducit. Euryſtheus autem alijs alios vſque labores accumulans, faciebat, vt foris ſemper peregreque diſtricto Herculi domum redeundi omnis occaſio præcluderetur. Deuicta Oechalia

chalia domum tandem reuertens in Cenæo Bœoticę promontorio Ioui ſacra facturus ſubſiſtit, ſpoliaque ab hoſtibus capta, magnumq; virginum captiuarum numerum præmittit, inter quas Iolen perditè deperibat. Deianeira conſpiciens tam inſigni forma virgines, Iolenque, in qua præter ceteras, eximia indoles relucebat, ex Licha perquirit, quænam ſit, & vnde oriunda. Quod callidè Lichas diſſimulat, ne, pellice ob oculos adducta, animum ipſius exacerbaret. Sed reſciſcens id tandem regina, timenſque ne iuuenilis ſpecie ætatis, atque forma Hercules illectus, flaceſcentem iam, & vergentem ſuam deſpiceret, tunicam Herculi mittit ſanguine Neſſi illitam, perſuaſa olim à Centauro Herculis ſagittis transfixo, & ex vulnere animam iam agente, Philtri vim ſanguinem ſuum habere. Quam veſtem Hercules Ioui immolaturus cùm induiſſet, maximis cruciatibus victus, Lichaque de rupe deiecto, pyram in Oeta extrui iubet. Qua de re Deianeira facta certior, ſibi manus adfert. Hercules autem, poſteaquam Hyllum precibus miniſque compuliſſet Iolen vxorem ducere, in rogo ſuccenſo collocatus crematur. Quàm turpis, quamque noxia ſit libidinum intemperantia, hic exemplo Herculis admonemur, & viro tanto tam multis rebus præclarè geſtis, quique totum terrarum orbem fama nominis ſui compleuerat, & vt Ouidius ait, In Heroid. epiſt. Deianeiræ ad Hercul.

Quem nunquam Iuno, ſerieſq; immenſa laborum
Fregerit, huic Iolen impoſuiſſe iugum.

Dolor autem grauiſſimus hic etiam exprimitur, quem pudica coniux ſentit, quando torum violari, & maritum pellici addictum videt. Deianeira autem conſiderans qualis eſſet Iole, &, è qua Fortuna ad quem ſtatum redacta eſſet, nihil illi molitur mali: In eam tantùm cogitationem incumbit, vt quoad eius fieri poſſit, amorem Herculis retineat, profiteturque ad cædes, ad venena, malaſque alias artes, etiamſi acerbiſſimo luctu penè obrueretur, nolle confugere, quò tamen ignara prolabitur, præcipiti conſilio, non bene expendens quod à quo remedium datum eſſet. Proinde nihil præcipitanter agendum Sophocles præcipit, neque quicquam niſi re bene diligenterque perſpecta, atque explorata, tentandum eſſe.

Quia autem in ſecundo Tuſcul. quæſtionū Ciceronis extat verſio eius loci in hac Tragœdia, vbi Hercules ſe dolo feminæ circumuentum, infandis cruciatibus interimi μάλα τραγικῶς conqueritur, eam verſionem Ciceronis, ſiue, vt alijs placet, Attilij antiquiſſimi ſcriptoris hic adijcere volui, quæ ſic habet,

 O mul-

O multa dictu grauia, perpeſſu aſpera,
Quæ corpore exanclato, atque animo pertuli,
Nec mihi Iunonis terror implacabilis,
Nec tantnm inuexit triſtis Euryſtheus mali,
Quantum vna vecors Oenei partu edita.
Hæc me irretiuit veſte furiali inſcium,
Quæ lateri inhærens morſu lacerat viſcera,
Vrgenſq́; grauiter pulmonum haurit ſpiritus:
Iam decolorem ſanguinem omnem exorbuit,
Sic corpus clade horribili abſumtum extabuit.
Ipſe illigatus peſte interimor textili.
Hos non hoſtilis dextera, non terra edita
Moles gigantum, non biformato impetu
Centaurus corpori ictus inflixit meo,
Non Graia vis, non barbara vlla immanitas,
Non ſæua terris gens relegata vltimis,
Quas peragrans vndique omnem hinc feritatem expuli,
Sed feminea vis, feminea interimor manu.
O nate verè hoc nomen vſurpa patris,
Ne me occidentem matris ſuperet caritas.
Huc arripe ad me manibus abſtractam pijs.
Iam cernam, méne, an illam potiorem putes.
Perge, aude nate, illacryma patris peſtibus,
Miſerere, gentes flebunt noſtras miſerias,
Heu virginalem me ore ploratum edere,
Quem vidit nemo vlli ingemiſcentem malo.
Sic feminata virtus afflictum occidit.
Accede nate, aſſiſte, miſerandum aſpice
Euiſceratum corpus lacerati patris.
Videte cuncti. Tu cæleſtium ſator,
Iace obſecro in me vim Coruſcam fulminis.
Nunc nunc dolorum anxiferi torquent vertices,
Nunc ſerpit ardor, ô antè victrices manus,

Hic prætermiſit aliquos verſiculos Cicero.

O pecto-

O pectora, ô terga, ô lacertorum tori,
Veſtróne preſſu quondam Nemeæus Leo,
Frendens efflauit grauiter extremum halitum?
Hæc dextra lernam terram mactata excetra
Placauit, hæc bicorporem afflixit manum,
Erymanthiam hæc vaſtificam abiecit beluam,
Hæc à Tartarea tenebrica abſtractum plaga
Tricipitem eduxit Hydra generatum canem,
Hæc interemit tortu multiplicabili
Draconem auriferam obtutu obſeruantem arborem.
Multa alia victrix noſtra luſtrauit manus.
Neque quiſquam è noſtris ſpolia cœpit laudibus.

SOPHOCLIS TRACHINIÆ.

PRAEFATVR DEIANEIRA.

VETERVM *ore prodita hæc ſententia eſt,*
Quæ vita ſit mortalium beata, quæ
Non ſit beata, à nemine id poſſe aſſeri,
Niſi illa finem morte conſecuta ſit:
At opaca ego priusquam adiui Erebi loca,
Vitæ ſcio ſortem fuiſſe meæ aſperam,
Miſeriſq; cumulatam malis: vt quæ patris
In ædibus Pleurone degens Oenei,
Aetolias ſi qua inter vſpiam nurus,
Virgo alia, nuptialium eheu, fœderum
Tritiſſimos tulerim metus: fluuius mihi
Procus obtigit, Achelous inquam, in triplicem
Mutatus os, habitumq; formam: is à patre
Conſortia thalami ambijt diu mei:
Nunc euidenti obambulabat imagine
Tectus bouis, nuncq; varijs pictus notis
Terga, vt draco, horrebat, figuram etiam hominis
Bouis capite ſumebat, ac ex hiſpido
Squallentibus mento pilis ingens aquæ
Vis, atque præcipitata fontis in modum
Scatebat: iſtiuſmodi exceptura ego

Ex Herodoti lib. I. notum eſt, quod olim Solõ Crœſo prędixerat. Græcus interpr. hic ſtatuit ἀναχρονισμόν: ſed idem potuit dictum etiam ſeculo Deianeiræ vſurpatũ fuiſſe.

Pleuron ciuitas eſt Aetoliæ.

Sic Horat. Tauriformis Aufidus. quare autem pinxerũt ea for

Spon-

Sponſum miſera, mortem precabar, ne mei
Cubilis ille fieret vnquam particeps.
Tandem Ioue,, Alcmenaq́ꝫ natus Hercules
Deſideratus adeſt, manumq́ꝫ conſerens
Prælio Acheloum fundit, & me liberat.
Certaminis quidem modum ipſa non queam
Referre: qui certamini intrepidus fero
Spectator aſſedit, referre exactius,
Vt geſta res eſt, ſingula poterit: ego enim
Perculſa reſidebam metu, ne quam mihi
Cauſſam doloris adderet formæ decus.
Moderator atqui præliorum eſt, Iuppiter
Tandem exitum ſtatuit bonum. at vtinam mihi
Liceat bonum dixiſſe verè. nam toro
Ex quo potita ſum Herculis, ſemper alius
Succreſcit ex alio pauor, & illi vt bene
Sit, cura me torquet grauis. nam nocte qua
Ad me redit, eadem recedit, ac labor
Semper alius alium excipit: certaminum
Nullus modus. nati ſuperſunt liberi,
Quos ille, ceu qui diſſitos agros procul
Agricola nactus, ſerere quando, & conſitos
Demetere tempus poſtulat, ſemel aſpicit.
Vitæ ſtatus talis domo educit virum, &
Domum reducit ſemper, operam dum ſuam
Nauat cuidam. at victor ex aliquo ſimul
Certamine euaſit, pauor mihi ima tunc
Serpit per oſſa: tempore ex quo ille Iphitum
Occidit,

ma fluuios rationē hic reddit inter pres Græcus.

Euryſtheū innuit. vide inter Hero idum ep. Ouid. Deianeiræ ad Herculem.

Trachin ciuitas eſt Theſſaliæ.

Occidit, extorres Trachine apud hoſpitem
Exigimus ætatem, ille quò ſit gentium
Dilapſus ignari. mihi ſanè ſui
Peregrè profectus curam acerbam, & aſperam
Reliquit, ac præſagit animus iam mali
Ei aliquid eueniſſe: namque temporis
Haud fluxit exigui hora, menſes quindecim
Deſideratus abeſt, nec vllo leniens curam ſui
Præcone, vt haud abs re, miſera metuam, graui
Ne iaceat implicitus malo. tales mihi
Liquit profecturus tabellas, quas Deos,
Vt abſq; noxa acceperim, obnixè precor.
AN. *Regina multis iam miſeram ego lacrymis,*
Et triſtibus te abitum Herculis ſuſpirijs
Lugere video, ſi monere liberos
Seruis licet, mihi vnicum hoc quoque fas erit
Loqui. quid eſt, quòd, tot cùm abundas prolibus,
Non mittis aliquem, qui patrem inquirat ſuum?
Ac maximè, quem facere id æquum erat, expedis
Hyllum? parentis ſi qua tangitur cura ſui,
Et nunc domum ecce concito properat gradu.
Proinde ſi monuiſſe te videor benè,
Vti hoc viro, monitisq; promptum erit meis.
„ DE. *Fili, etiam ab his, qui ſunt loco ſati infimo,*
„ *Sermo proficiſcitur vtilis ſæpè. Mulier*
Serua hæc quidem eſt, ſed libero homine protulit
Dignos ſonos.
HY. *Qualeis? cedo, mater, docè,*

Si fas

Si fas modò ſit ſcire me.

DEI. *Id tibi turpe ait,*
Tanto quòd abſens tempore pater cùm egerit,
Haud vnquam, vbi eſſet, cura fuerit quærere.

HYL. *Atqui ſcio, fides ſi qua modo rumoribus*
Tribuenda vulgi eſt.

DE. *Quam igitur illum iam ferunt*
Tenere humum?

HY. *Fama eſt peracti circulo*
Anni huius illum ſeruitutem Lydam apud i.Omphale
Seruiſſe feminam.

DEI. *Si id ille pertulit,*
Quibus putas poſthac vacaturum probris?

HYL. *Sed miſſus eſt iam, ſicut audio, manu.*

DE. *At nunc vbi? viuum'ne, an aiunt mortuum?*

HY. *Bello petere iam Eubœan, vrbemq́; Euryti, aut*
Mox copias ducturus illò dicitur.

DE. *Sed ſcis'ne, fili, quàm mihi reliquerit*
Manifeſta regione ipſe de illa oracula?

HY. *Quæ mater oro? audire nunquam contigit.*

DE. *Quod aut ſuprema illic obiret funera,*
Certamini aut ſuperſtes, æui in poſterum
Reliquum ſui tempus beatus viueret.
Cùm tali itaq; Fortuna momento patrem
Verſet tuum, non auxilia ilico feres?
A vita enim eius noſtra dependet ſalus, „
Pereunte eo, nos pariter etiam perijmus. „

HY. *Nunc abeo, mater, ſortium nam ſi harum ego*

Famam

Famam audiïſſem, nunc ei præſtò forem.
Conſueta nec Fortuna nos patris ſinit
Nimio metu anxios quati: ſed nunc loco
Quo res ſit, vt percepi, equidem omittam nihil,
Quin, vt gerantur omnia, probè intelligam.
» DE. *I nate: namque etiam ille, qui ſerò licet*
» *Ad res bene gerendas monenti obtemperans*
» *Seſe applicat, non parua tollit præmia.*

CHORVS.

Anapæſtici & Iambici acatalectici dimetri.

QVem nox variis diſtincta aſtris
Cedens gignit, quem iubare inclyto
Sopit, fulgentem inuoco ſolem:
Huic vt placidus monſtret,
Vbinam Alcmenæ proles, vbinam
Degat gentium.
O qui rutila flagras flamma,
An'ne anguſtis concluſa mari
Spaciis ſaxa colit, num continens
Quà duplex patet? ô ſol, qui Deos
Radiante oculo ſuperas omneis,
Dic quæſo: nam deſiderio
Coniugis audio Deianeiram
Querulam, in morem auis, humidas
Semper lacrymis palpebras
Nunquam in dulcem claudere ſomnum.
Sed caro ne eueniat coniugi

Infe-

Infelix iter,
Secreto viduoq; cubili
Nutrit edaces pectore curas,
Aliquem ærumnoſum ſemper timens
Anxia caſum:
Vt cùm Noto, vel Borea »
Furente turbulentum »
Mare æſtuat, procellam »
Alia ſuperueniente »
Trudi procella, vndamq; »
Impellier vnda videas: ſic »
Cadmogenam Herculem, »
Vt maris æquora Cretici, »
Verſant varijs fata laboribus: »
Attamen illum Diuorum aliquis »
Nulla vitæ labe notatum
Semper Stygijs arcet ab antris.
Quocirca reprehendi nunc mihi
Digna videris: nam aduerſa licet,
Iocunda tamen eloquar.
Non ſuccumbere, non victas decet »
Præbere dolori manus. »
Spem retine bonam, »
Triſti nil ſine pœna, »
Qui moderatur Iuppiter omnia, »
Genti humanæ adiecit, »
Actaq; in orbem ærumnæ, & gaudia »
Redeunt, vt cælo voluentia »

Signa

„ Signa Libyſtidos vrſæ.
„ Nec ſemper nox terris incubat,
„ Nec fata eadem, nec diuitiæ
„ Semper eędem permanent:
„ Subitò in tenues auras diffluunt
„ Luctus, & alternis eunt,
Redeunt gaudia vicibus.
Hæc quoque te meditari,
Regina, volo, & ſpem animo
„ Paſcere magnam. nam quando ſuam
„ Viſus conſilij eſt inops,
„ Linquere ſobolem Iuppiter?
DE. *Nunc huc ades, niſi fallit animus, de meo*
Mærore facta certior, ſed quàm graui
Pectus dolore crucier, id ne tu quidem
Intelligas præſens, rudis cùm ſis adhuc,
„ Experſq́; rerum. paſcitur enim proprijs
„ Iuuenilis in pratis decor, nec feruidi hunc
„ Vis æſtuoſa ſideris, nec humidi
„ Imbres, nec auſtri ſæua quatiunt flamina,
„ Sed vſitatis perfruens vitæ bonis,
„ Cum gaudio æuum tranſigit, pro virginis
„ Donec vocabulo, mulieris nomina
„ Puella nacta, aliquam ſimul noctis opera
„ Partem timoris, atq; curarum, aut viri,
„ Aut prolium anxia de ſalute cogitans,
„ Receperit: tum res ſuas demum intuens,
„ Illa quoq; quantis nunc ego, quamq́; grauibus

Miſera

Miſera malis premar, ex ſuis intelliget.
Acerba multa ſæpe iam mihi contigit
Deflere: nunc cauſſa vna, quæ nunquam hactenus,
Luctum mihi peperit nouum: atq; illam eloquar.
Nuper daturus in viam ſeſe Hercules
Veteres domi tabulas reliquit, in quibus
Conuenta quædam inſcripta quondã pacta erant,
Quæ haud antea vnquã ad varia certamina abiẽs
Mihi aperuit: ſed vt editurus ſtrennua
Facinora, non vti moriturus ibat: at
Iam, vti ſuperis ceſſurus auris, quas tori
Cauſſa iugalis accipere deberem opes,
Conſtituit, & quæ liberis pars patrij
Diuiſa regni cederet: quin reditui
Oras in haſce menſium ſpacium trium,
Anniq; præfinitum erat. moriturum enim
Se, tam diu domo ſi abeſſet, temporis
Si fortè curriculum illius præuerteret,
Quod reliquum æui Dij darènt, in poſterum
Nullo fatigatum labore ſuauiter
Fruiturum, & hunc ipſius ærumnis modum
Fato Deos ſtatuiſſe, Dodonæq; ita id
Geminas vetuſta prodidiſſe ab ilice
Quondam columbas aſſerebat. Itaq; in hoc De columbis his vide Herodotũ lib.2.
Conſiſtit horum certitudo tempore,
Hæc euenire vt ſit neceſſe. & iſta ſunt,
Sopore quæ preſſam ſuaui ô feminæ,
Exterritam ſæuo exilire me metu

Cogunt, & animo fluctuante, num viro
Fortiſsimo me deceat eſſe ſuperſtitem.
CHO. Bene ominare: En huc propinquantem virũ
Serto comas cinctum, ille proſpera adferet.
NV. Regina nuntius ego ſollicito vt metu
Te liberem, adſum primus, Alcmena ſatum
Vita frui ſcito Herculem, & victoria
Superbum acri iam prælio indigenis ſuas
Adferre primitias Deis.
DE. Quid hoc, ſenex,
Sermonis eſt?
NV. Mox affuturum coniugem
Pompa inclytum celebri tuum, victoreq́;
Exercitu ſtipatum.
DE. Id vnde tu refers
A ciuibus'ne auditum, an ab aliquo hoſpitum?
NV. Miniſter iſta, Butherum vbi pratum viret,
Lichas refert. ego auribus ſermonem vbi
Hauſi, ilico exilij tibi iſta nuntians
Primus, aliquid vt abs te referrem præmij,
Tuamq́; pariter demererer gratiam.
DE. Quæ illum mora tenet? ſaluus Alcides ſi adeſt?
NV. Haud expeditum, neque facile ei domina, ita
Nunc denſa ſtipat Melienſium eum vndiq;
Corona ciuium, nec vlterius ſinunt
„ Progredi volentem ſic enim vnusquiſlibet
„ Affectus eſt, audire vt ex quo proſperi
„ Sperat aliquid, diſcedere haud ſinat, antequam

Melienſes, à Melia ciuitate Theſſaliæ haud procul à Trachine.

Aureis

Aureis voluptate audiendi expleuerit. „
Inuitus itaque ille apud ſui cupidos manet:
Mox coràm eum, Regina, conſpicabere.
DE. *O prata qui Oetæ intacta pecori Iuppiter*
Summe incolis, tandem imbuiſti ô gaudijs
Mærore tabeſcentem animum. agite feminæ,
Et tecta quæ intra domus ſedetis abditæ,
Et quæ foris nunc eſtis, agite ô indices
Proferte voces gaudij: huius fama enim
Lux orta inexſpectata micat, hac nunc fruor.
CH. *Nunc plauſus reſonent ædibus intimis,* Aſclep.iāb. dim. catal. cum troch. & anapæſt. mixti.
Edantq́; teſtes lætitiæ ſonos
Sponſi futuri. & hoſce
Inter ſtrepat clangor virorum
Præſidem Phœbum pharetra decorum
Eia dicite virgines,
Lætum bis Pæana canentes,
Dicite eodem genitam partu
Dianam Orthygiæ nurus,
Quam venerantur, doctam tenſo
Pauidos neruo figere ceruos,
Noctilucam Diuam,
Et propinquas nymphas.
In ſublimes efferor auras,
Nec ſuauis ſonitus horreo tibiæ.
O tibia, ô violente
Tyranne noſtri tibia pectoris, Quia extimulat virgines ad ducendas choras.
En præcordia turbat

 Euoe,

Euoe, tranſmutataq́; Bacchicos
Thyrſus corripit ad choros.
Iω Iω Pæan,
En domina clarè nunc videre prioribus
Oppoſita licet gaudia luctibus.
DE. *Video, ô amicæ, nec oculi ita hebet mihi acies,*
En turba adeſt numeroſa, ſaluus ſit mihi
Longo quidem non viſus hinc à tempore, at
Deſideratus præco, ſi modo læta fert.
LI. *Aduenimus grati, ô domina, læta omnia*
Annuntiamus, Herculisq́; congrua
„ *Virtutibus. nam res cui ſuccedit ex*
„ *Sententia, haud alia atque læta loqui queat.*
DE. *Cariſsime ô mortalium, iam prima quæ*
Deſidero cognoſcere, age mihi primum ediſsere
Viuum'ne ſum exceptura coniugem Herculem?
LI. *Viuum illum ego, & firmis vigentem viribus,*
Nulla reliqui debilem ægritudine.
DE. *Patria'ne in ora, an barbaro alicubi in ſolo?*
LI. *Eſt littus Euboïci ſinus: aras ibi*
Statuit, odoratisq́; Cenæo Ioui
Incenſa faciet frugibus.
DE. *Voto id facit*
Obſtrictus, an Deûm monitus oraculis?
LI. *Voto obligatus. poſtquam earum, quas vides,*
Solum mulierum vi ſubegit bellica.
DE. *Sed quæ cedo ſunt? & cui nam ſeruiunt?*
Miſerabiles enim eſſe, niſi me calamitas

Infan-

Infanda fallat, vultus illarum arguit.
LI. *Has ipſe partim mancipia legit ſibi,*
Partim, Euryti exciſa vrbe, ſacrauit Dijs.
DE. *Toto'ne, quo hinc profectus eſt, capienda ea*
In vrbe, fertur occupatus tempore?
LI. *Nequaquam: apud Lydos ei potiſſima*
Tranſacta pars eſt temporis: vænum, ipſemet
Vt ait, datus, non liber illic egit: at,
Auctore quæ fiunt Ioue, haud culpanda ſunt: "
A barbara emptus Omphale, integri,
Vt memorat ipſe, abſoluit anni circulum.
Cuius rei ignominia ita grauiter animo
Perculſus eſt, vt iureiurando quoque
Se obſtrinxerit, qui cauſa tam magni mali
Ipſi extitiſſet, ſe redacturum illum eò,
Vnaq́ coniugem, atque caros liberos,
Vbi ſeruitutis improbas ſubeant vices.
Nec irrita cecidêre, quæ iurauerat,
Nam cædis expurgatus à piaculo,
Mox Euryti validis coactis copijs
Inuadit vrbem: ſolus is mortalium
Infamiæ huius cauſſa, qui veterem hoſpitem,
Simul vt domos ſubiuit, infandis procax
Iniurijs laceſſere haud ceſſabat, vt
Quanquam ſagittas ille ineuitabileis
Gereret manu, quin arte iaculandi tamen
Certeq́ figendi peritia ſuis
Inferior eſſet liberis, euadere

Non poſſet, ingenuoq́ quòd ab homine, velut
Seruus, laboribus enecetur. denique
Vino obrutus conuiuio eiecit foras.
Iniuriasq́ ob haſce bile concitus,
Tyrinthiam poſtquam appuliſſet Iphitus,
Perq́ loca palantes equos decliuia
Dum quæreret, oculos alibi fixos habens,
Alibiq́ mentem, rupe præcipitem dedit.
Commotus ob nefariam cædem pater,
Atque omnium Rex Iuppiter vænum datum
Relegat Herculem : nec in eo illud tulit,
Qui neminem, hunc præter, dolo mortalium
Peremerat. veniam dediſset Iuppiter
Iuſtæ vltioni Marte aperto ſi ſuum
„ *Strauiſſet hoſtem. iniuriam neq́ Dij probant.*
Lingua at ſuperba glorianteis Euryti
Nimis inſolenter liberi omnes, horridi
Nigras ad vnum Tartari colunt ſpecus.
In ſeruitutem vrbs eſt redacta, quas vides
Hic virgines, vita è beata in lugubrem
Cecidêre miſerandæ ſtatum, tua ſupplices
Genua petunt, iuſsit maritus id tuus.
Ego quæ fides in eum mea eſt, id exequor.
Ac ipſum, vbi Ioui, ob redactam ſub iugum
Vrbem, dicatas immolarit victimas,
Crede affuturum. hic ſermo multa inter alia
Tibi relata, ſat ſcio, eſt gratiſsimus.
CH. *Regina meritò nunc replent te gaudio,*

Et quæ

Et quæ hic refert, & quæ vides præſentia.
DE. *Quid ni triumphem gaudio? tam proſperè*
Præclara adeò facinora geſſiſſe audiens
Deſideratum coniugem? his concurrere
Meam voluptatem, mea æquum eſt gaudia.
Conſideranti at hæc mihi accuratius,
Trepidus quatit mentem pauor, tam proſpera vt ››
Fortuna ſit durabilis, lætisq́; ne ››
Mox miſceantur triſtia. vehemens enim ››
Miſeratio ſubit, has vt adoleſcentulas
Aſpicio Fortuna implicatas aſpera,
Sine ſede, peregrinis in oris iam procul
Parentum ab amplexu agere captas, liberis
Satas viris in ſeruitute degere.
Auerſor omnium ô malorum Iupiter.
O ne mihi contingat aſpicere te ita
Sobolem in meam graſſarier: ſiq́; hoc tibi
Sic eſt ſtatutum, ne precor, viuente me
Id accidat: ita miſera timeo has contuens.
Heu: miſera, tu quænam es? adoleſcentula viri Iolen alloquitur.
Expers adhuc, an mater? omninm at te harũ rudẽ,
Vultus niſi me fallat, eſſe iudico,
Generoſaq́; indoles relucet: cuius eſt
Iſta peregrina virgo, dic Licha? quæ eam eſt
Enixa mater, quo ſata infelix patre?
Inter alias me miſeret huius maximè:
Videtur eſſe cæteris moratior.
LI. *Vnde id ſciam ego? quid me rogas? non infimo*

Inter ſuos fortaſſe progenita eſt loco.

DE. *Num regia de ſobole queat eſſe Euryti?*

LI. *Ignoro: neq; enim id mihi libuit inquirere.*

DE. *Nec nomen audiſti è comitibus virginis?*

LI. *Nec id quidem: tacitus mea obeo munia.*

DE. *Quin ipſa, quæ ſis, mihi refer: nam portio eſt*
Etiam hæc calamitatis tuæ, id neſcire nos.

LI. *Non nunc puto magis, atq; fecit antea,*
Linguam mouebit. nunquam eam hactenus ſonos
Ore edere vllos audijt quiſquam: graue hoc
Tacita vſque deplorans calamitatis iugum,
Lacrymis ſinus irrorat, ex quo patriæ
Vaſtata liquit mœnia, at Fortuna ei
Tam acerba cùm vocem premat, digna venia eſt.

DE. *Agat vt lubet, ſubeatq; tecta, nec his, quibus*
Afflicta mæret, alia ego adijciam mala.
Satis angitur præſentibus. at omnes domum
Abeamus: ac negotia expedias tua,
Ego intus id, curatu opus quod erit, agam.

NV. *Greſſum parumper ſiſte, vti, quæ ſit ea, quam*
Intro imperaſti abire, turba, intelligas,
Quæq; antè nunquam audita tibi fuêre, nunc
Et ſcire quæ refert tua, ſcias: nam ego,
Regina, rerum conſcius ſum harum omnium

DE. *Quid id rei eſt? cur ſiſtere iubes me gradum?*

NV. *Cùm ſtabis, audies: priorem haud fruſtra enim*
Sermonem inaudiſti, nec hunc fruſtra audies.

DE. *Alios'ne rurſus huc vocari poſtulas,*

An po-

An potius iſtis, ac mihi vis dicere?

NV. *Tibi, hisq́; ſolum audire licet, alij abeant.*

DE. *Abière, nunc referre quod cupis, refer.*

NV. *Veri nihil vir hic modò loquutus eſt:*
Vel improbus nunc eſt, vel antea nuntius
Mendax fuit.

DE. *Quod ais, refer dilucidè,*
Atque explicatius: nihil enim intelligo.

NV. *Hunc multitudine numeroſa teſtium*
Præſente iam audiui fatentem, virginis
Quòd pulcritudine huius incitus Hercules
Cepiſſet Eurytum, arduamq́; turribus
Oechaliam. Amor ſolus Deos inter, fera hæc
Ad arma perpulit, haud ea, iſte quam refert
Contrarius ſibi, ſeruitus Lydos apud,
Aut Omphalen, ſaxo'ue deiecti Iphiti
Crudele lethum: at amore ſemoto, Lichas
Alia iſta nunc obtendit. Ille, cùm à patre
Non impetraret, vt puellæ clanculum
Amplexibus, Venereq́; poſſet perfrui,
Delicta mox, cauſſamq́; commentus leuem,
Manu coacta, in patriam huius irruit,
Vbi tenere ſceptra dixit Eurytum:
Regem puellæ interficit mœſtæ patrem,
Excindit vrbem, & nunc opimis his domum
Spolijs reuertitur, haud labore ſine graui
Curaq́; quæſitis. nec hanc, ne exiſtimes,
Adducit vt ſeruam: nec æquum illud foret,

Amore cuius pectora incenſus flagrat.
Proinde viſum operæ eſt mihi pretium tibi
Rem, vt ex relatu iſtius accepi, integrè
Exponere. ac Trachiniorum vbi frequens
Effuſa multitudo ciuium vndiq;
Cingebat, vt negare ſi tentet, queat
Redargui. ac, ſi fortè nunc quæ ingrata ſunt,
Regina, narro, nec voluptatem ex ijs
Ego capio, quæ vera ſunt tibi nuntio.
DE. *Miſera hei mihi, quò quò redacta ſum? quã ego*
Sub tecta peſtem infauſta ſuſcepi mea?
Peſtem latentem: ſcilicet ſine nomine,
Vt iureiurando aſtruebat, vir bonus,
Huc qui mihi illam adduxit.
NV. *Hæc quæ in ſplendido*
Vultu relucet forma, quæq; in moribus
Apparet indoles, patre genitam Euryto,
Iolesq; habere nomen illam, cuius hic
Genus atq; nomen ſe latere finxerat,
Nec quærere voluiſſe, prorſus arguunt.
CH. *Non perdat omneis fulminantis improbos*
Iouis manus, ſed tantum eos feriat, dolo,
Quæ non decet, qui moliuntur clanculum.
DE. *Quid aggrediar, ô feminæ, ſermonibus*
Vt intima his perculſa ſunt præcordia?
CH. *I, rem ex eo ipſo inquire, vera fatebitur,*
Adhibere vim te examini cùm ſentiet.
DE. *Diſcedo, non aliena ab animo adfers meo.*

CH. *Nos*

C. *Nos'ne hîc morabimur? aut quid interī agēdū e-*
D. *Subſiſte: nam en nullo aduocatus nuntio* *(rit?*
Lichas ſua ſponte ædibus profert gradum.
LI. *Regina, quod me renuntiare iam Herculi*
Cupis, eloquere: iam enim viæ accinctus abeo.
D. *Vix itinere ex longo atq; difficili redux,*
Sic rurſum abire ſuſtinebis, ante quàm
Sermonem ab initio hic relegerimus tuum?
LI. *Si quid referri poſtulas, præſens loquar.*
DE. *Bona'ne ad illa, quæ rogabimus, fide,*
Et vera reſpunſurus es?
LIC. *Teſtis mihi*
Sit Iuppiter, quæ cognita mihi erunt, loquar.
D. *Quænā igitur hæc, quā adducis, adoleſcētula eſt?*
L. *Euboïca, ſed quibus illa ſit parentibus*
Prognata dicere haud queam.
DE. *Heus tu, me vide,*
Quicum loqui te exiſtimas?
LI. *Cur id rogas?*
DE. *Aude, quod ex te ſcrutor, ingenuè loqui.*
LI. *Cum Deianeira prole præclara Oenei,*
Validiq; coniuge Herculis, niſi iam oculi
Mihi ſtupeat acies, heraq; cum mea.
D. *Id te volebam, illud volebam, inquam, tu herā,*
Dic, me tuam fateris?
LI. *Iure fateor.*
D. *Quam ſuſtinere te crucem dignum putas,*
Iniuſtus ergo hanc ſi fuiſſe iam mihi

Redar-

Redarguare?

LI. *Quomodo iniuſtus? quibus*
Me ambagibus circumuenire niteris?

DE. *Nullis ego: hac veterator arte tu vteris?*

LI. *Eo, ſtolidus, qui tam diu aures præbeam.*

DE. *Non hinc abibis, antequam reſponderis,*
Compendio te interrogare quod volo.

LI. *Dic quod cupis: neque enim ſilebas antea.*

D. *Captiua, quam adduxti domũ, quæ nam illa ſit,*
Noſtin?

LI. *Noui: ſed iſta quorſum interrogas?*

DE. *Hanc, quam negabas noſſe te, non tu Euryto*
Genitam Iolam eſſe faſſus es?

LI. *Ego'ne? quos apud*
Homines? quis? vnde qui aſſerentem hæc me audijt
Teſtis aderit?

DE. *Quamplurimi ciues, frequens*
Trachiniorum turba dicere id audijt.

" LI. *Rectè, audijſſe ſe ferunt: verùm haud puto*
" *Idem eſſe opinionem aliquis annuntiet,*
" *An rem aſſerat certam.*

DE. *Quæ ea eſt opinio?*
Nunquid Iouem teſtatus ipſum es, te Herculi
Iam coniugem hanc adducere?

LI. *Ego'ne coniugem? at*
Dic per Deos, regina, quiſnam hic hoſpes eſt?

DE. *Ex te audijt coràm iſte, amore quòd Hercules*
Huius puellæ percitus celſam Euryti

Vaſta-

Vaſtauit, vrbem nulla Lyda femina,
Turrita amor ſolus ſubegit mœnia.
LI. *Iſte hinc faceſſat: nam viri haud puto*
Sapientis eſſe ægros apud nugas loqui.
DE. *Ne tu, vibrata Oetæ arduis lucis Iouis*
Coruſca teſtor fulmina, hoc nunc quicquid eſt,
Celare me velis. Mulieri arcana iam »
Non deteges malæ, aut rudi, mortalium »
Fluxa vt ferantur omnia, vtq; ſtabilis »
Nulla orbe ſit toto voluptas. magna vis »
Amoris: huic ferocis in pugilis modum »
Si quis repugnet, ſtultè agat. quo illi lubet, »
Summos Olympi frænat imperio Deos, »
Et me quoq; regit. ac quid obſtat quo minus »
Etiam aliam ſimilem mei telis potens
Domet ſuis? proinde coniugem ego meum,
Quod hac laborat tactus ægritudine,
Irata ſi accuſem, aut puellæ huic, nullius
Quæ turpitudinis, aut mali vnquam vllam mihi
Cauſſam dedit, nam ſic ſtatuo, velim malè,
Non leuiter equidem inſaniam, neq; faciam.
Quòd ſi inſtitutus ſic ab illo ſeminas
Mendacia, hanc quam diſcis improba omnibus »
Doctrina habetur: ſin magiſtro ad hanc rem eo »
Non vteris, ſed ipſe eam ex te hauris, lucrum hoc »
Hæc conſuetudo tibi feret, bonus »
Vt quando haberi, & eſſe cupies, improbus »
Exiſtimeris: veritatem itaq; cole. »

Callidè diſſimulat dolorē, vt veritatē exquirat.

Mēdacium fugiendum

Mendacem

» *Mendacem enim vocari in ingenuo homine*
» *Turpis nota eſt. quod ſi putas hanc rem tegi*
Poſſe, vehementer falleris: mox plurimi id,
Quibus ipſe narraſti, mihi referent: neque
Quod vera te trepidus loqui vetet timor,
Cauſſam vllam habes. ſi neſciam, id me vret male,
Quod ſi ſciam, quid inde proueniat mali?
Nónne & alias vir vnus Hercules toro
Quamplurimas ſociauit vxores? tamen
Nunquam vlla earum læſa verbo, nec leui
Affecta probro à me fuit, nec hanc quoq;,
Etiamſi amore eius fero intabeſceret,
Aliter habebo, ſæpe cuius miſeritum eſt,
Formæ nitentis dum decus conſidero:
Quæ miſeræ ademit vitam, & infelicem humum
Regni paterni, inuita ea, ſubuertit, ac
Ipſam quoque ſimul ſeruituti ſubdidit.
Euanida aſt hæc auferant leues noti.
Age cum aliјs, ſi ſic videtur, improbè,
Veracem vt experiar te ego dehinc impero.
CH. *Pare monenti: haud eſſe feminam malam,*
Tempus docebit, & à me inibis gratiam.
LI. *Regina cara, quando mortali ſatam*
Te ſtirpe video, & rerum earum non rudem
Humana quæ ſpectant negotia, iam nihil
Celabo, vere rem, vt ſe habet, tibi referam.
Sic eſt, vt iſte iam tibi explicuit, graui
Hanc deperire amore cœpit Hercules,

Lichas tandem, perſuaſus à Deianeira rem prodit,

Hanc

Hanc propter ærumnoſa bello corruit
Et patria vrbs Oechalia. Sed neque (hoc enim
Adijcere quod ad illum attinet, viſum eſt) vti
Occultam haberem rem imperauit, nec tulit
Obſcurum amorem vnquam ipſe, ſed egomet tuum
Metuens ne atroci vulnerarem nuntio,
Regina, pectus, noxiam hanc, ſi noxiam
Hanc eſſe ſtatuis, perpetraui. proinde cùm
Vt geſta res eſt, calleas, fac cùm ipſius,
In eam tuæ pars æqua creſcat gratiæ,
Et virginem hanc fauore digneris tuo,
Nec verba, quæ de ea edidiſti, iam irrita
Venti auferant: inuicto enim qui robore
Superauit omneis, huius eum amor ſubdidit.
D. *Haud læua adeò mihi mẽs ſtupet, aliter vt velĩ,*
Atque modò dixi, facere, nec ſpontaneum
Ego mihi, bella cum Dijs gerens, malum
Accerſam. at intrò abeamus, vt mandata iam, &
Quæ nuntiari illi volo, atque munera
Aptata pro his, quæ miſit ille, perferas.
Nec æquum id eſſet, dona cùm tot adferas,
Tamq́ pretioſa, inani abire te manu.

CHORVS.

Anapæſt. Troch. Iamb.

INuictæ Veneris magna potentia eſt:
Namq́ vt illa quæ Deos contingunt,
Facta omittam, vtq́ ſuperûm patrem

Ludifi-

Ludificatus ſit Iouem,
Furuiq́ regem Tartari,
Dominumq́ maris, cuius magno
Terra tremit percuſſa tridente,
Neptunum, duntaxat ea adferam
Quæ mortales tangunt homines,
Innupta pro Deianeira
Infenſis animis duo
Conflixêre, cruentaq́ cæde, ac
Multo puluere plena
Commiſcuere prælia:
Alter ſumma geſtans cornua fronte,
Quadrupedisq́ figura tauri
Humectans Aetolos
Achelous agros: alter
Baccho à dicatis aderat
Thebis recuruos arcus,
Haſtamq́, nodoſæq́
Robora quatiens clauæ,
Summo progenitus Ioue:
Thalamos vterq́ pulcræ
Deſiderans puellæ,
Conſeruêre ſimul manus.
Præfecti certaminum geſtabant virgam. *Sola hîc coniugij præſes Venus*
Dira gubernabat leui
Prælia virga. horrendos
Manuum, horrendos arcuum, ac
Taurinorum mixtum cornuum

Audiſſes

Audiſſes crepitus. crudelis
Lucta erat, & lethiferos
Frontibus ictus gemitus
Vtrinque ſequebantur.
Vultu at decora virgo hæc
Procul apparente anxia conſidens
Ripa, expectabat vtrum ſibi
Prælij euentus daret maritum.
At iſta quidem ego vt fida
Mater loquor, puella,
Cuius venuſtas formæ
Certamen inflammarat,
Suſpenſa miſerè incerto
Trepidabat euentu, dum
Ceu vitula à matre auulſa eſt.

DEIANEIRA.
Iambici Trimetri.

INterea captiuas puellas dum hic viæ
Iam accinctus alloquitur, amicæ, clàm ædibus
Huc extuli gradum, vt animo quæ agito meo,
Vobis aperiam, afflictáque, quibus opprimor,
Acerba apud vos lugeam mala. virginem,
Sed virginem non amplius, nuptam puto,
Tecto recepi, veluti nauta, noxium, Querela de pellice adducta.
Nauemque demerſurum onus: merx hæc grauis
Animo ſedet meo. duæ nunc vnica, &
Lodice tectæ eadem in amplexus ita
Condemur Herculis? egregia videlicet

Fidelis ille exiſtimatus, atque amans
Mei Hercules, nunc pro domus longa ſuæ
Cuſtodia, mihi rependit premia.
Iraſci ego illi nolo, quem ſæpenumero
Hic morbus occupat. at in vnis ædibus
Cum iſta morari, quæ, obſecro, eiusdem tori
Conſors ferat? ad hæc talis ætas eius eſt,
Magis magisq́; quæ venuſtatem augeat,
Mea indies flacceſcit, illa eſt, lubrici
Decerpere à qua oculi ſolent florem, aſt ab hac
Pedem retrò ferunt. proinde miſerè ego
Hoc metuo, ne verbo ſit Alcides meus
Maritus, at re huius puellæ, quam virens
Commendat ætas, vir ſit. at dixi antea,
„ *Sana mulierem mente præditam haud decet*
„ *Facileis ad iram animos gerere. ſed quam meis*
Medicinam habeo doloribus, iam attendite.
Neſſus. *Antiquum adhuc Centauri apud me munus eſt,*
Lebete conditum æreo, iuuenculæ
Hirſutus olim quod mihi Neßus dedit,
De vulnere exceptum cruento, animam dum agit.
Ab hoc viator Eueni per gurgites
Stata ſolet mercede quiuis traijci:
Non ille velis vſus, aut traiectui
Remum applicabat, naue ſcindens vortices,
Sed robore hoc, manuq́; agebat: is quoq;
Me, patrio famulitio priuata dum
Noua nupta coniugem Herculem ſequor, humeris
Validis

Validis ferens traiecit, alueumq́; iam
Cùm fluminis medium occuparet, manibus hîc
Me attrectat improbis: ego exclamo, Hercules
Tenſo ſtatim neruo expeditus pectori
Quà pulmo adhæret, volucre telum cum graui
Stridore figit: ille moriens talia
Mihi ſuprema voce verba rettulit,
Sene ſata proles Oeneo, hoc capies, meis
Parere iuſsis ſi voles, iam commodi ex Venenum pro philtro
Traiectione hac, quæ vltima hodie erit: ſi enim
De cæde concretum mea collegeris
Manu cruorem, hîc atram vbi Lernæa Hydra
Tinxit ſagittam, ſanguis ille erit efficax
Ita Herculis mollire pectus, ne vſpiam
Contuitus aliam feminam, illius queat,
Te ſpreta, amore corripi. idq́; vt commodum
Animo incidit (nam ſemper aſſeruatum ego,
Ex quo obijt ille, diligenter domi habui)
Tunicam cruore hanc imbui. ſimul alia,
Quæ viuus etiamdum imperauerat, addidi.
Et hæc quidem perfecta ſunt. arteis malas „
Vtinam haud ſciam vnquã: nec etiam me addiſcere „
Contingat: illas odi ego, eam in audaciam „
Quæ prouehuntur. at iste ſpectat huc labor,
Id ago, iuuenculæ huius illecebras vti
Amoris hoc medicamine retundam, ac meum
Reddam Herculem, modò non inania moliar.
Si ſumpta fruſtra opera eſt, quieſcam in poſterum,

 In his

CH. *In his modò explorata ſit factis fides,*
Bona eſt, opinor, conſili ratio tui.
DE. *Fides ea eſt, vt verum opiner, at hactenus*
Nunquam facere periculum mihi contigit.
» CH. *Sed ſcire te, quod aggredere, certò decet,*
» *Nec quod putas te ſcire, ſcis, ſi vſus deeſt.*
DE. *Sed mox ſciemus: prodeuntem enim foras*
Illum video, neq; mora, iam aderit, interim
» *Hæc tegere vos ſilentio opus eſt: turpe enim*
» *Etiam aliquid, modò clàm patres, probro vacat.*
LI. *Quid factu opus ſit, indica ſata Oeneo:*
Multum hîc enim iam temporis contriuimus.
DE. *In hoc ſum ego, hoc, tu intus peregrinis Licha*
Dum verba confers cum puellis, vnicè
Curæ eſt, tunicam vt hanc dextera textam mea
Donum Herculi meo feras, dumq́; exhibes,
Mone, ante ſe, mortalium ne quiſpiam
Illa induatur, corpore aut tangat ſuo,
Vt diligenter caueat, vtq́; fulgida
Ne ſolis irradietur alti lampade,
Nec ſepta fanorum ſacrata, nec foci
Splendor domeſtici aſpiciat illam prius,
Quàm indutus ipſe eam Dijs oſtenderit,
Qua luce Diuorum ante conſpicuus ſacras
Pingueis Ioui cæſurus hoſtias patri,
Conſiſtet aras: voti enim ſumma hæc mei,
Vbi ſaluum eum redire cernerem domum,
Aut fama reditus auribus foret meis

Recepta, eum hac mox veſte amictum oſtenderem
Dijs immolantem ſacrificum in noua nouum
Tunica. atq; tu voti huius hoc ſignum feres,
Agnoſcet inſpiciens ſigilli ipſe hanc notam
Mei. abi igitur, legemq; memori hanc pectore
Reconde, nuntij cùm obis munus, ne ea,
Ad te nihil quæ pertinent, facias vti
Scrutere curioſius: fideliter
Inſeruienti mox fauore è ſimplice
Mea, & illius geminata creſcet gratia.

Hoc dicit, ne Lichas curioſior reſignet arculam.

LI. *Si Mercuri iſto ritè fungor munere,*
Nullum hic meum peccatum erit, quin pyxidem,
Vt tradita fuit, offeram, verbaq; quæ
Mandaſti, hera, adiungam fideliter omnia.
DE. *Abi itaq;, iam ſcis quo in ſtatu res ſint domi.*
LI. *Scio, omnia eſſe ſalua nuntiabimus.*
D. *Nouiſti adhæc, & quanto amore hanc hoſpitam*
Exceperim, vidiſti.
LI. *Ita beneuolè, vt diu*
Præ gaudio attonitum mihi cor ſtupuerit.
D. *Quid præterea ei nuntiabis? metuo enim*
Quo in eum rapior amore, ne per te prius
Reſciſcat ille, quàm mihi conſtet, quo adhuc
Inuictus igne caleat Alcides meo.

CHORVS.
Trochaici & Anapæſtici.

O *Propinqua littori, ô qui*
Rupibus ſaxoſis

Balnea erumpentia colitis,
O qui minantia cælo
Oetæ iuga, & pariter vos
Qui Maliæ ad ſinum eſtis,
Hîc vbi ſuccincta arcu
Colitur Diana aureo.
Et vbi ad Pylæan conuentus
Graiorum celebrantur.
Iam lætum mihi tibia fundit
Carmen, iam ſtrepitu omnia reſonant,
Aemula Muſarum lyris.
Iam Iouis Alcmenæq́;
Inclyta proles virtutum aduenit
Spolia ampla domum referens:
Quem loca per diuerſa vagantem,
Perq́; Noto freta turbida,
(Quæ illum terra teneret
Ignaræ) bis ſex nunc integros
Menſes exſpectauimus.
Caraq́; vxor, atq; ter miſera
Semper infeſtis cor exeſa
Luctibus gemebat.
At nunc ſæuo percitus Oeſtro
Statuit Mauors ærumnis modum.
Properet, properet,
Neque velocis ſiſtatur ratis
Curſus, donec patrijs ſaluum
Reddat in oris,

Inſula-

Inſulari ſede iam relicta,
Mactare vbi Dijs aiunt victimas,
Vnde ſemiferi cruore Neßi
Delibuta amictus palla,
Protinus gradus hic ſiſtat.
DE. *O mulieres, quam metuo, ne ex ijs, modò*
Quæ feci, ego plus quàm decet, confecerim.
CH. *At hoc quid eſt, Regina, patre ſata Oeneo?*
DE. *Neſcio, niſi quòd timeo miſerè, ne in malum*
Me maximum ſpes recta præcipitem egerit.
CH. *De miſſo ais dono Herculi?*
DE. *Hoc ipſum volo,*
Sed nunquam ego incertam exequi rem conſulam.
CH. *Quis ſit doce, ſi ſcire fas me ſit, metus.*
DE. *Res mira, inexſpectataq́; mihi, ô feminæ,*
Quam nunc recenſebo, accidit. nam lana ea,
Qua tunica inunxi pura, & albo vellere
Detonſa, prorſus in nihilum redacta iam
Euanuit, nec tacta ab vllo, intus qui erant,
Conſumpta per ſe perijt, & ſumma petra
Dilapſa in auras, tabuit. Sed rem ordine
Vt vniuerſam intelligas, viſum eſt eam
Verbis tibi explicare pluribus. ex ijs,
Quæ teli acuti cuſpide latus ſaucium
Dolens docuerat ſemifer Neſſus, nihil
Penitus omittens, omnia velut æreis
Sculptam tabellis legem, vti præmonuerat,
Ea exequuta ſum: remotum enim procul

Ab igne, feruidaq́ radijs lampados
Intactum, in obſcuris alicubi pharmacum
Condi imperarat angulis, donec mihi
Ad vnctionem accommodare animus foret:
Morem imperatis, feminæ, geßi, ac opus
Iam tempus hoc cùm poſtulare credidi,
Præſente nullo texta inunxi clàm domi,
Lanaq́ vulſa proprijs ſum vſa ab ouibus,
Radijq́ ne Phœbi nitentes tangerent,
Sic conuoluta pyxide abdita tenui,
Munus, vti ſcitis, Herculi miſi, ſed en
Intrò reuerſa video portentum horridum
Dictuq́ credituq́ difficillimum,
Lanam antè paulò qua togam perunxeram,
Cùm fortè conieciſſem in ignes fulgidos
Solis micantis, mox ea, horreo eloqui,
Feruore vbi eſt correpta, tota neſcio
Quo diffluit modo, ac humi exaret cadens,
Perinde, ſerra ligna dum ſecantur, ac
Tenuem ſcobis ſi conſpicêre puluerem,
Terraq́ ibi ſpumoſus ebullit liquor,
Haud aliter adueniente quàm autumo è botris
Expreſſa Bacchi muſta feruent pinguia
Effuſa humi. quapropter incerta miſerè
Pendeo animi, hæreo, nec in mentem venit
Quid cogitem: facinus atrox patraſſe me
Iam video. quamnam enim cedo ob cauſſam mihi
Bene voluiſſet proximus morti ferox.

Cen-

Centaurus ille, cui necis cauſſam dabam?
Stultum hoc putare eſt: ſed peremptum cũ etiã cum
Optaret, à quo arundine ictus erat leui, Poſt factũ
Aggreſſus illecebra hac fefellit inſciam. ſapit.
Hoc tandem ego nunc ſerius, res integra
Poſtquam amplius non eſt, video: ego ſola eum,
Niſi malè mihi præſagiat meus animus,
Ego ſola eum ſum perditura, haud me id latet,
Qua clade Chironem Deum percuſſerit De Chirone vide Ouid. lib. de Faſtor
Manibus ſagitta lapſa, nec ſolum etiam eum:
Quodcunq; tangebat animal, mors ilico
Rapiebat, atque ex hoc venenum vulnere
Quod tabe commixtum profluxit turbida,
Cur non quoq; hunc interimat? itaque nunc mihi
Fixum ſedet, ſi quo ille tactus ſit malo,
Ne ſponte dicar huius ego culpæ rea,
Cum illo mori. quid quæſo ei, quæ ſe indole haud
Satam videri vult mala, durum magis, „
Quàm labe viuere obrutam famæ improbæ? „
CH. *Atrocia exhorrere facta quoslibet* „
Natura cogit. attamen de ſpe, antequam „
Fortuna quem euentum adferat cognoueris, „
Male ominari, non decere exiſtimo. „
DE. *Conſilio ubi res lapſa corruit malo,* „
Nulla eſſe ſpes adeò potens queat, animo „
Quæ robur aliquod adyciat. „
CHOR. *At leuior* „
Peccata punit pœna, quæ non ſponte ſunt „

„ *Commiſſa: culpa error vacat.*

DE. *Sed hoc modo*
Non loquitur is, qui particeps agit mali,
Acerba ſed quem nulla cura angit domi.

CH. *Rumpendus hic ſermo eſt tibi, niſi filium*
Huius rei eſſe conſcium velis: nam adeſt,
Qui nuper ad quærendum egreſſus eſt patrem.

HY. *O mater, vtinam ex his tribus mihi liceat*
Vnum aſſequi, aut non amplius te viuere,
Vita aut fruens alterius, haud mater mea,
Queas vocari, aut mente, qua nunc prædita es,
Mutata, alia alicunde melior ſuppetat.

DE. *Quid, nate, crudeli adeò dignum odio refers?*

HY. *Tuum maritum, ſcito te, ac patrem meum*
Die hoc necaſſe.

DE. *Hei nate, quid verbi illud eſt?*

H. *Quod irritũ haud reddi queat: quæ facta ſunt,*
Infecta reddere quis queat mortalium?

DE. *Quid ais? quis hoc patraſſe me dicit ſcelus?*

HY. *Diras calamitates patris miſeri oculis*
Vidi meis, hisq́, eiulantem hauſi auribus.

DE. *Vbinam adfuiſti tu illi, vbi loquutus es?*

HY. *Cùm id ſcire te interſit tua, explicanda res*
Tota ordine eſt, populatus inſignem Euryti
Vrbem, inde cùm diſcederet, tropheaq́,
Opulentaq́, ſpolia referens victoriæ
Monumenta, littore maris Eubœi eminens
Locus eſt, vtrinq́, quod fretum pulſat, vocant

Cenæum, ibi Ioui patri araſq́ ſtatuit,
Sacriſq́ confecit coronas frondibus:
Hoc in loco deſideratum ego patrem
Primum omnium vidi, ſolennibuſq́ iam
Cùm accinctus eſſet immolandis victimis,
Ecce è domeſticis adeſt præco Lichas,
Lethalia abs te munera tunicam ferens:
Quam cùm ille vt imperaueras, membris ſuis
Aptaſſet, eximios decem ex præda boues,
Duoſq́, primitias Ioui mactauit, &
Centum alia diuerſa pecora: ac primo quidem
Texto miſer gaudens amictu, hilari animo
Dijs preces fundebat, atqui pinguibus
Succenſa lignis flamma poſtquam victimas
Cruenta corripuit, ſtatim ægris plurimus
Prorupit humeris ſudor, & non aliter ac
Si ab artifice fuiſſet vndiq́ glutino
Recens tenaci collita tunica, lateri
Membriſq́ inhæreſcebat aſtricta omnibus:
Irrepit intima in oſſa corrodens dolor,
Neruoſq́ ſæuis contrahit cruciatibus,
Imiſq́, vt afflatum ab inimica vipera
Virus cruentum, ſæuit in præcordijs.
Miſerabilem hic Licham vocat, qui criminis,
Quod tu patraras, auctor non erat, rogat
Cuius dolo infecta attuliſſet texta: qui
Nullius infelix doli ſibi conſcius,
Abs te profectum ſola ait donum, ac ſe eo,

Quo

Quo tu apparaueras, modo obtuliſſe: quod
Vt audiјt, preſſus dolore, qui intima
Lacerabat atrox viſcera, pede, tibiæ
Vbi iungitur, comprenſum ad eminentia
Collidit æquore ſaxa, ſciſſoq́; capite
Mixtum cerebrum ſanie per comas fluit.
Plebs omnis ingenti ingemens flet murmure,
Patriſq́; morbum, atq; miſeri caſum Lichæ,
Nec quiſpiam ſe ferre ei audet obuium:
Nunc ore humum extenſus ferit, nunc in pedes
Erectus horrendo eiulat ſono: vndique
Locrenſium iuga rupium, Eubœæ ardui
Remugiunt colles: dolore iterum fero
Victus ſe humi proſternit, infandos ciet
Miſer vlulatus, plorat infauſtos toros,
Tuasq; & Oenei execratus nuptias,
Vitæq; te exitium, atque perniciem ſuæ
Nactum eſſe. tandem ex feruidi caligine
Diſtorta morbi lumina attollens videt
Exercitu in medio ſinus cadentibus
Me lacrymis opplere, neque mora illico
Accerſit, ô fili appropinqua ait, neque
Mea fugias mala, ne'ue ſi mecum tibi
Mori neceſſe ſit. age me hinc effer foras,
Eoq́; me loco reponito, vbi hominum
Me nemo conſpiciat, meiq́; ſi vlla te
Miſeratio mouet, citiſſimè hac patrem
Tellure, ne hîc mortem oppetat, iam traїce.

Manda-

Mandata cùm hæc dediſſet, impoſitum ſcaphæ
Vix terram in hanc deduximus graui licet
Spaſmo frementem, illumq́ mox vitalibus
Auris fruentem, aut mortuum videbitis.
Huiuſmodi molita mater in patrem
Conſilia, talia machinata diceris
Flagitia, proptereaq́ ſupplicium tibi,
Sæuamq́ Diræ vt vindices pœnam irrogent,
Id imprecari ſi mihi fas, imprecor,
Ac fas quidem eſt, cùm tu omne fas abieceris,
Necans virum omnium toto orbe maximum,
Qualemq́ poſthac non videbis vſpiam.
CH. *Cur tacitam te hinc ſic proripis? ſilentio hoc*
Fateris huius te ream eſſe criminis.
HY. *Sinite abeat, fauſtiq́ ſic ſpirent noti,*
Procul oculis illam meis vt auferant.
Quorſum ſuperbum matris illa nutriat
Nomen, nihil quæ matre dignum agit? abeat
Læta ſcelere infami, voluptas ea, patri
Quam præbuit meo, in ſuum redeat caput.

CHORVS.

Anapæſtici Trochaici.

EN vt ſubitò vox fatidica
Phœbeis emiſſa ſub antris
Sortita euentum eſt ſuum.
Cùm duodecimæ læta referret
Aeſtas tempora meſſis, magno
Progenitum Altitonante

Chorus hic diſputat de oraculo, quo prædictum erat Herculem defunctum iri laborib. atque nūc demum in-

Dulcia

telligit, quid ſibi velit oraculum.

Dulcia tum capturum
Gaudia vitæ, illamq́; laboribus
Metam fatis eſſe ſtatutam.
Atque hæc ventis acta ferentibus,
Vt prædicta fuêre, oracula
Eueniſſe videmus.
Quo modo enim qui lumine caſsus
Mortem obiit, adhuc ærumnoſa
Seruitute defatigetur?
Turbulentus ſi cruor Neſsi
Pallam inungere quo doloſa
Compulit neceſsitas,
Viſcera atq; imas veneno
Vrit atro fibras,
(Sæua mors hanc ſquamigerq́;
Protulit Draco luem,
Ille quo modo iubar
Solis alterum intueatur?
Illum Hydræ terribile monſtrum
Quaſsat hiſpidiq́;
Verberant ſimul doloſa
Atq; torrent igneis ſtimulis
Pharmaca Neſsi.

Luctus Deianeiræ.

Hac commota infelix cauſſa
Deianeira ſibi ſubitam ac toro
Cladem illatam cernens, pellicis
Aeſtuat acri ſtimulata ira.
Crudelis vox illa fuit, qua

Perſuaſa

Perſuaſa infauſta exitialibus
Niſa maritum eſt
Irretire amoribus.
Illa funeſtos gemit
Nunc dolos, hei copioſa,
Humidis manat genis
Lacrymarum ſpuma.
Imminet crudelis
Alia clades, fata cogunt,
Lacrymis fontes patent,
Diſsipata Alcidæ
Tetra peſtis huc illuc
Spargitur, ô Dÿ,
Sæuis ab hoſtibus
Tanta nunquam claro
Herculi clades fuit
Irrogata, heu nigro
Tincta ſanguine haſta,
Nimis heu præcipiti impetu
Celſa victa Oechalia,
Adduxiſti nympham.
Operam hîc tacitè Cypria præſtitit,
Harum Venus eſt auctor cladium.

Iambici Trimetri.

CH. *Aut fallor, aut aureis noui luctus ferit*
Srepitus meas, quid dicam id eſſe? hic queſtus haud
Obſcurus, eiulatibus tota reſonat
Intus domus. quæ occaſio turbas ciet

Iterum

Iterum nouas? auſculta, vt ecce fronte anus
Mæſta exit, & ſupercilia triſtis trahens
Annuntiatura aliquid huc noui venit.

NVTRIX. *O filiæ, vt grauis fuit nobis mali*
Nuntiatur mors Deianeiræ. *Occaſio donum Herculi nuper datum.*
CH. *Quid factum, anus, noui refers?*
NVTRIX. *Nunc quas teret*
Vnquam, vltimam ſata Oeneo immoto pede
Triuit viam.
CHO. *Fato'ne functa?*
NV. *Rem tenes.*
CH. *Fato'ne perfuncta miſera eſt?*
NV. *Audis idem.*
CH. *O calamitoſam, perditam, ſed quonam ais*
Periſſe lethi genere? dic.
NV. *Miſerabili,*
Res ipſa id indicat.
CH. *At modum refer necis.*
NV. *Sua occubat miſera manu.*

CHORVS.

Trochaici Iambici Dimetri Catalectici cum Anapæſticis.

QVis furor, quæ morbi
Vis, tam acutæ cuſpidis
Spiculum contorſit? Quo modo illa
Sola ſuſtinuit necem neci
Aggregare?
NV. *Triſtis mucrone ferri.*

C. *Tu'ne*

CH. *Tu'ne truculentum hoc oculis*
Spectare ſuſtinuiſti
Sæua facinus?
NV. *Vidi, & propè aſtiti.*
CHO. *Qualis? quo pacto, expedi.*
NV. *Ipſa hæc ſua peregit dextera.*
CHO. *Quid ais?*
NV. *Manifeſta loquor.*
CHO. *Peperit, magnas peperit*
Infeſtasq́; recens quæ adducta eſt,
Impia ſponſa his furias ædibus.
NV. *Nimis infeſtas: quod ſi præſens*
Dirum hauſiſſes oculis facinus,
Maior quateret miſeratio animum.

CHORVS,
Iambici Trimetri.

Vliebris hæc patrare ſuſtinuit manus?
N. *Facinus atrox, fatebere id vbi audiueris.*
Sola properatum vt intulit tectis gradum,
Puerumq́; in aula lectulos insternere
Vidit, profecturum patri rurſum obuiam,
Seſe abdit, vt ne à quo videretur: ibiq́;
Proſtrata ad aras lamentabili ſono
Fundit querelas, deſtitutam ſe viro
Orbamq́; plorat, & aliquid quoties manu
Contingit, vti quo prius conſueuerat,
Lataq́; cum hac illac oberrans regia
Fidum in aliquem famulum incidit, largis rigat

Lacrymis genas, ipſum intuens miſera. ac ſuum
Ipſa Genium vocat, atque ſublatam dolet
Spem in poſterum omnem procreandi liberos.
Vbi ab his quies, repente in Herculeos ruit
Turbata thalamos, abdita ego tenebris latens,
Quæcunq; agebat diligenter intuor:
Mox Herculis ſocio cubili pallia
Strata iniÿcit, ſupraq́; ea inſiliens, toro
Medio reſedit, ac tepentibus ſinus
Perfuſa lacrymis, flumineq́; largo, heu ait,
Heu lectule, atque nuptiarum conſcÿ
Thalami mearum, iam valete, in poſterum haud
Me vnquam recepturi ſopore languidam.
Hæc fata, præcipiti peplum ſoluit manu
Aurea vbi ſtringebat papillas fibula,
Totum latus, læuumq́; nudat brachium.
Hîc, curſu ego pro viribus celerrimo,
Quæ mater in ſe moliatur atrocia,
Anhela eo, puero indico. ſed interim
Dum currimus, recurrimus, ſub hepate
Lacerata iam infelix acuto ruperat
Præcordia enſe. quod vbi vidit filius,
Caſus acerbos fleuit, ac ſæua incitam
Cognouit ira facinus immane hoc matrem
Auſam fuiſſe. quæ gerebantur domi,
Ac fraudulentis quòd ferocis artibus
Centauri, & inuita impium fuerat ſcelus
Molita, ſerò ille nimis edoctus fuit.

Ibi miſerabilis puer luctu propè
Lacrymisq́; confectus, cadaueri matris
Incumbit, ori os, atq; lateri flens latus
Protenſus adiungit: ita gemitu ſquallidus
Fletuq́; iacuit multa queſtus, criminis
Quòd tam impij temerè adeo matrem ream
Feciſſet, & eò iam redactus eſſet, vt
Parente ſeſe vtroq; momento breui
Videret orbatum. atq; ſic ſe res habet.
Proinde ſi duos quis, aut etiam dies
Ad calculum plureis vocet, ſtultus puto
Is habendus eſt. quid craſtinæ horæ tempora
Spectamus auidi? hora quid præſens ferat „
Videndum: ita ſpacium omnia inuertit breue. „

CHORVS.
Troch. Anapæſt.

VTra nunc mihi, vtra ſunt gemenda
Nunc mihi mala? vtrum
Eſt atrociore dextera
Perperatum hei, hei mihi facinus,
Hæreo, nec miſera
Id queo dijudicare:
Hæc quidem oculis aperta
Omnium domi patent, at illa
Singula in momenta
Solliciti exſpectamus: verùm
Eſſe idem arbitror ego, „
Siue nunc premare, ſiue „

„ *Imminentis torqueare*

„ *Horrido mali timore.*

Quis noſtris allapſus domibus
Nunc me liquidas turbo per auras
Ex tam infeſtis abripiet locus?
Ne ſobolem Iouis inclytam
Mox cum aſpiciam, trepido
Moriar conſternata pauore.
Nam nulla arte fugandis
Aiunt implicitum malis
Aduentare, horrendum auditu.
Prope nunc greſſus admouet: vti
Siluis queritur Daulias ales,
Lugubreis ſic edunt hoſpites
Sonitus, peregrina approperat cohors,
Quò nunc portant miſerum?
En vt ſollicita commoti
Cura ſtrepitu nullo
Triſtem moderantur gradum.
Hei, hei, hei, hei, vt portantur
Fortia nullo membra tumultu.
Quid dicam? mors ne, an ſopor
Magnum detinet Herculem?
HY. *Hei mihi genitor,*
O miſerum te genitor,
Quæ me Fortuna manet,
Quid conſilij capiam infelix?
Hei mihi.

s. *Com-*

SENEX. *Compeſce fletus, fili,*
Ne ſuſcites acerbos
Cari patris dolores.
Viuit letho proximus ille,
Sed tu querulas comprime voces.
HY. *Quid ais, ſenex, viuit'ne?*
SE. *Feſſos ſopor leuat artus,*
Ne tu excites furioſum,
Grauemq́; ne commoueas,
Ne irrites, ô fili, morbum.
HY. *Verùm immenſa malorum moles*
Diros exprimit animo queſtus.
HERCVLES. *Iuppiter alme, quæ*
Mundi me plaga detinet?
Quos apud homines
Nunc immedicabilibus
Oppreſſus iaceo malis?
Væh miſerum me,
Nunc me rurſus peredit morbus.
SE. *Nunc perſpicis'ne quanto*
Siluiſſe te fuiſſet
Satius, quàm ab oculis dulcem
Ita diſſipare ſomnum?
HY. *Tantis confectum cernens malis,*
Non potui luctantes animi
Cohibere, ſenex, impetus.
HER. *O Cenæi rupes verticis,*
Sacræ vbi fumant aræ,

Quæ mihi cæſis gratia victimis
Digna rependitur? alme ô Iuppiter,
Qua me clade immeritum conficis?
Quam nunquam oculis aſpicere meis
Infelix debebam.
Me'ne tam fera vi miſerum,
Me'ne furore vrges lethifero?
Quis gnarus ita eſt carminis artifex,
Quis medica arte ita pollens,
Quis, niſi Iuppiter, vllum huius mali
Poſſet ferre leuamen?
Portenti ſimile hoc ego ducerem.
Eheu ſinite infelicem me,
Sinite, inquam, requieſcere.
Hei requieſcere ſinite.
Quid dextram miſero admoues?
Quid laſsata reclinas membra?
Occidis me, occidis.
Quæ ſopita iacebat,
Vim morbi ſæuam accendiſti: rurſus
Imis ſerpit in oſsibus.
O gens nimis ingrata Pelaſgi,
Vbi nunc eſtis?
Veſtri ego dum æquora turgida pelagi,
Dum nemora altis obſita ſiluis
Omnia purgo, pereo infelix,
Et nunc ſæuo obſeſſum pectora
Morbo, nemo flammas, nemo

Optatam

Optatam in me dirigit haſtam?
Hei mihi, nemo eſt, qui grauidum caput
Enſe recidens, inuiſam mihi
Acceleret prærumpere vitam.
Hei mihi.
SEN. *Heus magno puer Hercule genite,*
Impar viribus onus hoc eſt meis,
Adiutricem iam impiger admoue
Dextram, caro aſsiſte parenti,
Quod tu, cui eſt oculi acies fortior,
Me præſtare potes commodius.
HYLLVS. *Admoueo manus.*
Sed quî ima inter viſcera
Graſſanti iam pharmaca peſti,
Aut domi, aut foris
Inueniam, non video.
Sic magnus nos agitat Iuppiter.
HER. *O nate, vbinam es?*
Huc ades, huc inquam, nunc
Feſſa colleua hæc iuuante
Membra dextera, hei mihi,
Heu infandam ſortem.
Torret ecce iterum fibras,
Ictibus me ſæua rurſus
Impetit lethalibus
Horrida, atque atrox lues.
O potens Diua ægide,
Quam ferox hic me dolor

Miſerum excruciat? nate, parentis
Miſerere tui, corripe ferrum,
Pietas, non ſcelus eſſe feretur,
Iugulo gladium merge cruentum,
Impia quem mihi commouit tua
Mater, tolle dolorem:
Quam vtinam tali videam
Afflictam fato, quali me
Perdidit impia.
Germane Iouis frater,
Optati ô Rex Tartari,
Celeri ſopitum nece priua
Inuiſis me luminis auris.
CHO. *Tremo, horreoq́ tota, amicæ, cùm graueis,*
Quibus agitatur iſte, caſus audio.

Hunc locũ Latinis verſibus trãſtulit Cicero, quos in initio huiùs Tragœdiæ adijci curauimus. Extat autem l. 2. Tuſcul. Quæſt.

HER. *O multa cœptu audacia, effatu horrida,*
Quæ dextera hac, & corpore afflictus tuli: at
Nec Iuno ſummi vxor Tonantis, tantum adhuc,
Nec dirus Euryſtheus, mihi obiecit malum,
Quantum ſata Oeneo doloſa humeris meis
Virgo implicauit: manibus hoc furiæ ſuis
Contexuêre rete: lateri adhæret, &
Summam exedit cum pelle carnem, in intimos
Penetransq́ pulmonum meatus, aridas
Sorbet fibras, iamq́ hauſit omnem ſanguinem.
Vtq́ his nefandis mancipatus vinculis
Vitam traho, totum ecce corpus tabuit,
At non vibrata ab hoſte lancea, non humo,

Sata gens Gigantum, non ferarum immanium
Truculenta vis, non Graia turba, aut barbara,
Nec, quem vndiq; ambiens repurgaui, plaga
Vlla orbis execrabilem inflixit luem:
Sed femina auctor, femina, & non prædita
Animo virili, ſola me hæc gladio ſine
Crudelis interemit: ô nate, Hercule
Nunc te ſatum re ipſa palàm monſtra, neque
Meo matris nomen tibi ſit antiquius.
Age, hanc domo extractam manu tua, mihi
Trade, vt ſciam tandem meum'ne lugeas
Magis malum, an illius, vbi merita affici
Pœna videbis. Nate age, aude, nunc patris
Miſerere, qui miſerabilis iam eſt plurimis,
Qui virginis teneræ inſtar heu plorat, cui
Lacrymæ per ora defluunt, mortalium
Quas nullus in hoc homine vidit, quas mala
Nulla excutere alia potuêre vnquam, ſine
Queſtu, ſine gemitu, graueis tuli hactenus
Semper labores, nunc malo hoc oppreſſus, heu
Me feminam vt mollem vident omnes, ades,
Aſſiſte nate, patris intuere nunc
Diras miſerias: en retectum conſpice,
Videte, contuemini omnes corpus hoc,
Aſpicite quàm miſerabilis pœna miſerum
Fatiget, hei, hei, hei mihi.
En rurſus æſtuantis intorquet mali
Virus rigenteis muſculos, artusq; per

Et membra ſe inſinuat vorax paßim lues,
Nunquam quietem huic datura corpori.
O Pluto, triſti me recepta Tartaro,
Radij ô Iouis ferite, age ô molire Rex,
Ignita torque fulminis tela ô pater.
En ſerpit iterum peſtis, intimas edit,
Vrit medullas, ô manus! ô pectora!
O terga! forteis ô Lacerti! vos'ne, vos
Nemeæa populantem Leonem paſcua,
Trucemq; formidabilemq; belluam
Necuiſtis? Hydræ pullulaſcens vos caput,
Lernæa quam palus tegebat, horridum
Monſtrum, amputaſtis? dextera hæc bicorporem
Belloq; non ſuperabilem, feram, impiam
Gentem ſubegit? hac cecidit Erymanthiam
Vaſtans humum terrifica ſus? Erebi è plagis
Hæc tricipitem Hydraq; genitum extraxit canem?
In vltimis hac occidit Libyæ locis
Cuſtos draco auriferæ arboris? certamina
Mille alia victrix hæc peregit dextera,
Nec vllus è noſtris trophæa laudibus
Statuiße gloriabitur mortalium.
At membra nunc compagibus ruptis mihi
Labant, caroq; tabida omnis diffluit,
Occulta viſceribus latens miſerum lues
Conſumit, ita pereo optimæ qui filius
Matris, Ioue ipſo qui editus dictus fui.
Certum hoc habete, morte quanquã in nihilũ ego
Redigar,

Redigar, nec vlla pars ſuperſtes amplius
Reliqua manebit Herculis, ſcelus tamen
Tam immane, quæ in me machinata eſt, femina
Haud vnquam inulta illa auferet. Itaq; veniat
Mox faxo diſcet, nuntiabit omnibus,
Quod quo modo viuus ego feci, ita ſuperi
Orbatus auris ætheris, dignis adhuc
Haud deſinam mactare ſupplicijs malos.
CH. *Terra ô Pelaſga, quo dolore, quàm fero*
Carpêre luctu, hoc ſi viro priuabere.
HY. *Veniam loquendi ſi mihi præbes, pater,*
Morbo licet premaris, attendas rogo:
Nil poſtulabo, quod me iniquum erit aſſequi,
Da te mihi, neque tam ferocibus tuum
Animum æſtuare iris ſinas: alioqui enim,
Nec vbi dolore, nec vbi gaudio affici
Conueniet, occæcatus ira intelliges.
HER. *Vbi, quod volueris, dixeris, deſine loqui,*
Nam ſæua vis cùm corripit atrocis luis,
Attendere argutis nequeo ſermonibus.
HY. *De matre dicturus venio, non ſponte eam,*
Res ipſa vt indicat, fuiſſe noxiam.
HER. *Tu matris iſtius, nefanda quæ patris*
Cæde inquinata eſt, mentionem facere apud
Me ſuſtines ſceleſte?
HYLLVS. *Sic ſe res habet.*
Inuoluere hoc æquum haud reor ſilentio.
HER. *Nempe quaſi non peccatum ab illa ſit prius*

Gra-

Grauiſſimè.

HY. *Non ſemper, ô pater, tua*
Oratio talis erit.

HER. *Effare, at caue,*
Ne tu patrocinio matris nati malè
Famam aſſequaris.

HY. *Illa infelix fero,*
Pater, iacet recens perempta vulnere.

H. *Cuius manu? nãq; mala portentis mihi*
Videre plena referre.

HY. *Ab alio nemine,*
Sua ipſa concidit interempta dextera.

HER. *Hei, cur mea non cecidit illa dextera?*

HY. *Sæuos reprimeres impetus, ſi, vt res fuit*
Geſta, genitor, cognoſceres.

HER. *Diri mali*
Exordia audio, reliqua nunc expedi.

HY. *Nil cogitans ſtruere mali, imprudens manus*
Contaminauit ſcelere.

HER. *Quid? nihil mali*
Scelerate quæ patrem interemerit tuum?

HY. *Nuptæ dolore exaſperata fuit nouæ,*
Volensq́; amoris temperare pharmacum,
Dirum inſcia admiſit ſcelus.

HER. *Sed dic quis eſt.*
Magicæ artis adeò inter Trachinios ſciens?

HY. *Centaurus olim Neſſus id perſuaſerat,*
Hoc Philtro vt ad ſui te amorem accenderet.

H. *Hei*

HE. *Hei mihi, miſer perij, perij ego funditus,*
Lux fulget hæc nouiſſima, hei mihi, video,
Nunc video finem calamitatibus meis
Adeſſe. abi puer, amplius pater tibi
Haud viuit: i, nunc vniuerſum conuoca
Cognatum, vt huc veniat, genus, miſeram voca
Fruſtraq́; dictam coniugem Alcmenam Iouis,
Vt de exitu quæ Delphicæ ſortes meo
Cecinère, quantum commemini ego, intelligant.

Percellitur animo mentione Neſſi Hercules

HY. *Sed mater haud adeſt: Tirynthum ea iam lareis*
Ad littoralem tranſtulit pridem ſuos,
Aliquoſq́; ſecum è liberis duxit, alij
Thebis agunt: at nos, pater, nunc qui adſumus,
Si quid facere oportet, opera præſtabimus.

H. *Nunc quid velim audi, tempus exigit, vt patre,*
Quo genitus es, num dignus etiam ſis palàm
Fili, probes. Olim à patre hoc ſummo Ioue
Oraculum accepi: ſuperſtitis Herculem
Nullius occiſum manu iri: vitam ei
Apud inferos Stygij incolam Orci aliquem fore
Qui eriperet: ille Semifer Centaurus eſt,
Qui mortuus viuum peremit, vt mihi
Fatidica Diuûm dixerant oracula.

Explicatio oraculi.

Aliud adhuc nouum explicabo, veteribus
Quod congruit vaticinijs: id agreſtium
Sellorum humiq́; cubantium ingreſſus ſacrum
Lucum pater, loquaxq́; quercus edidit,
Tabuliſq́; mandaui illitum fidelibus:

Selli fuére ſacerdotes Iouis in Dodone.

Namq́;

Namq; hoc aduſque tempus æthereas mihi
Si propitia auras fata non prærumperent,
Aiebat ærumnis meis finem fore.
Vitæq; iam beatæ imago animum meum
Iucunda demulcebat, atq; hoc hoc erat,
„ *Mortem innuebat mihi obeundam. mortuos*
„ *Nullus grauat labor amplius. proinde cùm*
Hæc contigerunt, nate, te auxilio patri
Adeſſe par eſt, nec, animus donec mihi
Ira intumeſcat, quæ iubebo, differas,
Sed ſponte & hilaris, muneris quod erit tui,
„ *Obito, ſanctam ſemper ante oculos habens*
„ *Legem, obſequi quæ præcipit parentibus.*
H. *Metuo hæc tua, pater, dicta quorſum pertinent:*
Semper tamen tuis parebo iuſsibus.
HE. *Primùm omniū nunc dexteram mihi porrige.*
HYLLVS. *Quid hanc fidem à me poſtulas?*
HERCVLES. *Non porriges?*
Nate imperatis iam caue abcedas meis.
H. *Dicto audiens en porrigo.* HE. *Qui me edidit,*
Sacrum Iouis iura caput. HY. *Quid vis, pater*
Me facere? dic, iurabitur. HE. *Quod nunc tibi*
Dicetur, abq; vlla executurum mora.
HYL. *Iuro Iouem iuriſiurandi præſidem.*
HE. *Quod ſi falles, pœnam imprecare etiam ſimul.*
H. *Pœnā haud luam: cōplebo enim: imprecor tamē.*
HE. *Sacrum Ioui cacumen Oetæ ſcis vbi?*
HY. *Scio: arduo ſæpe immolaui in vertice.*

H. *Eò*

HE. *Eò manu tua & ab amicis, quos voles*
Aſſumere, adiutus, meum corpus feres,
Denſoq́ꝫ cæſis nemore quercubus, oleæ
Et ex agreſtis pinguibus truncis, pyram
Impauidus extrues, huicq́ꝫ corpus vbi meum
Impoſueris, picea face inijcies rogo
Flammas voraces, lacrymis atqꝫ gemitu
Paterna caueas taminare funera:
Fletu ſine gemituq́ꝫ, ſi modò Herculee es
Prognatus, imperata perficies mea:
Quod ſi ſecus facies, caput ſæuis tuum
Deuotum Erinnybus vmbra dira perſequar.
HYL. *Hei quo ferox pater impetus ſic te abripit?*
Eheu, quod aggredi iubes gnatum ſcelus?
HER. *Quod te decet, ſi rennues, alio ſatus*
Parente, non ex me fereris editus.
H. *Hei rurſus ad quæ me officia vocas pater?*
Vis cæde me tua inquinare dexteram?
H. *Nequaquam ego. ſed calamitatum te omnium,*
Quibus fatigor, vnicum medicum volo.
H. *Sed quî, cremandum ſi voracibus ignibus*
Subdam, mederi corpori queam tuo?
HE. *Si facere te hoc horror vetat, alia perage.*
H. *Portare te non rennuam, mora nulla erit.*
HE. *Ac extruendo ligna congeres rogo?*
H. *Modo ne ipſe corpori manum admoueam tuo,*
Quantum ferent vires, opera præſtabitur.
HERCVLES. *Suffecerit. alijs tuis beneficijs*

Mini-

Minimum hoc vt adiungas, ſupremum te precor.
HY. *Et maximum ſi fuerit, haud negabitur.*
HE. *Satam Euryto parente noſti virginem?*
HY. *Niſi fallor, Iolen innuis.*
HER. *Rectè, id tibi*
Nunc voce ſuprema impero, vt, me mortuo,
Si qua pietas animo ſedet, fili, tuo,
Iuriſq́ ſi iurandi adhuc, quo iam mihi
Obſtrictus es, memor eſſe, vti par eſt, voles,
Hanc coniugem in partem tori aſciſcas tui,
Nec ſupplicanti hoc rennuas munus patri,
Nec quæ meo coniuncta lateri cubuit, hanc,
Te præter, alius in torum receptet: id
Tu nate cura, deſtinata illa eſt tibi.
Obtempera: nam rebus in grauiſſimis
Fidem meam ſequutus, ſi in paruis pedem
Referas, prior vaneſcet illico gratia.
HY. *Eheu, viro iraſci horridis preſſo malis*
Graue iudico. at talem quis animum perferat?
HE. *Perinde loqueris, ac ſi eorum, quæ modò*
Tibi imperaui, nil foret animus exequi.
HY. *Quis quæſo eam, quæ ſola mortis præbuit*
Cauſſam matri, quæ etiam hanc tibi, qua affligeris,
Peſtem parauit, quis cedo, niſi furijs
Agitatus, vxorem accipiat? ah emori
Me etiam, pater, ſatius puto, quàm cum hoſtibus
Vnis in ædibus exigere vitam meis.
HER. *Hunc, vt videtur, nil mouet moriens pater:*
Hor-

Horrenda ſed te perdet execratio,
Niſi, quæ imperaui, ſedulò omnia feceris.
HY. *Hei dira morbi vis te ita loqui compulit.*
HE. *Tu mitigatum rurſus excitas malum.*
HY. *Hei mens vt incerta mihi tota fluctuat.*
HE. *Obtemperare patri iniquum exiſtimas?*
HY. *Vt impiè diſcam agere, id æquum tu putas?*
HE. *Nullum hîc ſcelus, ſi animo facis gratum meo.*
HY. *Iuſta igitur ea ſunt, quæ mihi nunc imperas?*
HE. *Sunt iuſta, teſteis cælites voco Deos.*
HY. *Morem geram, nec refugiam, Dijs teſtibus,*
Tuam, genitor, auctoritatem: nullum enim
Feciſſe dicar obſequentia nefas.
HE. *Orationis hæc pia eſt concluſio.*
Hocq́; meritis paruum adde beneficium alijs,
Triſtis priusquam me occupet rurſus lues,
Animumq́; cruciatu fero alienet furor,
Structam in pyrā impone, agite, properate ô ſimul
Attollite, ærumnis meis ſola requies
Hæc eſt, hic vltimus mihi vitæ exitus.
HY. *Sed nulla, quo minus tibi impendam vltima*
Hæc obſequia, res me abſtrahet, quando tu ita
Violenter id perficere, genitor, imperas.
HER. *Age nunc, ſæua priusquam fibras* Anapęſt.
Iterum corripiat lues.
O anima aſpera, quouis durior
Chalybe, os comprime, ceſſent
Dedecorantes funera planctus:

Ee *Hila-*

Hilaris rem aggreſſura infeſtam
Appare, lætam explica
Frontem. HYL. *Tollite, veniam date*
Comites, en conſpicitis,
Vt pro geſtis inclytis,
Præmia Diui dira rependant
Qui mihi rutili tribuêre auras
Luminis, orbi qui genuêre,
Dicti magni patres Herculis,
Tam ſæuis preſſum aſpicere malis
Sæui ſuſtinent.
» *Nemo futuros caſus proſpicit.*
Qui præſens vrget, triſtis mihi,
Illis dedecoroſus, Sed triſtiſſimus omnium,
Quotquot viuunt, qui patior, mihi eſt.
CHO. *Ne tectis abcedas regijs*
Virgo, magnorum ſpectaſti
Plurima ſpatio exiguo
Funera regum, cladeſq́; feras,
Quarum eſt auctor Iuppiter omnium.

PERSONAE PRAECEDENTIS FABVLAE.

DEIANEIRA.	PAEDAGOGVS.
HYLLVS.	NVNTIVS.
LICHAS.	ANCILLA nutrix.
SENEX.	HERCVLES.

CHORVS mulierum Trachiniarum.

Bruxellæ 4. Calend. Septemb.

M. D. LIII.

FINIS TRACHIN. SOPHO.

ARGVMENTVM PHILOCTETIS.

PHILOCTETES Pœante genitus, in expeditionem Troianam cum reliqua Græcorum claſſe profectus, in Chryſaque vicina Lemno inſula Herculi, cuius ſagittas pro præmio adeptus fuerat, aram erecturus, à ſerpente ictus miſerè excruciabatur. Cùmque aſſiduis querelis atque lamentis, tetroque vulneris fœtore Græci plurimùm offenderentur, de communi totius exercitus conſilio, Vlyſſi atque Diomedi mandatum fuit, in Lemno expoſitum relinquere. Bello autem durante, atque in decimum annum extracto, aſtutia Vlyſſis captus vates Helenus monuit in fatis eſſe Troiam, niſi per Philocteten ſagittis Herculis armatum, perque Neoptolemum, excindi non poſſe, neque etiam alterum ſine altero quicquam effecturum.

Vaticinio Heleni fide habita, Vlyſſes cum Neoptolemo ab exercitu in Lemnum ablegatur, vt, quoad eius fieri poſſet, cum bona gratia tentent Philocteten reducere, ſin minus, nolentem cogant. Sed aſtu hanc rem Vlyſſes peragendam conſiderans, Neoptolemum inſtituit, vt fictis ſermonibus Philocteten aggreſſus, ſagittas capiat: verùm ægrè hoc efficit: fraudes enim atque dolos peroſus generoſæ indolis iuuenis aperto Marte rem tentare, honeſtius ducit. Quod conſilium cùm Vlyſſi diſpliceret, ſcíretque propter exacerbatum ipſius in Græcos odium nunquam aſſenſurum, hortatur, cogitet qua de cauſſa eò miſſi ſint, vt, quam de ſe commouiſſet, exſpectationem ſuſtineat, atque tueatur, neque vitio illi verſum iri, ſi pro re tanta aliquid ſimulatè præter naturam ſuam gerat, hoc peccatum, ſi peccatum exiſtimandum eſt, victorię ſuauitate conditum iri. Aggreditur itaque Philocteten Neoptolemus, quem miſerè affectum inuenit, fingitque ob denegata ſibi arma patris Achillis indignatum domum ſe reuerti, ac ventorum vi atque tempeſtate in Lemnum proiectum. Philoctetes Neoptolemum orat, in patriam ſe vt reducat, quod facturum ſe Neoptolemus recipit, cui Philoctetes arcum ſuum, quem vnicum vitæ ſuæ ſubſidium ſubinde appellat, cuſtodiendum tradit. Sed aliud Neoptolemus agitabat, nempe naui impoſitum in Ilium auehere. Cùmque vrgeret nauigationem Philoctetes, cui omnis mora longa videbatur, ſtimulatus doli conſcientia Neoptolemus ad naturam ſuam redit, remque omnem Philoctetæ aperit, atque ſuadet

vnà Troiam abnauiget, vnde gloriam immortalem, malorumque, quibus agitabatur, leuamen relaturus eſſet. Quod audiens Philoctetes, deceptum ſe queritur, atq; ſi fidem datam præſtare nollet, arcum vt reddat orat. dumque inter ſe diſceptant, Vlyſſes interuenit, cuius aduentu Philoctetes attonitus, diris illum conuicijs inceſsit. Victusque tandem Neoptolemus indignumque fraudes atque dolos verſare exiſtimans, arcum, reluctante Vlyſſe, reſtituit, omnibus tamen modis profectionem conatur perſuadere: ſed nihil agit. Cumque re infecta videretur exercitum Vlyſſes repetiturus, Neoptolemus autem fidei à ſe datę memor Philocteten in patriam reuecturus, ecce Hercules de cælo delapſus Philocteten monet, ne fatis repugnet, cuius reuerentia permotus, ſocium ſe addit itineri.

Quemadmodum multa ſunt, quæ nauis gubernatorem eum, quem cœpit, tenere curſum ſæpe impediunt, venti contrarij, ęſtus maris, aut medio latentes æquore ſcopuli, artiſq; eſt in nauigando tempeſtati obſequi, & ſic curſum dirigere, vt, ſi recta via nequeas, mutata velificatione, portum quàm minimo periculo ſubeas; ſic his qui Reip. præſunt, ſæpe temporibus inſeruiendum eſt, multa ſimulanda, multa diſsimulanda, vt Reip. conſulatur tranquillitati. Quod multi inſigni quidem integritate, atque animi candore prę diti, ſed non maximè periti rerum, non perſpiciunt: imò ita veritatis ſunt amantes, vt iudicent præſtare falli, atque diſcrimen ſubire, quàm à recto tramire deflectere. Cuius rei hic elegans exemplum proponitur in Neoptolemo, qui patris Achillis, quem Homerus ait maximè fuiſſe inimicũ ſimulationibus, naturã atque indolem referens, animoque cum magno, & excelſo, tum etiam aperto & ſimplice, ſed Reipub. negotiorum rudi, & inexperto, nihil ſimulatè, ſed aperto Marte gerenda omnia exiſtimat. Quam opinionem vt ei Vlyſses eximat, nihil non molitur, ſibique olim cùm iuuenili ætate vigeret, talem animum fuiſſe dicit: ſed experientia, vſuque edoctum aliud nunc ſentire: neque reprehendendum ſimulatè quid agere, ſi temporum hoc ſtatus expoſcere videatur, & aliqua inde ad Remp. vtilitas perueniat. Huc etiam pertinet, quod M. Tullius ait, Non ſemper in eadem ſententia perſiſtere, ſed idem ſemper ſpectare boni viri eſſe.

Atque hic rurſus conſiderandum quàm ſit difficile aduerſante & reluctante natura aliquid facere, quod neque auctoritas exercitus, neque Vlyſsis perſuaſiones, neque rei, quæ agebatur, magnitudo, à Neoptolemo impetrare potuit. Neque prætereundum

dum, quod Cicero Philoctetis exemplo docet, optimum quemq; atque ſapientiſs. ab interitu abhorrere. Sic enim ait, Maximè autem in hoc genere vis eſt perſpicua naturę, cùm & mendicitatem multi perpetiantur, vt viuant, & angantur appropinquatione mortis, confecti homines ſenectute, & ea proferant, quæ Philocten videmus in fabulis, qui cùm cruciaretur non ferendis doloribus, propagabat tamen vitam aucupio ſagittarum. Lib. 5. de Finib.

PERSONAE FABVLAE.

VLYSSES.

NEOPTOLEMVS.

CHORVS ex ſocijs conſtans, qui vnà cum Neoptolemo in Lemnum abnauigauerant.

PHILOCTETES.

MERCATOR.

HERCVLES apparens.

Res geri in Lemno fingitur.

SOPHOCLIS PHILOCTETES.

VLYSSES,

Iambici Trimetri.

En littus hoc circumfluæ ſalo vndique
Lemni, inhabitatũ eſt, nec hominũ tritũ vſpiã
Veſtigijs, in quo, optimo ô patre edite, ac,
Quotquot fuerunt, omnium fortiſſimo
Graiorum Achille, Neoptoleme, ego Theſſalum
Olim Philoctetẽ, Ducum iuſſa exequens,
Expoſui, ab vlcere cruciatum putrido,
Pedemq́; depaſcente morbo, vt nec Dijs
Libare, nec animo quieto victimas
Liceret immolare, caſtra maledicis
Ita tota vocibus fatigabat, gemens
Acerba, clamans, ſed quid iſta nunc opus
Multis referre? longa non fert tempus hoc
Colloquia, ne huc me ille appuliſſe ſentiat,
Et cogitati omnes, quibus eum capere nunc
Statui, doli mihi diffluant. tuum autem erit,
In ceteris facilem vt mihi te præbeas,
Reſq́; vt feret, ſubſeruias. proinde iam
Circumfer oculos, ſi alicubi vtrinque videas
Rupem patentem, Pyrrhe, & vbi ſedes duplex
Bruma rigente ſolis excipit facem, &

Per-

Perſlabilis feruente ſidere temperat
Aeſtum, atque ſomnos aura vbi inuitat leuis,
Infrà, ſiniſtram verſus, vndæ limpidæ,
Siquidem ibi adhuc eſt, fons ſalit: tacito pede
Confer te eò, mihiq́ mox, ſi eo loco,
Aut alibi ſit, renuntia, vt tum ego tibi,
Quæ reliqua ſunt, pandam, atq́ ita operas mutuas
Præſtemus, ego conſilia, tu audientiam.
NE. *Leuem hæc Vlyſſe, res laborem poſtulat:*
Videor, quam ais, videre iam mihi ſpecum.
VL. *Supra'ne, an infrà? non enim te intelligo.*
NE. *Infrà, nec vllius ibi nota veſtigij.*
VL. *Somno, vide, ſopitus an recubet humi.*
NE. *Vacuam video, hominibusq́ deſertam caſam.*
VL. *Nec intus vllum, quale ſub tecto, ac domi*
Solet parari, conſpicis cibi genus?
NE. *Folijs humus ſubſtrata, quaſi quis ibi cubet.*
VL. *Vacua'ne reliqua, nec ſupellex ibi alia?*
NE. *Opus imperiti artificis, ilignus ſcypus,*
Atque iſta, lucentem quibus focum excitet.
VL. *Theſaurus hic illius eſt, vt audio.*
NE. *Hei hic laceri etiam indices morbi grauis,*
Fædoq́ panni pure ſiccantur putres.
VL. *Hac incolit certò loca, nec abeſt procul.*
Nam quò vetere agitatus ille ſorte, quò
Atroce vulnere ſaucius pedem ambulet?
Sed ſueta vel profectus eſt ad pabula,
Herbam'ue, qua ſedet dolores, quæritat.

Hunc itaque ſpeculatum, inſcium ne me opprimat,
Præmitte: nam me ex copijs Graiûm omnibus
Vnum venire maximè ad ſeſe expetit.
NEOP. *Diſcedit, atque preſſa humo veſtigia*
Cautus notabit, tu interim, ſi quid mihi
Communicare voles, licebit, expedi.
VL. *Sate patre Achille, cogitare te decet,*
Quare in viam hanc iam te dediſti, atque ſpecimen
Non corporis ſolum, ſed animi etiam edere
Exempla generoſi, atq; fortis: & noui
Si quid tuis fortè increbreſcet auribus,
Quodq; ſit inauditum tibi prius, haud tamen
Nauare eam operam rennues, quam vt hîc mihi
Præſtes, Pelaſgûm huc miſſus es ab exercitu.
NEOP. *Quid igitur vt faciam imperas?*
VL. *Sermonibus*
Animum Philoctetis doloſis imbue:
Id facto opus, ſi ex te, vnde ades, ſi etiam quibus
Sis editus ſcitabitur parentibus,
Te natum Achille fatebere: nec enim hîc volo
Vt falſa dicas: ſed odijs crudelibus
Exaſperatum Doricas te copias
Liquiſſe, patrioſq; ſimulabis lares
Repetere: quòd cum precibus immenſis domo
Te accerſiiſſent (ſola enim hæc, neque reliqua
Capiendi alia reſtabat Ilion via)
Dicto audienti, iureq; petenti tuo
Achillis arma, quæ dedêre duci Ithaco,

Tibi

Tibi dare renuerint, & in me quas voles
Effunde contumelias, extremaq́;
Quæcunque in aliquem probra torqueri queant.
Aegrè haud erit mihi: atq; tu niſi facies,
Omneis Pelaſgos mæror affliget grauis.
Pœantíjs niſi potiamur ſpiculis,
Nunquam tuo vaſtabitur Marte Ilium.
Sed cur mihi non fas ſit, & tibi liceat
Diſcrimine haud vllo, viro cum hoc colloqui,
Cauſſa hæc ſubeſt, tu claſſe petíjſti Ilium,
Nullo obligatus iureiurando, neque
Neceſſitate coactus vlla, prima nec
Cùm claſſis Ionia ſecaret æquora.
Horum ego nihil negare poſſum, & adeſſe me,
Compos ſagittarum ſtatim vbi perſentiet,
Perij, atque perdam te ſimul mecum. proin
Hoc cogitandum eſt, pectore hoc verſandum, vti
Inuicta ſubtrahas dolo arma. equidem ſcio
Haud te ſatum tali indole, vt dicere aliter,
Quàm res ſe habet, ſtruereq́; verſutos queas,
Neoptoleme, dolos: potiri at erit tibi
Victoria dulciſſimum: aude, poſtea
Tempus diem aduoluet, probi rurſum atque cùm
Iuſti eſſe poterimus: te ad exigui mihi
Nunc præbeas momenta temporis, genis
Cedat pudor, verſa dolos, ac poſtea
Veteres reſume, & inſitos mores, probos
Inter voceris omnium probiſſimus.

Hæc eſt illa animi generoſitas, cuius imaginem Homerus in Achille depingit, cum alibi, tũ ἰλ. ι.

„ N. *Quæ facta, Vlyſſe, audire animus horret, eadem*
Patrare morte acerbius duco: nihil
Fraude facere didici nec ego, neque, quo ſatus
Sum patre, Achilles. vi virum abducam, à dolis
Abhorreo: ille fultus vnico pede
Multos adeò vi ſubiuget? ſocius tibi
Adiunctus, haud velim æſtimari proditor.
Malo equidem honeſtè agendo ſpe excidere mea,
Quàm turpia patrans compos optati effici.
VL. *Sate generoſo patre puer, etiam ipſe ego*
Flore iuuenili cùm vigerem, inutilis,
Atque otioſa palato adhærebat mihi
„ *Lingua, manum habebam ſtrennuam: experientia*
„ *Nunc doctior, lingua inuenio propè omnia*
„ *Pauca adminiſtrari manu.*
NEO. *Sed quid aliud*
Nunc, atque mentiri iubes?
VLYS. *Iubeo dolo*
Circumuenire te Philocteten.
NEO. *Dolo?*
Cur potius hoc, quàm ſuaſionibus probis?
VL. *Non obſequetur, nec capere vi vnquam queas.*
NE. *Audacia tanta, atque viribus viget?*
VL. *Vitanda nulli vibrat, & lethalia*
Manu feroci ſpicula.
NEO. *At verò ita hominem*
Ne accedere quidem ſat ſit abſq; periculo.
VL. *Non, arte niſi hominem atque decipias dolis.*

N. *Non*

NE. *Non turpe tu igitur falſa ducis proloqui?*
VL. *Minimè, ſalutem quando fert mendacium.* ”
NE. *Qua fronte quis mendacium audeat loqui?*
VL. *Spes lucri vbi affulget, ſuperuacuus pudor.*
NE. *Troiana vt ille mœnia petat, quid mea?*
VL. *Solæ huius obruent ſagittæ Pergama.*
NE. *An non mea excindetur Ilium manu?*
VL. *Neque tu ſine illis quippiam efficies, neque*
Sine te illæ.
NE. *Rapiendæ itaque, ſi ſic res habet.*
VL. *Si feceris, gemina auferes hinc præmia.*
NE. *Quænam cedo? ſi ſciero, nil renuam exequi.*
VL. *Sapientis, atque fortis inclyta nomina.*
NE. *Faciam vt mones, faceſſat hinc procul pudor.*
VL. *Animo ne mea adhuc conſilia inhærent tuo?*
NE. *Confide, fixa hærent, vt aſſenſi ſemel.*
VL. *Hîc itaque tu illum iam opperire, ego necubi*
Conſpiciar, abeo, atque ſpeculatorem ad mare
Rurſum remittam, ſi morari diutius
Te ſentiam, remittam eundem, nauitæ,
Ne poſcit agnoſci vſpiam, habitu amictum, & hũc
Sermonis vtentem inuolucris, quod potes,
Fac diligenter audias, ſi forte quid
Dicat, tuis quod congruat negotijs.
Ego referam ad nauem gradum, reliquum quod eſt
Omne fidei tuæ relinquens: hos dolos
Doli magiſter Mercurius vt dirigat
Felix precor, victrixq́ue, cui cuſtodia

Curæ

Curæ vrbis eſt, Minerua, quæ me detero
Semper tuetur alma fautrix numine.

CHORVS.

Anapæſtici.

QVidnam, quid peregrinus
Peregrina in humo inceptem?
Quid taceam, aut quid
Suſpicioſum apud hominem
Eloquar? age nunc explica.
» *Arti ars præſtat. queis Deus*
» *Sublimi dedit aurea*
» *Geſtare manu ſceptra,*
» *Alios etiam hi ſuperant*
» *Diuina prudentia.*
Quare tu atauis, fili,
Regibus edite, nunc mihi
Quam rem aggrediar, expedi.
NE. *Nunc extremos, quà patet, antrum*
Atque vbi cubat hic, ſi fert animus,
Inſpectare receſſus
Ne metue: inſpice verùm vbi
Terribilis repetet domum
Infenſusq; viator,
Tum triſti greſſus domo
Huc referas, imperio
Parêre memor noſtro, vt
Quod nunc inſtat, agamus.
CH. *Rem mandas, Rex, animo*

Iam-

Iampridem inſixam meo.
Oculos, ſi vnquam, nunc vt
Obſeruem in primis tuos,
Res tempusq́ue expoſtulant.
Nunc age dicito quonam,
Quo latet abditus antro?
Quæ ſpecus illum detinet?
Id ſcire operæ-pretium
Eſt mihi, ne me ignarum
Fortè, incautumq́ue opprimat.
Quis locus? aut quæ ſedes,
Quæ tenet illum ſemita?
Sub tecto, an ſub die recubat?
NE. *Ecce, domum'ne vides vbi*
Geminæ conſurgunt fores,
E duroq́ue cubile
Stat fabricatum ſaxo?
CH. *Quo miſer abijt gentium?*
NE. *Quam cernis propè,*
Hanc, coquirendi cibi
Cauſſa, per vi am oberrat:
Iſtoc vitam illum modo
Tranſigere aiunt aſperam:
Terribileſq́ue ſagittis
Perſequitur feras,
Nec triſte malum vllis valet
Tollere medicaminibus.
CH. *Hei me illius miſeret,*

Quod

Quod nemo, qui medica
Subleuet arte malum, adſit,
Qui ſocium cum illo cibum
Capiat, nullus eſt.
Atroci ſolus miſer
Carpitur, & fœdo vſque
Morbo, illum hei rerum omnium,
Quas vitæ exigit vſus,
Torquet egeſtas.
Qui miſer ingentes poteſt
Ferre dolores?
O artes, ô ingenioſa
Conſilia, ô genus
Infelix mortalium,
Quos premit indigno fera
Sidere Lacheſis,
Hic maiorum nulli
Stemmate, imaginibusq;
Fortè inferior, vitæ,
Quæ vſus poſtulat, expers,
Omnium egenus, ſolis in locis
Solus cum pictis iacet
Hirſutisq; feris, crudeli
Cruciatu atq; fame conficitur,
Dirasq; animo voluit curas.
Neſciaque loquacem comprimere
Garrula vocem luctus Echo
Ingeminat graueis.

NE. *Non hæc mihi miranda videntur.*
Ira hæc cælo delapſa venit,
Et, niſi fallor, dum crudelem
Coleret Chryſen, ſæuis primùm
Percitus ingemuit malis.
Nec, quod nunc vlla ſine
Hominum cura atroci affligitur
Morbo, hoc Diuûm contingit ſine
Numine. ne celſa prius fortè
Mœnia contra Troiæ indomitas
Dirigat ille ſagittas, quàm ſit
Elapſum fatis præfixum
Tempus, quo fertur ſubuerti
Debere ſagittis Pœantÿs
Altas Phrygiæ turreis vrbis.
CHO. *Comprime vocem.*
NEO. *Quid id eſt?*
CHO. *Lugubris aureis pulſat ſonitus.*
NEO. *Vnde? hinc'ne an verò illinc?*
C. *Haud dubitata hominis vox grauiter*
Tollentis gradum
Perculit aureis.
Nec fallit licet audita procul
Vox triſtis clarè ſonans.
Sed nunc ſumito fili.
NEOPTOLEMVS. *Quidnam?*
CHORVS. *Alias curas.*
Non procul hinc abeſt,

Haud

Haud recinens ille agreſtis velut
Paſtor ſuaui carmen arundine,
Sed vbi fortè reponit durius,
Impingit'ue pedem, terribili
Aſtra fatigat queſtu, aut quòd vada
Portus iniqui tetigiſſe ratem
Cernit, ſuſtollit grauem ad
Aethera vocem.

PHILOCTETES.
Iambici Trimetri.

QVæ importuoſam, & inhabitatã, ô hoſpites,
Vos vexit in terram ratis? qua patria
Adeſſe peregrinos, quibus dicam ſatos
Parentibus? habitus, atque forma veſtium
Gentem Pelaſgam, terra quas nutrit, omnium
Cariſſimam mihi arguit, vocem expeto
Audire, nec vos trepidus attonitos pauor
Infeſtet efferato adeo vultu, & habitu
Cùm cernitis hominem, miſereat vos mei,
Qui ſolus, & ope deſtitutus omnium
Hic viuo amicorum. loquamini obſecro,
Si amici adeſtis, mutuasq́; reddite
Voces, nec officium hoc negare vos mihi,
Aut me quidem vobis honeſtum eſt, hoſpites.
N. *Primum hoc habe, id enim ſcire vis, Graij ſumus.*
PH. *Suauiſſima ô vox, heu vt aures perculit*
Sermo meas poſt longa dulcis tempora?
Quis te huc cedo appulit, ede, quæ neceſſitas
Te ad-

Te adduxit, aut quis impetus? quibus venis
Allapſus auris lenibus? dic quidquid eſt,
Rerum vt tuarum ſit nihil quod neſciam.
NE. *Pulſata ſalſo Scyros vndique æquore*
Genuit, domum rate peto, Achille feror ſatus,
Neoptolemus. en quæ cupis, ſcis omnia.
PH. *Cariſſimi ô nate patris, ô cara edite*
Tellure, ſenis alumne Lycomedis, age dic
Quæ claſsis huc te aduexit, vnde nauigas?
NE. *Ex Ilio nunc has in oras appuli.*
PH. *Ex Ilio? non tu tamen nobiſcum eras,*
Cùm prima peteret Dardanas claſſis domos.
NE. *Tu'ne illius etiam es laboris particeps?*
PH. *Quid? nónne tu me noſti?*
NEO. *Ego? qui? quem quidem*
Videre nunquam contigit.
PH. *Nomen meum*
Nunquam, aut malorum aureis tuas fando attigit
Rumor meorum perditus quibus, agitor?
NE. *Nihil equidem horum, quæ recenſes, audij.*
PH. *O calamitoſum me, ô peroſum Dijs, neque*
Famæ quidem leuis aura perlapſa eſt domum
De me, nec ad Graium penetrauit ſolum.
Sed qui huc fugarunt per nefas & impiè,
Me, illi quidem rident taciti, at heu indies
Magis magiſq́, quo pereo, vires capit,
Atque exacerbatur malum, ô fili, ô patre
Sate Achille, ego ille ſum ſagittarum Herculis

 Domi-

Dominum eſſe quem fortè audíjſti, ſum ille ego
Pœante prognatus Philoctetes patre,
Quem gemini Atridæ exercitus Graíj duces
Ithacæq́ Rex nudatum ope omni turpiter,
Solumq́ ſola per loca eiecêre, adhæc
Languentem atroce morbo, & infeſto aſpidis
Ictum veneno, id temporis, quo ex inſula
Chryſa ſoluta naue in hoc nos turgida
Tulêre littus vela: tum doloribus,
Multoq́ iactatum ſalo, poſtquam ſpecu
Prope littus vmbroſo cubantem me ſopor
Inuaſerat, læti ſtatim ſoluunt ratem:
Abiêre, me ſolo relicto, quæq́ vel
Hominum miſerrimo omnium, pauca laceri
Fragmenta panni, quoq́ ventrem ipſi fame
Placent furentem, aliquid cibi adhibuêre. ſed
Somno vt fui excitatus, quid putas rogo
Animi mihi fuiſſe? quam multis genas
Lacrymis rigaſſe? quæ intimo ſuſpiria
Traxiſſe corde? propriam ſoluiſſe cùm
Claſſem viderem, & me ſine ſecantem æquora:
Sed nec hominis veſtigium vllius, vnde opem,
Sæui vnde mali aliquod remedium quærerem.
Huc itaque & illuc lumina obuerſans, nihil
Vidi reiectum quàm dolorem atq́ gemitus,
Reiq́ nullius æquè magnam copiam.
Ex tempore elapſum interim mihi tempus eſt,
Tenuiq́ contectum caſa me oportuit;

Quæ

Quæ ventrem inedia turgidum compeſcerent,
Mihi ſubminiſtrare. atque huic quidem vſui
Hic ſeruit arcus, præpetes liquido æthere
Feriens columbas, quodq́; tenſo ſpicula
Emiſſa neruo fixerant, ipſe hoc miſer
Reptanſq́; ſaucium trahens ægrè pedem
Quærebam, idemq́; ſi petere potum ſitis
Cogebat, aut ſi quando ſiluoſis crebræ,
Bruma rigente, vt fit, cadebant rupibus
Aquæ, atq; cædendum hîc foco lignum foret,
Rependo vix hæc moliebar. igne dein
Opus erat, hic ſilici atterens ſilicem, intimis
Vix lumen excudi abditum venis latens.
Hoc vnicum eſt vitæ mihi quo ſtetit, & adhuc
Me ſeruat ignis, lucidum præbens focum
Tugurio in humili, omniaq́; cùm mihi ſuggerat,
Sæuæ tamen non fert opem ægritudini.
Et inſula hæc quæ ſit precium-operæ erit tibi
Cognoſcere: hæc ad littora ratem nauita
Nullus libenter applicat: nec commodus
Portus, lucrum nec mercium, nec hoſpita,
Qua poſsit exterus excipi, ſupereſt domus.
Quid multa? cultu omni inſula vacat: qui ſapit,
Huc nemo nauim dirigit. ſpirantibus
Si quiſpiam inuitus Notis huc applicat,
Longinquitate vt temporis ſæpe accidit,
Hic me ſalutat, atq; verbis, quod poteſt,
Miſeram ſtudet mollire ſortem, aliquid cibi,

 Veſtem-

Veſtem'ue, miſeritus mei, donat: ſed id
Quod maximè deſidero, ad patrios lares
Reducere obnixè id petentem nemo vult.
Conficior itaq; hîc, calamitoſeq́; decimum
Iam annum fame, morboq; fractus peſtilens
Voraxq́; nutrio malum. Atridæ, ac doli
Opifex Vlyſſes, hæc mihi peperêre, quos
Dij obſecro iiſdem puniant nocuos malis.
CH. *Et ego alij quod aduenæ, vt dicis, ſolent,*
Pæantia ô proles, tuam doleo vicem.
NE. *At ego, quæ ais, vera eſſe teſtis ſum tibi,*
Quantaq́; ſit improbitas Atridarum, ac ducis
Ithaci ipſe id, experientia edoctus, ſcio.
PH. *Paſſus ne quid etiam tu ab Atridis mali,*
Exaſperatò vt ſis in illos pectore?
N. *O mihi, vtinam, quæ mente verſo, manu exequi,*
Liceat, Micenæ & Sparta mox cognoſcerent,
Scyron virorum etiam eſſe alumnam fortium.
P. *Bene tu quidem, at quæ tanta in illos te ira agit,*
Vt criminandos hîc eos exiſtimes?
NE. *Dicam ô genite Pæante, ſed rei eloqui*
Indignitatem difficile queam, & quibus,
Quantisq́; me illi affecerint iniurijs:
Nam vt mors Achillem ad inferos egit ſpecus.
PH. *Subſiſte, plura ne loquare: ſcire enim*
Ante omnia cupio, ſatus'ne Peleo
Achilles obierit.
NE. *Obijt. at à nemine*

Morta-

Mortalium extinctus, Dei iacet manu,
Phœbea eum aiunt occidiſſe cuſpide.
PH. *Vterq; fortis, cædis auctor, & ſimul*
Etiam ille qui occubuit. at anceps hæreo,
Tuum'ne, fili, ſciſciter prius malum,
An illius properata plorem funera.
NE. *Sat propriam ſi defleas ſortem puto,*
Nec eſſe amicorum tibi opus angi malis.
PH. *Recte: proin tu de-integro rurſus refer,*
Quibus te Atridæ affecerint iniurijs.
NE. *Omni apparatu claſſe Vlyſſes, & patris*
Nutritius Phœnix mei inſtructa, domos
Petiêre noſtras, nuntiantes, vera'ne,
An falſa neſcio, Ilium extincto patre
Achille, non niſi mea capi manu
Fas eſſe, & hæc vbi retuliſſent, vix breuem
Paſſi moram, felice ſoluimus alite.
Egoq; defuncti oſſa conſpicere patris
Deſiderans, vitæ trahentem ſpiritus
Quem conſpicatus nunquam eram, dein gloria
Stimulante pectus, dextera exciſum mea
Iri Ilion, eò ſi proficiſcerer, abij
Libentius. fulgebat alter æthere
Medio dies, Sigea cum appuli Notis
Vſus ſecundis littora: egreſſus, illico
Circum Pelaſgis fundor vndiq; copijs:
Idem ardor, ac ſtudium eſt ſalutandi omnibus,
Iurant Achillem in me rediuiuum cernere,

Hei ille triſti funere abſumptus iacet.
Illius at ego cùm exigua ad tumulum mora
Cadente libaſſem imbre triſtibus genis,
Acceſſi Atridas, vt ego quidem putaueram,
Meos amicos, armaq́; & alia, ſi quæ erant
Parentis, vt fit, poſco: at illi, hei! talia
Reſponſa triſtibus dedêre mihi ſonis,
Paterna quæ fuêre cetera omnia,
Achille nate, ſumito: patris tui
Laërte genitus arma poſſidet: tum ego
Lacrymis ſubortis, ac graui ira percitus,
Qua fronte, quæ mea ſunt, ſceleſti inquam, alteri,
Et me inſcio, dediſtis arma? Vlyſſes hîc,
(Aderat enim) data iudicum ſuffragijs
Ea ſunt mihi: meo illa beneficio habuit,
Meoq́; vixit: hîc graui ira còncitus,
Sæuisq́; eum lacerans probris, infeſta ſum
Ei imprecatus omnia, arma ſi mea
Mihi violenter eriperet: illi licet
Non ſurgeret corde ira, commotus tamen
Nonnihil ijs, quæ audiuerat, ſic rettulit,
Nunquam vlla tu pericula ſubiſti, atq; res
Cùm poſceret, procul aberas, nec nunc pudet
Talia feroci ore proloqui? nunquam arma tu
Tecum illa Scyron auferes: hæc audiens,
Et contumeliis laceſſitus feris,
Redeo domum, improborum Vlyſſe ab omnium
Fruſtratus improbiſſimo. neq; tamen huic,

Sic Ouidi. inducit loquentē Vlyſſem lib. XIII. Metamorph. Arma peto, viuo dederã, poſt fata reposco.

Princi-

Principibus omnia, quos penes rerum fuit »
Summa, imputo: nam vrbs à magiſtratu, à Duce, »
Exercitus dependet: exemplo Ducum
Peccant frequenter milites. recenſui
Iam rem tibi omnem: is ſit, qui Atridas oderit,
Mihi, Dijsq́; amicus immortalibus.

Facere rectè ciues ſuos princeps optimè faciendo docet, cũque ſit imperio maximus, exemplo maior eſt. Vell. Paterc.

CHO. *Montoſa, frugeq́; fertilis*
Terra omnigena, & ipſius
Mater Iouis, ſinu quæ
Pactolon auriferum tuo vehis,
Tua tum ego quoq; numina
Mater fatigaui, cùm
Magna huius Atridæ
Iniuria arma Vlyſſi,
Alma ô gubernatrix
Tauros domantium leonum,
Tribuêre, ſummum præmium ac decus.

PH. *Doloris haud obſcuræ, amici, ad littora hæc*
Vos perpulêre cauſſæ, Atridisq́;, & Ithaco
Duci hæc quòd imputanda creditis, in eo
Opinioni acceditis meæ: ſcio
Fraudes, & infidos eum lingua dolos
Vbiq; moliri, atq; ſtruere, nec pium,
Nec iuſtum ab illo quippiam ſperandum erit:
Fecit ſuo more, nihil id mirum eſt mihi:
Maior ſed Aiax quomodo æquis cernere hæc
Suſtinuerit oculis, magis mirum eſt mihi.

NEO. *Iam rapuerat eum mors. nec illi vita ſi*

Duraſſet, vnquam armis forem orbatus meis.
PH. *Quid ais? etiam obijt ille mortem?*
NEO. *Haud amplius*
Supero ille fruitur æthere, id pro certo habe.
PH. *Miſero hei mihi. non Tydeo ſatus, neque*
A Siſypho venum datus Vlyſſes iacet:
Agunt ſuperſtites, mori quos par erat.
NE. *Non mortuos exiſtima illos, maximi,*
Primiq; Graiorum vigent exercitu.
PH. *Sed quid fidelis, atque amicitiæ mihi*
Iure veteris iunctus ſenex Neſtor valet?
Artes vafras horum ille ſæpe redarguit,
Et fida rebus conſilia lapſis dedit.
NE. *Ille Antilochi obitu aſperam vitam exigit.*
PH. *Eheu duo ſimul recenſes hîc mala:*
Periêre quos perijſſe minimè volueram.
Eheu quid obſecro reliquum eſt adhuc ſuper,
Mors ſi viros abſumpſerit tam ſtrennuos?
Viuatq; Vlyſſes, qui vice illorum inferas
Debebat vmbras, & loca colere Stygia?
» NE. *Sapienter ille prælia init: at ſæpe fit*
» *Conſilia vt habeant optima exitum malum.*
PH. *At per Deos dic vbi Patroclus tunc erat,*
Patri vſque qui cariſſimus tuo fuit?
NEO. *Mortuus & ille erat, vtque paucis plurima*
» *Complectar, improbus, niſi caſu, perit*
» *Nemo, probos tantum abripit belli furor.*
PH. *Sic eſt: ſed vt de homine nihili ſciſciter,*

Magnis enim pecunijs redemiſſe dicitur Laërtes nuptias Anticleæ, quę à Siſypho jam grauida Vlyſſem poſtea peperit.

Acruſq́; linguæ, & callido, ille quid valet?
NEO. *Vlyſſem ais? an quempiam innuis alium?*
PH. *Non hunc volo: ſed concione ſæpe qui*
Idem ingerebat, rurſum & illud idem iterans,
Cùm nemo poſſet ferre vel dictum ſemel.
Viuit'ne? Therſiten, opinor, nuncupant.
NEO. *Haud contigit mihi eum videre: ſed tamen*
Supereſſe adhuc, & viuere illum rumor eſt.
PH. *Sic ſic decebat, ne quid intereat mali,*
Curæ id Dijs videtur eſſe, atq; ſtudio,
Vt ſceleribus contaminatos turpibus,
Vt fraude qui fas, atq; commiſcent nefas,
Illos ſpecus ſubire Tartareos vetent:
Queis fas, & animo iuſtitia ſedet, ſtatim Sic homines iudicāt, quando bonos affligi, & improbis ex ſententia vidēt omnia cedere.
Mergant acerbo funere. at quid de his, cedo,
Eſſe ſtatuendum exiſtimas? quonam Deûm
Laudemus ore facta, multa perperam
Si ſtatuere, malos ſi eſſe deprehendimus?
NE. *Ego quidem, Pœante genite, id dabo operam,*
Poſthac ab Ilio, atq; Atridis vt procul
Degam: nã vbi maior mali hominis, quã boni eſt „
Auctoritas, virtutis vbi premitur decus, „
Rerum vbi potitur improbus, hominum hoc ego „
Non ferre poſſem vnquam genus, poſthac mihi „
Placebit horrens cautibus Scyros, domi
Ego memet oblectabo. nunc ad nauim eo
Rectà. Philoctete interim vt valeas precor,
Ac optimè vt valèas: Dij, ipſe vti poſtulas

His te benigni liberent cruciatibus.
Nobis iter ineundum, vt, vbi ventos Deus
Conceſſerit, ſoluamus è portu ratem.
PHI. *Síccine abitum moliris?*
NEO. *Opportunius*
Rates prope ipſas, quàm remotus ab his procul
Ad nauigandum auras morabor idoneas.
PH. *Nũc per patrem te ego, atq; per matrẽ obſecro,*
Per ſi quid eſt animo domi carum tuo,
Supplex precor, ne me his relinquas in malis
Solum, quibus me confici miſerum vides,
Quibusq́; confici audyſti: quolibet
Vel ſordidiſsimo repone me loco,
Graue atq; naui onus moleſtum ero tuæ,
Scio id quidem: ſed, oro, paulùm ſuſtine.
›› *Generoſa ſic ſunt ingenia, turpia odio*
›› *Habent, honeſta glorioſa exiſtimant:*
Si deſeris me, fœda nomini hinc tuo
Aſperſa dedecus tibi labes feret:
Si iuueris, beneficio viuus tuo
Oetæa vbi tetigero regna, gloriam
Magnam aſſequêre. age quæſo vix ego vnius
Tibi ſarcina fuero diei: aude precor,
Quo me voles cunq; abÿce, nihil intereſt,
In proram, an in puppim, placet, quod ſi lubet,
Sentina me excipiat, vbiq; ſim tuis
Minimè moleſtus: precibus annuas meis,
Per ſupplicum te præſidem obteſtor Iouem,

Aduoluor en nate, genibus tuis, miſer
Licet, imbecillis atq; claudus ſim: rogo,
Ne deſeras miſerum, ne, vbi hominum nulla ſunt
Veſtigia vſquam, me relinquas: in tuam
Me patriam, Euboïci'ue quà patent ſinus,
Saluum vehe, vnde haud longa ad Octã mi, ac iugũ
Trachinium, quà'q; rapidis fluit vadis
E pelio ortus Sperchius, via erit ſuper.
Sic me mihi, caroq; reſtitues patri,
Quem eheu metuo, metuiq; iamdudum mihi,
Ne mors rapuerit: namq; ſtudioſè omnibus,
Ad iſta qui applicuêre naues littora,
Mandaui, eum verbis meis vt ſupplices
Orent, domum qua peruehar, mittat ratem:
Verùm vel ille periÿt, aut negotium
Quibus hoc dedi, me deſpicatui, ac meam
Habuêre ſortem, & patrias rectà domos
Abnauigarunt. nunc itaq; ego ad te ducem
Simulq; nuntium venio, ſeruato me,
Miſerere tu tandem mei, atq; cogita ”
Quantis periclis ſubiacent, quàm fragilia ”
Mortalium ſint omnia, ac vbiq; quæ ”
Rerum viciſſitudines: nunc proſpera ”
Læti fruuntur ſorte, nunc triſti altera ”
Iactantur. extra damna qui pedes habet, ”
Quæ ingruere poſſunt, proſpicere debet mala, ”
Et quando res florent ſecundæ, maximè ”
Tum præcauere, ne quid aduerſi incidat. ”

CHO.

CHORVS.

Miſerere, Rex, grauiſſimorum
Recenſuit laborum
Quamplurima ille
Certamina, quæ amicis
Meis, precor, ne eueniant:
Sæuos ſed odio tanto
Si perſequeris Atridas,
Illorum ego aduerſum te
Iniuriam, emolumentum
Haud huic leue eſſe credo.
Huic ſubueni, illos vt malè vras,
Quod vnicè in votis habet,
Sinuoſa vectum celeri
Per freta carina
Optata natalis ſoli
Ad rura ducerem,
Quæ Dijs venit iratis,
Effugiens vindictam.
NE. *Tu nunc vide, ne faciliorem, quam ſat eſt,*
Te præbeas, poſt tædio affectus grauis
Morbi, hiſce dictis animus haud reſpondeat.
C. *Minimè: haud mihi unquã iure id exprobraueris*
N. *Turpe, ac pudendum hoc eſſe mihi puto, hoſpitem*
Erga, benignitate me abs te vincier,
Aut miſericordia. proin, ſi ſic lubet,
Abnauigemus, ille ſe huc iam conferat,
Nauis receptum illum vehat, nec reſpuat

Onus

Onus moleſtum. hoc vnicum Deos precor,
Tellure vt incolumes liceat hac egredi,
Eòq́ peruenire, nauigatio
Quò eſt inſtituta.
PH. *Splendidiſsimum ô iubar*
Læti diei! ô optimum omnium virum,
Cariq́ nautæ, quam rependam gratiam,
Quæ beneuolentiæ huic ego merita referam
Officia? eamus, pauperis lares domus
Veneremur, vt vitam quibus tolerauerim
Semper miſerijs, conſpicere coràm queas.
Patientiam miraberis, ſcio, meam.
Nemo vel aſpectum tuliſſet, puto, oculis
Me præter: ardua docuit hæc neceſsitas ››
Tolerare, & in partem accipere, amici, bonam. ››
CHO. *Subſiſte iam hic pauliſper. en viri duo,*
Nauis comes tuæ, & exterus mouet alius
Celerem huc gradum: quid nuntient illi noui,
Vbi didicerimus, tecta ſubeamus tua.
MER. *Proles Achillis, hunc comitem tuum, ac tuæ*
Cum alijs duobus qui ratis cuſtodiæ
Præpoſitus erat, vbi fores, vt diceret,
Interrogaui, & præter omnem nunc meam
Opinionem in te incidi, caſuq́ iam
Noſtras eandem ad inſulam ventus leuis
Egit carinas, ego quidem haud magna rate
Ex Ilio domum profectus, vitibus
Vbi obſita Peparethus oſtentat iuga,

Poſt-

Poſtquam tuos hic eſſe nautas audiȷ̈,
Tacitè recedere nolui, ne te tua
Quod intereſt lateret. Argiui'ne ſcis
Quæ habuêre de te comitia? non nuda ſunt
Conſilia, facta mox ſequentur.
NEO. *Quod mones,*
Niſi improbus ſim, digna apud me repoſita
Tibi manebit gratia, hoſpes, expedi
Quod ſcire cupio, quid noui à Graiȷ̈s feras,
Quæ conſilia meditentur.
MERCATOR. *Abiêre, atq; te*
Senexq; Phœnix, liberiq; Theſei,
Per alta claſſe perſequuntur æquora.
NEO. *Verbis'ne reditum ſuadeant vt lenibus,*
Violenta an vt manu reducant, explica.
ME. *Haud ſcio equidem: quæ cognita mihi, nuntio.*
NE. *Phœnix'ne, naualeſq; ſociȷ̈ ab improbis*
Stimulati Atridis hæc ſtruunt?
MERC. *Nunc hoc agunt,*
Id certum habeto, nulla tardat eos mora.
NE. *Sed cur Vlyſſes expeditioni huic*
Non ſe addidit ſocium, metus'ne prohibuit?
ME. *Ille, pariterq; Tydeo ſatus aliò*
Tum deſtinabantur, cùm ego conſcenderem.
NE. *Quò nauigationem Vlyſſes dirigit?*
ME. *Ad quempiam. aſt ante omnia hic quis ſit mihi*
Nunc te obſecro, ſubmiſſo at expedi ſono.
NE. *Hîc, hoſpes, inclytum Philoctetem vides.*

M. *Ne plura nunc: quàm ocyſsimè hinc abnauiga,*
Tellure tu ex hac, quod potes, te proripe.
PH. *Quid loquitur? obſcuris quid inſidias ſtruit,*
Et fallere doloſis ſtudet ſermonibus?
NE. *Hauddum ſatis percipere potui, quid velit:*
Faciam tibi, mihiq́;, & his apertius
Cunctá explicet.
MER. *Quæſo ah te Achille ſate patre,*
Danaûm me apud ne criminere copias,
Celanda quòd hæc proferam: in me multa ſunt
Exercitus beneficia: referre ea, viri
Quantum facultas pauperis fert, ſedulò
Connitor.
NE. *Hoſtis ego ſum Atridis, ac mihi hic*
Amicus eſt, quòd ſummo Atridas odio habet.
Poſtquam itaq; tu huc veniſti, age, nihil occule,
Si quid ſcias, quod rebus expediat meis.
MER. *Conſidera, quid imperes.*
NE. *Iamdudum ego id*
Conſideraui.
MER. *Culpa tota erit tua.*
NEO. *Sit: tu refer.*
ME. *Diomeden aio aduerſus hunc*
Vna cum Vlyſſe, iureiurando dato,
Connauigare, mollibus ſi flectere
Verbis queant, vti faciant, operam dabunt:
At ſi minus, ſecum auferent violentia:
Idq́; vniuerſæ Graiûm Vlyſſem copiæ

Palàm

Palàm minantem exaudière : animoſior
Ad facinus hoc, quàm Tydeo natus, fuit.
NE. *Cur poſt peracta tanta Atridæ tempora*
Curam Philoctetæ gerunt, quem turpiter
Olim fugarunt, vnde cupiditas eos
Inceſsit iſta? fallor, an'ne numine
» *Fit hoc Deorum? Nemeſis ne auctor? impiè*
» *Qui facta vendicare ad extremum ſolent?*
ME. *Ego, fortè enim necdum audiiſti, quidquid eſt,*
Tibi iam explicabo, ſanguine illuſtri ſatus
Vates erat, Priamiq; filius, Helenum
Omnes vocabant, nocte ſolus clàm omnibus
Egreſſus is qui vbiq; peſsimè audit, ac
Conuiciis inceſsitur, verſutiis ſcatens,
Dolisq; Vlyſſes hunc capit, vinctumq; agens,
Opimam Achiuis protulit prædam. ille tum
Permulta fatidico ore proloquutus eſt,
Ac inter alia, Pergama haud vnquam capi
Poſſe, niſi perſuaſum inſula, nunc vbi habitat,
Hunc ducerent : mox dicta Vlyſſes vatis vt
Accepit, eſt pollicitus adducturum eum
In caſtra Graii exercitus : ſpeſq; quidem erat,
Vt non coactum adduceret, ſed addidit,
Si ſponte nolit, vim ſe adhibiturum, ac caput
Enſe amputari pactus eſt ſibi, niſi
Promiſsa præſtet. iſta ſunt, quæ ſcire te
Interfuit tua. proin tu vti properè
Atq; iſte, ſiq; curæ alius eſt quiſpiam,

Hinc

Hinc moliamini citam, moneo, fugam.
PH. *Eheu, ſcelus'ne iureiurando auſus eſt*
Promittere Argiuo iſta ſic de me agmini?
Sic facile perſuadebit, vt mortuus quoq;
Ex inferorum atris reuertar ſedibus,
Claras in auras luminis, veluti patrem
Feciſſe Vlyſſis fama prodit Siſyphum.
MER. *Quid hoc ſit ignoro: ad ratem me confero:*
Vobis quod optimum eſt, benignus det Deus.
PH. *Quænam hæc Vlyſſis arrogantia, vt putet*
Sermonibus me aureis daturum mollibus,
Et caſtra repetiturum eo Graia ſocio?
Haud fiet vnquam, quæ pedi virus meo
Infudit, inuiſiſſima, ac fera vipera
Perſuaſerit, quàm Vlyſſes, hoc mihi citius.
Effræni àt ille quæſo quo non proruit
Audacia? indictum quid, intactum dolis
Quidnam relinquit? atq; nunc ſcio alicubi
Fraudes ſedens meditatur. abeamus itaq;
Longo mare interuallo vt ab Vlyſſe ſegreget
Noſtram carinam. abeamus opportuna quæ eſt, "
Captanda, fili, celeritas: ſuauior "
Redibit exhauſtis laboribus quies. "
NEO. *A puppe vbi ſpirauerit ventus, ratem*
Soluemus, aduerſa metuo Auſtri flamina.
PH. *Mala fugienti ſemper eſſe commodi* "
Quicunque flant, venti ſolent. "
NEO. *Nil metue: nam*

Illis ijdem ſtant Noti contrarij.

„ PH. *Contrarij nunquam Noti prædonibus,*

„ *Si quando prædæ affulſit aliqua ſpes bonæ.*

NEO. *Si ſic lubet, propcremus intus quæ voles,*

Quibusq́; opus tibi fore credis, ſumito.

PH. *Sunt paucula ex paucis, quibus opus eſt.*

NEO. *Quid eſt,*

Quod noſtra ſuppeditare non queat ratis?

PH. *Eſt frondium quoddam genus, quo maximè*

Sedo, atque mitigo dolores vlceris.

NEO. *Id effer. eſt'ne aliud quod aſportare vis?*

PH. *Ex hiſce ſi quæ mî ſagittis excidunt,*

Seruentur: illas, quæſo, ne quis auferat.

NEO. *Hui, Philoctete, arcum habes tam nobilem?*

PH. *Hunc habeo, nec alium manu gero mea.*

NEO. *Propius'ne conſpicere atque contingere licet,*

Vt cælitusq́; exoſculari miſſum opus?

PH. *Fili, hoc & alia ſi quæ habeo, commoda tibi*

Quæ eſſe poterunt, & vſui, attingere licet.

„ N. *Gratū hoc mihi eſt: ſed ſic tamē gratū eſt mihi, ut*

„ *Si fas ſit, optem, ſin minus, mihi temperem.*

PH. *Piè loquere, fas eſt: quod illuſtre hoc iubar*

Iam ſolis aſpiciam, auctor es ſolus mihi,

Tu patriam das premere humum, arduis vbi

Lucentia Oeta ſidera ferit collibus:

Senio patrem confectum, amicos tu meos

Mihi reddidiſti, victum, & hoſtium feris

Pedibus protritum erigere ſuſtinuiſti, age,

Conſi-

Confide, contrectare fas erit tibi,
Dantiq́; reddere, atque adeptum præmij hoc
Virtute gloriari id, hominum nemini
Quod contigit, tibi contigiſſe, vt dextera hos
Contingeres arcus tua: ac beneficio
Quia comparaui etiam ego, non moleſtum erit,
Si tu quoque attrectaueris. beneficio "
Quicunque deuinctus benefacere didicit, "
Gazis amicus ille potior omnibus. "

NEO. *Ingredere.*

PH. *Te introducam ego: adiutorem enim*
Te vis acris morbi furentis poſtulat.

CHORVS.

Anapæſtici.

FAma didici, haud vidi Ixionem.
Hunc Iouis aureis
Inſidiatum thalamis,
Diuorum, hominumq́; arbiter
Proles Saturnia cepit, rotæ
Aſtrictumq́; volubili
Semper in orbem circum agitari
Sanxit: nec præterea quenquam
Sermone'ue, viſu'ue accepi,
Quem ſors verſat acerba ferocius,
Quàm hunc, qui læſit neminem,
Qui ſua nulli ſuſtulit vnquam,
Qui iuſtos apud vſque
Cum iuſtitia vitam exegit,

Ah tam indignis perit ille modis?
Hoc attonitus ſtupeo.
Qui vtrinque verberantibus miſer
Fluctibus illiſus, qui,
Qui lacrymabilem
Tolerauit vitam? ſolus vbi
Auſtris obuerſusq́ furentibus,

Πῆμα κακὸς γείτων inquit Heſiod. ſed ne talem quidem habet.

Pedibus captus, nullum indigenam,
Vicinum habuit nullum, ſi improbum
Saltem habuiſſet, mutuos
Potuiſſet apud quem, atque cruentos
Imo ducere pectore gemitus,
Vel qui profluentem è tetro hulcere,
Morſu aſpidis infeſti cruris,
Putri mixtum ſanie ſanguinem
Folijs leniret medicantibus:
Qui radicem terra effodiat,
Nemo eſt: ipſe huc, illuc repit
Inq́ omneis ſe voluit parteis,
Velut infans, cara vbi abeſt nutrix,
Per molles ſe voluit arenas,
Idq́ vbi diri vis ſopita
Morbi eſt: non alma illi præbet
Semina tellus,
Non victum, quo alij homines
Vtuntur, capit,
Niſi quando leui fortè ſagitta
Pennigeram alto, qua ſæuam famem

Sedet,

Sedet, figat in æthere volucrem.
O infelicem animam!
Per ſpacia annorum decem
Ardua nunquam ſapido proluit
Guttura Baccho:
Sicubi ſtagnantem videt,
Et pluuia collectam aquam,
Huc ſeſe mouet, ac nunc filium
Præſtantis nactus viri,
Felix iure feretur,
Pontigradæ impoſitus rati,
Patriam tandem viuus ad aulam
Ducetur, Meliæ vbi feſtos
Agitant nymphæ, lætoſq́; choros,
Paſcua vbi rigat vitreis
Sperchius vndis,
Scutoq́; Alcides vbi ferreo,
Piniferis Oetæ in iugis,
Diuino lucens rogo,
Superûm Diuus ceſſit in aulam.
N. *Moue gradũ. at quid ſubitò ita taces? cauſſa quæ*
Te torquet, hei cur, vt attonitus, ſtupes?
PHILO. *Eheu, eheu.*
NEO. *Quid eſt?*
PHILOC. *Graue nihil, perge fili.*
NEO. *An ingruit*
Truculenta vis morbi, & dolorem niteris
Cohibere?

PH. *Non commitigari iam malum*
Videtur, ô ſuperi.
NEO. *Quid imploras Deos?*
PH. *Mihi benigno vt propitij adſint numine.*
Hei, hei, hei.
NE. *Quid te excruciat, eloquere, cur tacitus ſiles?*
Morbo videris rurſus agitari fero.
PH. *Perij miſer. non diutius vos hanc queo*
Celare peſtem, penetrat, hei mihi, penetrat,
Perij miſer, conficior, intimas edit
Atrox medullas, hei mihi, hei miſero mihi,
A papapa, papæ, papa, papa, papæ,
Per te Deos obteſtor enſis ſi tibi
Nunc ad manum eſt, ſummum feri pedem, amputa
Quàm ocyſſimè, nec vita curæ ſit mea.
Age fili.
N. *Quæ ſubita te ad tãtum eiulatum, atq; gemitus*
Cauſſa excitauit?
PHI. *Nate ſcis, ah ſcis.*
NEO. *Quid eſt?*
PH. *Scis nate.*
NEO. *Quidnam?*
PH. *Ignoro.*
NEO. *Qui neſcis cedo?*
PHI. *Hei, hei, hei.*
NE. *Eheu quàm atrox morbi huius eſt acceſſio?*
PH. *Atrocior ſermone, quàm queat exprimi, at*
Miſerere tu mei.

N. *Quid*

NEO. *Quid igitur vis tibi*
Faciam?
PHI. *Metu morbi precor ne deſeras:*
Identidem recurrit, errones velut,
Errorum vbi illos ſatietas cepit, ſolent.
N. *Miſero hei tibi, hominum ô te omniũ miſerrimũ!*
Sæuo vt dolore morbus hic te conficit.
Vis ſubleuem, corpusq́ ſuſtentem tuum?
P. *Nequaquã: at arcũ, quẽ antè me vt contingeres*
Multum rogaſti, ſume, donec impetus,
Morbiq́ vis remiſerit, ſerua, atq́ eum
Cuſtodias, profundus inuadit ſopor,
Simulatq́ vis deferbuit mali, neque
Deſæuit antè dolor, quàm vbi ſopor oculos
Clauſit, quieſcere placidè permittito:
Quod ſi interim illi applicuerint, per te Deos
Magnos rogo, ne ſponte, ne inuitus, dolis,
Aut arte ne redigare eò, arcu vt vnquam ij
Potiantur, ipſeq́ te, atque me perdas ſimul.
NE. *Ponas timorem: nemini mortalium,*
Niſi tibi, atq́ mihi relinquam eum: proin
Fauſtum quod & felix ſit, illum porrige.
PH. *En ſume liuoriq́ ſupplica, tibi*
Ne ſint laborioſa, & ærumnas ferant
Hæc tela, qualeis & mihi, atq́, qui ante me
Illa habuit, inclyto attulerunt Herculi.
NE. *O Dij hæc ita eueniant, ſecundiq́ huc ratem*
Venti vehant, Deus, meliorq́ quò

Per ſagittas Herculis, Fortuna heroicorum ſignificatur glorioſa ea eſt, & ad res magnas gerendas efficax, ſed periculoſa & plena ęrumnis.

Fortuna nos vocat.

PHILOC. *Metuo ſine pondere*
Vota tua ne abeant irrita : intimis enim
Ater mihi è viſceribus ebullit cruor.
Sed quid noui hec portendit? hei miſero mihi,
Hei pes quibus me conficis cruciatibus?
Accedit, eheu ingraueſcit nunc malum,
Tenax adhæret, ne fugæ vos dedite,
Hei, hei, papæ, papa.
Vlyſſe tibi vtinam intimis malum hoc atrox
Ferueſcat in præcordijs. hei, rurſus hei,
Gemini ô Duces Agamemnon, & Menelae, vos
Per tanta temporum ſpacia pro me ferum
Hoc ſi nutriſſetis malum? hei miſero mihi.
Mors, mors quid ô moraris? hei mihi toties,
Cotidie hei vocata mors, cur non ades?
Patre generoſo ſate adoleſcens, Lemnio hoc
Mihi ſæpè fruſtra hei inuocato age igne nunc
Artus adure, nec mihi illud tu nega,
Quod præſtiti officiũ olim ego Ioue ſato Herculi,
Ac tela, quæ ſeruanda tradidi tibi,
Præmium habui. quid ais puer? quid contices?
Præſens vbinam abes?

Fornaces aiunt in Lẽno ardentes ex terra exęſtuare, ac officinam ibi Vulcani eſſe Poëtę finxerunt.

NEO. *Doleo ego, ac ob tuas*
Gemo calamitates.

PHILOCT. *Bono es animo puer,*
Violentus eſt cùm accedit, at rurſus citò
Recedit impetus. te id vnicum rogo,

Ne me

Ne me relinquas. ”

NEO. *Ne time, manebimus.*

PHI. *Manes'ne?*

NEO. *Quin certò tibi hoc perſuadeas.*

PH. *Non iureiurando obligabo, nec decet.*

NEO. *Nec fas puto me, te hîc relicto, abcedere.*

PH. *Dextram mihi fidei cedo teſtem tuæ.*

NEO. *En porrigo, manebo.*

PH. *Nunc illuc me & huc.*

NE. *Quid? quorſum ais?*

PH. *Surſum.*

NEO. *Impos es rurſus animi.*
Cur voluis oculos ſurſum?

PH. *Omitte, mitte me.*

NEO. *Quónam? quo?*

PH. *Omitte quæſo.*

NEO. *Non omittam ego.*

PHI. *Si attigeris, enecabis.*

NEO. *Atqui omitto, nunc*
Sapis'ne rectius?

PH. *O humus nunc quæſo me,*
Nũc, quo ſtatu ſum, ſuſcipe placido ſinu.
Vis ſæua morbi erigere me vetat caput.

NEO. *Sopor occupare hominem videtur: en caput*
Ceruice ſummiſſa fatigatum labat,
Totisq́; ſtillans artubus ſudor fluit,
En atra in imo vena rupta pede eÿcit
Cum ſanguine ſaniem putrem. quieſcere

 Sic deſi-

Sic deſinamus, vt citò ſopor eum occupet.

CHORVS.

Anapæſtici.

SOmne dolorum, ac triſtium
Expers ærumnarum,
Præpetibus nunc facilis
Huc allabere pennis,
Rex placidiſſime,
Hanc, qua nunc fruitur, lucem oculis
Detineas diu,
Et medicus ades.
At tu fili, quò te vertas,
Quid conſilij de illo,
Quod reſtat peragendum, capias,
Etiam atq; etiam cogita.
Quid cunctamur longius?
» *Momentum haud exiguum confert*
» *Rebus agendis opportunitas,*
» *Conſilia omnia ſuperat.*

NEOPTOLEMVS.

Hexametri, vt in Græco.

NIl audit, placidus feſſos ſopor irrigat artus,
At fruſtra nos hunc video ſumpſiſſe laborem,
Fruſtra nobilibus telis, prædaq; potitos,
Hunc niſi nobiſcum mare per vehat vncta carina,
Hoc decus hunc manet, huic hanc Dij tribuere coronam.
» *Promiſſam temeraſſe fidem exprobratio fœda eſt.*

CHO-

CHORVS.

Variè mixti.

SEd hæc Dijs futura ſunt curæ.
Tu quæ mihi dicenda putabis,
Compendio atq; voce ſubmiſſa expedi.
Leuis ægrotos, quiq; ex facili ”
Oculos aperit, ſopit ſomnus: ”
Sed ad negotium hoc
Quod ſpectat præcipuè,
Quid facturus ſis, clàm diſpice.
Scis quem velim,
Si in eadem es cum illo ſententia.
Rebus in arduis ſapienti etiam,
Quid conſilij capiat, ſæpe eſt
Difficile, opportunitas
Nunc ſumma, ſomnus illi
Oculos abſtulit,
Ope deſtitutus omni,
Obſcuris in tenebris
Porrectus cubat,
Manuumq; pedumq; ac membrorum
Impos ſuorum,
Vt Stygijs deuotus aquis iacet.
En oculos aperit, aperit, loquitur
Vt optimè capi queat.
Cura hæc me ſollicitat.
Labor metu ſolutus optimus. ”

N. Conſi-

NEOPTOLEMVS.
Iambici Trimetri.

COnſiſte tacitus, nec animum deſpondeas,
Iam torquet aciem luminum, & caput erigit.
PHI. *O alma ſuccedens ſopori lux, vt heu*
Spes hoſpitum cuſtodiæ fallax. neq;
Hoc credere induxiſſem in animum vnquam meũ,
Ita toleranter calamitates tu meas
Ferre potuiſti, ſic mihi aſſiſtere, mihi
Seruire, nunquam hoc pertuliſſent optimi
Duces Atridæ : at ſemine orta nobili,
Generoſitatem ſpirat excelſam tua
Etiam indoles, vt omnia leuia duxeris,
Planctusq́; & halitus fœdi vlceris putres.
Nunc vis quia ſuperata morbi, atque requies
Membris datur, ſuſtolle atq; ſubrige,
Vt, languor oſſa vbi reliquerit, & ſuæ
Sint restitutæ corpori vires, ratem.
Petamus, atq; omnem amputemus hic moram.
NE. *Gaudeo equidẽ, quòd omnium præter ſpem ego*
Iam te dolore vacuum, & auras ætheris
Videam haurientem, cum doloribus feris
Miſerabilis premerère, ſigna haud amplius
Vitæ vlla cernebantur eſſe reliqua. te
Iam ipſe erige, aut, ſi id fortè malis, erigent
Te iſti, labor minimè grauabit, quando ita
Tibiq́;, mihiq́; hoc eſſe gratum intelligent.
PH. *Gratiam habeo. Tu, ſi lubet, nunc me erige,*
Hos,

Hos, ne ante tempus odore ledantur tetro,
Permitte abire: ſat ſuperq́; moleſtiæ
Illos manebit vna quando vehet ratis.
NEO. *Sit ita, ſed hic conſiſte, teq́; ſuſtine.*
PH. *Depone curam, more me meo erigam.*
N. *Eheu quid inceptem, aut quid aggrediar miſer?*
PH. *Eheu quid hoc eſt, quod tibi verbum excidit?*
NE. *Dubiam haud ſcio quo conferam ſententiam.*
PH. *Eheu quid hæres? ne hoc loquere, fili, modo.*
N. *Hoc illud eſt nunc quod animum torquet meum.*
PH. *Morbi'ne te moleſtiæ mouent mei,*
Quo me minus tecum receptum iam auebas?
NE. *Difficile id in primis, quod aduerſante ſit* ”
Genio, atq; vbi à natura aberramus duce. ”
PH. *Sed nil patre indignum facis, fili, tuo,*
Neque dicis, homini ſi feras opem probo.
NE. *Improbus habebor, cura pectus hæc mouet.*
PH. *Nō ob ea quæ facis, de ijs quæ loqueris, ambigo.*
N. *O Iuppiter quid agam? bis arguar malus,* Redit ad naturam Neoptol.
Occulto vera, & improbos edo ſonos.
PH. *Vir hic, niſi me animus fallit, nunc prodere*
Me ſtatuit, ac mox, me relicto, ſoluere.
N. *Minimè relinquam: ſed dolore cum tuo*
Ne te auebam, hæc cura cruciat animum meum.
PH. *Quid? quidnam ais? non verba percipio tua.*
NE. *Nil occulam. Troïanæ ad vrbis mœnia,*
Et caſtra naue petere Dorica opus erit.
PH. *Miſero hei mihi, quos protuliſti, oro, ſonos?*

NE. *Caue doleas, rem omnem priuſquam noueris.*
PH. *Quid audiam? quid facere me tandem cupis?*
NE. *Hac peſte primùm te leuabo, Troïca*
Dein Marte noſtro diruentur mœnia.
PH. *An iſta facere ſeriò tibi animus eſt?*
NE. *Extrema me huc agit neceſſitas. proin*
Hæc audiens ne pectus iratum excites.
PH. *Periȷ miſer. ſum proditus, vah quid mihi*
Hoſpes ſtruis? tela mihi redde mea ocyus.
N. *Id non licet. quos ſummum apud ius imperiȷ eſt,*
Illorum vt obſequar imperatis, fas iubet.
PH. *O Pyrrhe, monſtrum ô terrificũ, & omnis doli*
Verſutiæq́ꝫ, peſſime architecte, quæ
Molitus in me es? fraude qua, quibus artibus
Miſerum fefelliſti? ſceleſte, ſupplicem
Qua fronte me aſpicere potes? vitam mihi
Raptis ſagittis abſtuliſti, reddito
Rogo, reddito, ſupplex precor, ne per Deos
Vitam mihi meam auferas, miſero hei mihi,
Non loqueris, vtq́ꝫ nil eorum quæ peto
Facturus ita me contuere! ô æquore
Scopuli eminentes, ô maris ſinus vagi,
O agreſtium cœtus ferarum, ô editis
In montibus prærupta ſaxa, alius quia hîc
Nemo eſt cui querar iſta, vobis conqueror.
Vos ſoli adeſtis, vos querelis ſæpius
Noſtris reſonuïſtis, ſatus iam Achille quæ,
Heu qualia in me ſtruxit? ille me domum

Πῦρ in Gręco eſt, alludens ad nomen Pyrrhi quo nomine etiam dictus fuit Neoptolemus. vide Virg. lib. II. Aeneid.

Tragicæ exclamationes, & querelę.

Iura-

Iuratus abducturum, ad Ilion vehit.
Dextraq́; fidei ſymbolo data, Ioue
Nati Herculis mihi modò eripuit ſacros
Arcus, Pelaſgis prædam vt oſtentet ſuis:
Virumq́; quaſi bello ferocem ceperit,
Ita gloriatur, nec ſcit occidiſſe ſe
Iam mortuum, aut fumi vmbram, & idolũ merũ.
Non me integris cepiſſet vſum viribus,
Ne ſic quidem vt nunc conſtitutus ſum, dolos
Niſi adhibuiſſet, & vafras arteis, peri
Aſtu miſer. quid porro agendum? reddito,
Et rurſus indolem ad tuam reuertere.
Quid ais? taces? heu occidi infelix ego,
Gemina ô patens ſaxum fore, recipe hoſpitem
Rurſus tuum. en nudus redit ope omni miſer,
Victusq́; ſpe orbus, abdito hoc vitæ vltimos
Efflabo tabefactus antro ſpiritus.
Non præpetem pennis auem, non montium
Prærupta per feram vagantem hic amplius
Conficiet arcus. moriar ego, quorum antea
E carnibus alimenta ſumpſi, his mox meum
Iacebit eſca cadauer, hei miſero mihi.
Quasq́; iaculis venans petieram prius,
Venatione perſequentur me feræ,
Cædeſq́; cæde corporis luam mei.
Hoc vulnus inflixit mihi ille, quem mali
Omnis, doliq́; ignarum ego putabam, ac rudem,
Extrema nondum, vti pereas, tibi imprecor,

Conſilia

Conſilia peßima fortè mutaturus es,
Hoc antè ſcire cupio. quod ſi pertinax
Hærebis, infelice concidas nece.
C. *Quid facimus? ede, in te hoc ſitũ eſt, hinc ſoluere*
Licebit, aut huius voluntati obſequi.
NE. *Ingens viri huius me mouet miſeratio,*
Mouitq́ dudum.
PHI. *Per Deos quæſo mei*
Miſerere, nec teterrima hac tu nominis
Decus tui contamines, fili, nota,
Per ora vt impoſtor feraris omnium.
N. *Quid agam miſer? vtinã horrida è Scyro pedẽ*
Nunquam tuliſſem: ita pectus hæc angunt meum.
PH. *Præclaro es ingenio, atque natura bona:*
Sed à malis videris hominibus ad nefas
Inſtructus huc venire, fraudibus vtere
In quos decet, teliſq́ redditis abi.
NEO. *Quid agimus ô viri?*
VLYSSES. *Sceleſtißime hominum* — Vt plus turbarum ſit, Vlyſſes prodit.
Quid agis? abi, arcuſq́ hos mihi relinquito.
PH. *Hei quis vir hic? vocem'ne Vlyßis audio?*
VL. *Audis Vlyſſem, meq́ nunc coràm vides.*
PH. *Hei venditus ſum, diſperij, Vlyßes fuit,*
Me cępit ille, arcuſq́ ſpolia tenet mei.
VL. *Cepi illa ego, non alius, id certò ſcias.*
PH. *Da, arcum mihi, fili, relinque.*
VLY. *Hoc maximè*
Si facere cupiat, haud queat: cum armis tibi

Mox

Mox pariter abeundum fuerit, aut ſi quidem
Cum gratia noles bona, vis te auferet.
PH. *Me'ne ô malorum peſſime, audaciſſime*
Violenter iſti me auferent?
VL. *Niſi ſponte vis.*
PH. *O Lemnia humus, ô fabrefactum dextera*
Vulcani, & omnipotens iubar! ferenda'ne hæc?
Tuo'ne vi me iſti reuellent è ſinu?
VL. *Iouis iſta, ſi neſcis, Iouis terra regitur*
Arbitrio: auctor eſt rei huius Iuppiter,
Illius imperio obſequens facio hæc ego.
PH. *Scelerate, tu'ne hæc dicere? dolis tu, tuis*
Mendaciys prætexere audebis Deos?
V. *Non. vera narro, hac eſt iter, eunda hæc via eſt.*
PHI. *Non ibo.*
VL. *At ibis tu quidem. parendum erit.*
PH. *Miſero hei mihi, non liberum, ſeruum pater*
Me genuit.
VL. *Haud ſeruum, parem præſtantibus*
Genuit viris, cum his Pergama capere te decet
Atque Priameia æquare terræ mœnia.
PH. *Nunquam hoc videbis. antè tormenta omnia,*
Sæuiſſima antè ſufferam mala, donec hæc
In edita mihi rupe, ſedes manſerit.
VL. *Ecquid igitur moliris?*
PH. *In præceps datum hoc*
Prærupta ſanguine ſaxa aſperget caput.
VL. *Corripite, ne hoc facere facultas ſuppetat.*

PH. *Eheu manus raptis ſagittis qualia,*
Quàm indigna conſtrictæ patimini, ô improbe,
Sanumq́; qui nihil homineq́; libero
Meditare dignum, fraude qua me aggreſſus es?
Quibus dolis me ſubiugaſti? incognito hoc
Iuuene dolos tegens tuos: indignus eſt
Tua indole ille, dignus ingenio eſt meo,
Ignarus imperio ille paruit tuo.
Quod crimen in me admiſit ille, quodq́; nunc
Sæuis ita abs te torquear modis dolet,
Neq; luctus obſcuras genæ ferunt notas.
Mens inuolucris tecta delitet tua,
Perq́; latebras ſcelerata proſpectans rudem
Scelerum, atq; natura improbum horrentem dolũ
Inſtituit inuitum doloſis aſtubus,
Et fraude callidè improba vti, nuncq́; me,
Vinctumq́; me hac tellure vis educere.
Prius vbi me eiectum reliquiſti exulem,
Orbatum amicis, mortuum inter luminis
Auram trahenteis, ah male pereas, tibi hoc
Sæpe imprecatus ſum, ſed aureis obſerant
Votis Dij, volupe nihil mihi tribuunt.
Vita tibi ducta ſuauis eſt, ego miſeris
Egi doloribus aſperam, & quòd iam, vt vides,
Confectus ærumnis acerbis iaceo, tu
Geminiq́; me rident Atridæ, ijſq́; te
Præbes miniſtrum, ac tu quidem bellum dolo
Suffugere meditans vela tandem pandere

Hoc Cicero explicat li.3. Offic. ub capite de fortitud.

Cum

Cum alijs adactus nauigaſti. at omnium,
Quos educat tellus, miſerrimum mea
Sponte, haud coactum, vela dantem, ac nauium
Septem ducem eiecêre ſpretum illi, vt quidem
Tu ais, at ipſi auctore te factum id ferunt.
At me quid eſt quòd ducitis, qua gratia
Adducitis? nihil amplius ſum, & mortuus
Vobis diu, inuiſiſsimum ô Diuis caput,
Cur nunc tibi non claudus, & grauiter olens?
Quæ vota nunc Dijs nuncupabitis? ſacras
Quæ incenſa, eadem ſi vehar naui ſimul,
Adolebitis ad aras, Vlyſſe, quo modo
Libabitis? cauſsa iſta te mouebat, vt
Eiectum arenæ exponeres incognitæ.
Malè pereatis, peſsima precor nece
Pereatis omnes, quotquot hanc iniuriam
Mihi intuliſtis. facta ſi Diui impia "
Plectunt, peribitis: ſed illi puniunt. "
Nunquam viri cauſſa omnium miſerrimi
Veſtra ſecuiſset æquoris fluctus ratis,
Diuinus huc niſi ſtimulus vos adigeret.
Sed ô ſolum natale, quiq; cernitis
Flagrante Diui cuncta lumine, plectite,
Mactate tandem omneis ſceleſtos, ſi mei
Vos miſereat, vitam licet miſerabilem
Duramq; agam, morbo ſolutus hoc mihi
Viderer, iſtos ſi perire cernerem.
CHO. *Ferocis hoſpes hic animi & oratio*

Sæua ô Vlyſſe, haud cedere malis indicat.
VL. *Quàm plurima occurrunt, quibus refellere*
Dicta huius in promptu foret, ſed tempus hoc
Nunc non ſinit. dixiſſe ſat mihi vnum erit:
Talis ego, vbi res poſtulat, ſum, fateor. at
Virtutis vbi, iuſtiq; quæſtio vertitur,
Iuſti tenax, virtute cedo nemini.
Haud dubia mecum vbiq; ſtat victoria.
Tu ſolus es quem vincere nequeo. itaq;
Nunc ſponte cedere tibi viſum eſt, ſoluite hunc,
Neque tangite amplius, manere ſinite, ſi
Manere ſtatuit, nil neceſſe adducere
Te, armis potiti cùm tuis ſimus: ferox
Bello ſagittandiq; Teucer artifex
Obibit illud munus, ac Teucro ſine,
Non inhabilis mihi ſagittis dextera eſt,
Neque deterior etiam tua. quid arte opus
Nobis tua eſt? vale, atque Lemniam incola
Teras humum. nos imus, atq; gloriam,
Et deſtinatum quod tibi fatis erat,
Summum decus, munus tuum mihi pariet.
PH. *Eheu quid infelix agam? tu armis meis*
Ornatus Argolica videbis agmina?
VL. *Nil obloquaris amplius, diſcedo iam.*
PHI. *O nate Achille, nunquid alloquio tuo*
Tu me iuuabis? tu quoq; ita nunc hinc abis?
VL. *Diſcede, generoſo licet ſis pectore,*
Oculos caue amplius reflectas, optima

For-

Fortuna ne imprudentia pereat tua.
PH. *Etiam, hoſpites, vos deſeretis me, neque*
Animos mouebit calamitas veſtros mea?
CHO. *Iſtius agimus ſubditi imperio, ille vti*
Loquitur, ita etiam nos loqui res poſtulat.
NEO. *Facili vt nimis, vicio mihi miſericordiam*
Verſurus eſt dux Ithacus. attamen ſi huic
Gratum eſt, manete, donec inſtruant ratem
Nautæ, atque componant, Dijſq́ue, quæ decet,
Vota faciamus. fortè pertinacia
Deſiſtet, in meliusq́ue conuerte animum.
Nos duo quidem iam abimus, atque vos vbi
Vocabimus, præcipiti adeſte mox pede.

PHILOCTETES.
Anapæſtici & Trochaici.

O Rupe cauata algidum,
Calidumq́ue antrum,
Nullum abs te me ſegreget æuum.
Tu cum ſpiritus oſſa relinquet,
Me tenebis ſemper.
Hei mihi, ô
Sedes noſtri conſcia luctus.
Quæ me miſerum Fortuna manet?
Quid me poſthac fiet?
Quis benigna porriget cibum manu?
Quis continget alumnus?
Quæ ſpes vitæ reliqua eſt amplius?
Ah, me æthereas fremitu raptet

Turbo per auras:
Non me ſuſtineo amplius.

CHORVS.
Iambici mixti Anapæſt.

IPſe tibi es huius auctor
Infelix mali.
Non aliunde infeſtis ſæua
Te obruit vnda procellis,
Cùm rectiore mente
Vti, atque meliore frui
Tibi ſorte liceret,
Deteriorem amplexus es.
PH. *O me miſerum ter quater*
O infelicem, qui ærumnis
Quaſſus atrocibus,
Hominumq́; ſegregatus
Conſortio, ſecreta
Specu abditus peribo?
Hei, hei.
Nemo erit cibum qui
Porriget, nulla amplius
Tenſis forti neruis dextera
Ferietur auis.
Heu inexſpectata, atque
Clandeſtina fraude doloſæ
Perij linguæ.
Vtinam hæc qui mihi ſtruxit
Tempore tanto,

Sæuos

Sæuos fatigato
Corde ſentiat dolores.
CHO. *Fata tantis te premunt*
Inuolutum curis.
Non manu fraus ſtructa noſtra,
Ne caput ſæuis meum &
Ominoſis obruas diris.
Curæ hoc mihi eſt, ne beneuolentiæ
Expers agas noſtræ.
PH. *Hei mihi nunc ſpumoſo cani*
Littore alicubi reſidens æquoris,
Me inflatis ridet genis
Dextra quatiens vnicum
Vitæ ſubſidium meæ,
Quem nullus vnquam hominum
Geſtauit, ô care arcus,
Cariſq; vulſe è manibus,
Hei quam miſerabiliter.
Si quid habes mentis, vides.
Non te adductis amplius
Sinuabit neruis ſucceſſor
Herculis vnquam.
Mutato domino tractaberis
Peſſimi manu viri.
Nunc pudendas cernes
Fraudes, ſceleſtumq; hominem,
Dijs, mihiq; inuiſum,
Qui turpi concubitu genitus

Infanda machinatus
In me mala eſt, Vlyſsem.
„ CH. *Viri probi eſt quæ iuſta ſunt*
„ *Audacter eloqui, ac loquentem*
„ *Qui audit, taceat, nec rodentem*
„ *Corda dolorem*
„ *Petulante exprimat ore.*
Ille omnium electus
Suffragijs hæc fecit,
Auctoritateq́; ducis Ithaci
Præſidio amicis vt foret,
Huc inſtituit iter.
PH. *O pennigeræ volucrum prædæ, ô*
Ardua colitis quæ iuga montium
Agreſtes feræ,
Ponite vanos corde pauores,
Non fugite amplius
Pede veloci
Rupe cauati latebras antri.
Non noſtra amplius arcus dextera
Stridentia torquebit tela.
Hei miſero mihi.
At nunc omni hic nudatus vacat
Præſidio locus, haud vnquam amplius
Sæuos vobis incutiet metus.
Nunc huc rapido currite greſsu,
Sanguinolenta viciſsim veſtra
Satiate ora, etiam mea

Varijs

Varÿs compuncta carne notis.
Mox mea Stygias fugiet
Vita ſub vmbras:
Namq́ alimenta mihi quis tribuet?
An'ne leues me paſcent auræ, ”
Cùm nutrix quæ tellus ſuggerit,
Nil mihi ſuppetat amplius?
CHO.*Per te ſacros obteſtor Deos,*
Si pia tangit te cura hoſpitum,
Vultu illos amplectere læto,
Omnia qui tibi cupiunt.
Fixumq́ animo, ac certum ſit tuo,
Triſtem effugies, quæ te cruciat,
Fortunam. ſtultus qui miſerè ”
Maault paſci, & mille dolorum ”
Pondere ſemper laſſante premi. ”
PH.*Rurſum ah rurſum veteres animo*
Renouas luctus. cur me occidis?
Quid moliris?
CHO. *Quid ais hoſpes?*
PH. *Inuiſi tu me putas*
Mœnia petiturum Ilÿ?
CH.*Conſultum id rebus tuis.*
PH.*Nunc igitur diſcedite.*
CHO. *Grata mihi grata iubes,*
Faciam hoc, ac faciam volens.
Præcipiti, vt iuſſi ſumus,
Nauim adeamus paſſu.

PH. *Ne abeas per ſummum te oro Iouem.*

CHO. *Diros refrena impetus.*

PH. *O vos per Deos*
Quæſo nautæ.

CHO. *Cur tam ſæuum clamorem cies?*

PH. *Hei, hei, hei,*
O ſors acerba, dura.
Peri miſer, pes, ô pes,
Quo ſuſtinebo te
Poſthac modo?
Redite quæſo huc hoſpites.

CHO. *Quid nos facere vis? mens*
Noſtris tibi contraria
Dictis ſedet.

PH. *Non hoc vitio dandum eſt,*
Si turbida quis preſſus
Tempeſtate dolorum,
Deliros edat ſonos.

CH. *Nobiſcum igitur, vt te oramus,*
Hinc diſcedas.

PH. *Nunquam hinc mouebo,*
Ne ſi coruſco ſæuus
Me fulmine vrat Iuppiter.
Pereant Pergama,
Pereant illi Pergama qui obſident.
Quibus hulcus ob læſi pedis
Me abijcere nulla relligio
Fuit. hoſpites, vos hoc mihi vnum

Præſtate

Præſtate quæſo.
CHO. *Quid hoc eſt?*
PH. *Gladius ſi quis vobis,*
Si qua bipennis, teli'ue aliud
Genus, hoſpites, mihi date.
C. *Quam rẽ, quod quæſo agitas facinus?*
PH. *Ceruicem mihi crusq́; putabo:*
Letiferas me ſtimulat
Morbus ad iras.
CHO. *Qui ſic?*
PHI. *Patrem inquiram.*
CHO. *Quo terrarum?*
PH. *Stygÿ quà regna patent Tartari,*
Lumine dudum eſt vitæ orbatus.
O vrbs patria, ô vrbs, ô vtinam
Te infelix oculis contuear,
Qui ſacra relinquens tua,
Diuosq́; lareis hoſtibus
Socia Arginis anxia tuli!
Perÿ infelix.

Iambici Trimetri.

CH. *Iam ad nauim ego dudum gradu rapido pedes*
Tuliſſem, Achille, niſi ſatum cum Vlyſſe nunc
Contendere huc vidiſſem.
VLYSSES. *Achille progenite,*
Quid adeò te ſtudioſè, & incito gradu
Longam hanc remetiri viam nunc compulit?
NE. *Quod antè perpetraui, vt expiem ſcelus.*
V. *Cul-*

VL. *Culpa hæc atrox ſit oportet, at quod crimen eſt?*
NEO. *Quod obſequens tibi, & vniuerſis copijs.*
VL. *Facinus ne te indignum patraſti? dic precor.*
NE. *Fœdis virum illecebris doliſq; fefellerim.*
VL. *Quēnam? hei mihi, quid mente voluis anxia?*
NEO. *Nihil noui. verùm Philoctete.*
VLY. *Quid eſt!*
Vt pectora pauidus attonita pulſat metus.
NE. *A quo ſagittas cepi, ei rurſum animus eſt.*
VL. *O Iuppiter, quid vis? eas'ne reddere?*
NE. *Cùm probro ego illas, haud honeſtè adeptus.*
VLYSSES. *Ah.*
Dic per Deum, ioco'ne dicere hæc lubet?
NE. *Si vera dicere iocus eſt.*
VL. *Eheu ſate*
Achille, quos profers ſonos? quid cogitas?
NE. *Bis vis eoſdem terq; repetere me ſonos?*
VL. *Moleſtum eos mihi audijſſe vel ſemel.*
NE. *Planè id ſcias: res tota ſic tibi cognita eſt.*
VL. *Eſt aliquis, eſt hoc qui vetabit.*
NEO. *Quidnam ais?*
Ecquis vetabit?
VL. *Dorici hoc exercitus*
Omnes vetabunt copiæ, interq; has ego.
NE. *Sapiens licet dicare, verba non referunt tua*
Sapientiam.
VLY. *At tu neq; loqueris, neq; facere*
Sapienter hæc molire.

N. *Iuſta*

NEO. *Iuſta ſint modò* »
Verſuta poſteriore conſiſtent loco. »
VL. *Nunquid tibi iuſtum videtur reddere*
Quæ comparaſti prouidentia mea?
NE. *Fœdum patraui crimen, hoc reſarciam.*
VL. *An vniuerſum non times exercitum?*
NE. *Cùm iuſtè ago, timorem ego haud paueo tuum.* »
Neque tua quin faciam abſtrahet me dextera.
V. *Tecum igitur, haud contra Ilium pugnandũ erit.*
N. *Quod eſt futurum, eueniat, en capulum manu*
Teneo.
VL. *Sed & facere me idem iam faxo iam*
Cernes, neque futuram moram. nunc te ſinam,
Ac vniuerſus hæc Pelaſgorum audiet
Exercitus, tuq́, meritas pœnas dábis.
NE. *Sapis quidem tu, ac ſapere ſi ita perrexeris,*
In poſterum, extra retrahes luctus pedem.
At tu Philoctete cauo egredere ſpecu.
P. *Quæ vox? quid antri ante geminas turbæ fores?*
Quid me euocatis? qua re opus nunc hoſpites
Habetis? hei mihi graue aliquod eſt malum.
Graue ne aliquod malis vt addatis malum
Pedem huc tuliſtis?
NEO. *Fide, quidq́ velim, accipe.*
PH. *Metuo equidem: ſic ſum, ſemel blandis ſonis.* »
Fidens tuis in calamitates incidi. »
NE. *Nullus'ne reſtat pœnitentiæ locus?*
PH. *Simulatio eadem erat tua, arcum credulo*

Cùm

Cùm tu mihi ſubduceres clàm noxius.
NE. *Non nunc ago hoc, ſcire illud ex te poſtulo,*
An fixa ſedeat pectori ſententia
In calamitate vitam acerbam potius hîc
Tolerare, quàm vnà adire nobiſcum mare?
PH. *Deſiſte, ne quid amplius: fruſtra tibi*
Verba hæc cadunt.
NE. *Firma igitur hæc ſententia eſt?*
PH. *Eſt, quamq; poſſim id explicare firmior.*
NE. *Huc poſſe te ratione duci credidi,*
Verùm illa inopportuna ſi ſunt, deſino.
PH. *Quæ fundis irrita verba labuntur, neq;*
Vt beneuola erga te geram vnquam pectora,
Potero moueri: tu doloſis artibus
Telis me, & arcu, & luce priuaſti ætheris,
Vtq; moniturus nunc ades, patris optimi
Scelerata proles. peßimè Atridæ precor
Pereant, Vlyßes dein, tu ab illis tertius.
NE. *Parce imprecari, ac tela cape manu hæc mea.*
PHI. *Quid dicis? hem, rurſus'ne verſamur dolis?*
NE. *Summi Tonantis alta teſtor numina.*
PH. *Gratißima ô mihi verba, ſi non vana ſunt.*
NE. *Oſtendet id res ipſa, dexteram huc age*
Protende, & arma iam tibi tua accipe.
VL. *Auctoritate ego hoc Atridûm, & totius*
Exercitus veto, Deos teſtes voco.
PH. *Vox cuius hæc eſt, fili, Vlyſſem'ne audio?*
VL. *Audis Vlyßem, illumq; iam coràm vides,*

Qui

Qui te, velit nolit Neoptolemus, ſtatim
Troiana ducam vbi metuntur paſcua.
PH. *Haud ſine tuo duces malo, ſagitta ſi,*
Quò dirigetur, iſta continget ſcopum.
NE. *Hei quid agis? hei caue tela quæſo emiſeris.*
PH. *Sine quæſo mittam per Deos fili optime.*
NEO. *Nunquam ſinam.*
PH. *Hei virum quid aduerſarium*
Hoſtemq́, telis non ſinis figi meis?
NE. *Verùm id neq, mihi, neq, foret honeſtum tibi.*
PH. *Hoc ſcito, precones Pelaſgo in agmine* ”
Primos ineptas bello habere dexteras, ”
Petulante lingua ſtrenuè ferociunt. ”
NE. *Sit ſanè. at arcum iam tenes tuum, neq,*
Eſt cauſſa, cur mihi amplius ſuccenſeas.
PH. *Confiteor. haud degenere ab illo, quo es ſatus,*
Te oſtendis indole eſſe, non patre Siſypho,
Sed ex Achillis ortum ſemine, qui omnium
Viuentium, dum lucis auras duceret,
Et mortuorum nunc habetur optimus.
NE. *Patrem meum abs te, meq́, laudari, vt decet,*
Lætor Philoctete. at ego quid præſtare te
Mihi velim, audi. quæ voluntate accidunt ”
Deorum hominibus calamitates, ferre eas ”
Toleranter eſt neceſſe. qui accerſunt ſibi, ”
Quæ fugere poſſent, veluti tu, mala, veniam ”
Aut miſericordiam haud merentur. feruida ”
Geris efferatum bile pectus, nec bene

Qui

Hoc aiunt melancholicorũ eſſe proprium.

Qui conſulit, apud te reliquus vlli eſt locus.
Quin recta quiſquis amore ductus candido
Monet, odio in illum exaſperaris, hoſtem eum
Cenſes tibi: dicam tamen, teſtis mihi
Sit Iuppiter, perpende dicta, & intimo
Recondc ſculpta pectore, hunc morbum tibi
Diuinus inflixit furor, tum, cùm aureum,
Sacri ad patentes qui fores adyti latens
Custos cubabat, propius anguem accederes.
Neque grauis huius eſt quod vnquam vllum mali
Speres leuamen, donec hoc Phœbi iubar
Hic tollet, illic æquore abſcondit caput,
Niſi ſponte Troiæ fertiles petas agros,
Mox Aeſculapio ſati fratres feram
Tibi mitigabunt vlceris peſtem, Ilium
Adiutus ope mea hiſce telis dirues.
At quo modo hæc ſic eſſe norim, iam eloquar,
Eſt Ilio captiuus Helenus inclytus
Vates futura hæc qui, vt loquor, certus canit,
Ad hæc, capi hac æſtate Troiam, ac dirui
Fatis ſtatutum, falſa ſi queat argui
Loquutus eſſe, morte non renuit lui
Mendacium. atq; hæc ſic ſe habere cùm ſcias,
Spontaneum rogantibus te præbeas.
Theſauri id haud exigui habendum erat loco,
Primùm Pelaſgos atque præſtantiſſimum
Te principes inter habitum, ac Podaliria
Sæui leuamen arte conſequi mali,

Et lu-

Et luctuoſo diruto Ilio decus
Ingens, & inclytam referre gloriam.
PH.*Odioſa vita, quid me adhuc hic detines?*
Cur cæli adhuc aſpicio ſupera lumina?
Cur non ad vmbras me relegas inferas?
Hei quid miſer agam? quanam ego fronte renuam
Tam beneuolis huius tribuere hortatibus
Fidem integram? cedamne igitur? at quomodo
In publicum auſim exire, quis volet alloqui?
O circuli cælo micantes, qui mala,
Quibus miſer agitor, videtis omnia,
Hæc quomodo vos ſuſtinebitis? Atrei
Cum ſobole, quæ me perdidit, vitam exigam?
Et cum ſceleſta ſtirpe Laërtis ſenis?
Nec tam feris peracta me doloribus
Exulcerant, quàm quæ ferenda ab his mihi
Reſtare nunc proſpicio. nam natura queis
Matrem dedit mentem malam, illa ſic ſuos
Inſtituit, vt ſimilia cogitatibus
Scelerata ſemper perpetrent. Quin te quoque
Demiror euerſurum abire Pergama.
Non te decebat, meq́; , ſi mens ea foret,
Vetare, cùm te iniuria illi tam graui
Affecerint, cùm honore te ſpoliauerint
Sæui paterno, ac iudicio iniquo impij
Aiaci Vlyſſem præpoſuerint. his ne tu
Laturus opem abis? atque eodem me quoque
Compellis? haud faciam equidem. Tu vti mihi

 Iuraſti

Iuraſti, humo me ſiſte tandem patria,
Scyroq́; tu degens tua, malos ſine
Malè diſperire: ita duplici me nunc tibi
Deuincies beneficio, ac duplici patrem,
Nec arma cum malis ſocia ferre renuens
Conſortio improborum habeberis improbus.
NEO. *Vera illa ſunt quæ dicis, attamen velim*
Monita Deorum audire te, meisq́; iam
Verbis habere fidem, atque amico cum viro,
Importuoſo ſoluere hoc à littore.
PH. *Campos'ne peterem Troiæ, & inimiciſsimum*
Claudo pede, affectoq́; viſam Atrei genus?
NEO. *Hos, pure qui plenum tetro pedem tibi*
Dolore, & atro liberabunt vlcere:
PH. *O vocem acerbam, quid loquutus es cedo.*
NE. *Quæ tibi video, mihiq́; honeſta confore.*
PH. *Non tu hæc loqui Dÿs erubeſcis teſtibus?*
NE. *Minimè equidē, vbi ſtudiū ferendæ adeſt opis.*
PH. *Quod ais, Atridis vtile'ne id eſt, an mihi?*
NE. *Tibi ſum amicus, amica vt hæc oratio eſt.*
PH. *Sed quî? hoſtibus qui proditum me vis meis?*
NE. *Amice, te afflictæ caue res efferant.*
PH. *Si verba percepi iſta, tu me is perditum.*
NE. *Minimè ego: ſed tu verba non capis mea.*
PH. *Hec vnum Atridas me expuliſſe intelligo.*
NE. *Pepulêre: ſed te iterū vide incolumē vt beent.*
P. *Nunquā hoc modo me, ſponte Troiā vt cōſpicer.*
NE. *Quid*

NE. *Quid agam igitur, cũ nulla, quam adfero, ratio*
Te permouere poſſit? hoc igitur agam,
Fruſtra laborem deſinam conſumere,
Tuoq́ acerbam exigere vitam arbitrio,
Salutis, vt nunc viuis, expertem optimæ.
PH. *Sine me pati, quæcunque oportebit pati.*
Quæ tacta, amice, pollicitus es dextera,
Ad patrios quod me reduceres lareis,
Re perfice, neque diu moras trahe amplius,
Neque luſtuoſæ memineris Troiæ: ſatis,
Satis illa multis conſtitit mihi lacrymis.
NE. *Eamus ergo ſi lubeat.* PH. *O læta vox.*
NE. *Inſiſte firmo nunc gradu.* PH. *Quantũ queam.*
NE. *Culpæ reus ſed huius Argiuos apud*
Ne poſtuler, quid erit agendum? PH. *Fortiter*
Contemne. NE. *Quid ſi regna deuaſtent mea?*
PH. *Aſſiſtam ego.* NE. *Qua re vſui mihi tu eris?*
PH. *Magni ſagittis Herculis.* NE. *Sed quo modo?*
PH. *A patriæ eos arcebo finibus tuæ.*
NE. *Si quod iam ais, facturus es, gradum moue,*
Pronoq́ figas ore telluri oſcula.

HERCVLES.

Anapęſt. vt in Græco.

N E *quò greſſus longius auferas,*
Pœante edite, noſtros antè quàm
Affatus audieris,
Vox Ioue geniti

Herculis auribus inſonat.
Hunc audis, huius vultum aſpicis:
Te propter cæleſti venio
Sede relicta:
Conſilia tibi ſecreta Iouis
Pandam. properos aliô iubeo
Flectere greſſus, cœptos linque
Curſus, noſtroſq; auribus excipe
Pronis monitus.

Iamb. Tri. *Fortuna me quibus aſpera afflixit modis,*
vt in Græ. *Tu noſti, & vt durum per immenſos iter*
Triui labores, gloria immortalis hæc,
Quæ cernis ipſe nunc, prius quàm præmia
Sum conſecutus. Atque ne erres, tibi etiam
Patienda reſtant multa, vt hiſce laboribus,
Vt hac via ad perenne graſſeris decus.
Huic itaque te ſocium viro iungens, petes
Troiam, & ibi mox morbo leuaberis tetro,
Primumq; Achiuos inter obtinens locum,
Qui cladium auctor ſolus omnium extitit,
Paridi ſagittis auferes vitam meis:
Dein Marte vbi direptum erit tuo Ilium,
Virtute ſpolia parta, primaq; omnium
Electa tranſmittes domum patrem ad ſenem
Pœanta, celſis Oeta vbi ſurgit iugis.
Sed quæ à Pelaſgûm ſpolia ſumes copijs
Monimenta telorum meorum, ea tumulo
Affixa ſacrabis meo. atque te quoque

Achille

Achille nate moneo: nam neque ille te
Sine, neque tu ſine eo, Ilium excindes: ſed vt
Nutriti iiſdem paſcuis gemini ſimul
Feri leones: ſerua cum tu, & ille te.
Ad Ilium interea ego natum Apolline,
Te vt vlceroſi peſte morbi liberet,
Mittam Aeſculapium. Secundò dirui
Troiam ſagittis fata poſtulant meis.
Sed quando humum vaſtabitis, ne mentibus „
Relligio veſtris, ac Deûm cura excidat: „
Huic cuncta posteriora ducit Iuppiter. „
Pietas cum hominibus ſancta moritur, & tamen „
Viuantq́; morianturq́;, ea haud vnquam interit. „
PH. *O vox quàm optata auribus*
Inſonuit meis? Anapæſt. vt in Græ.
O quam longi poſt ſpatia æui
Te nunc conſpicio lubens:
Sanctis obſequor en ego iuſſis.
NEOP. *Huic quoque ego accedo ſententiæ.*
HE. *Non longas iam nectatis moras:*
Oportuna vocat tempeſtas,
Facileſq́; vrgent puppim venti.
PHI. *Quod poſſum promoueo greſſus,*
Verùm ante ſalutem hoſpitæ
Dicam telluri. ô antrum, ô mea
Vale cuſtodia, voſq́; irriguis
In pratis nymphæ quæ degitis,
Pelagoq́; fragor terribilis ſonans,

Vbi ſæpe meum rupe exciſo
Contectum ſpecu
Immaduit caput imbribus auſtri,
Vbi vocem meam
Hermæi iterauerunt colles:
Sæpe, repercuſſoſq; ingeminans
Garrula gemitus reddidit Echo,
Cùm fera hyems me morbo affligeret.
Nunc vos Lycij fontes, nunc vos,
Quod nunquam fore credidi,
Dulces lymphæ linquimus.
Salue vndiuago Lemnos cincta
Vndique ponto, da nunc proſpero
Cærula curſu findam tumidi
Marmora pelagi,
Quô me fata vrgent, & amici,
Et cui ſubiecta iacent omnia
Dæmon, hæc ita qui conſtituit.
CHO. *En propero confertim abeamus*
Socij paſſu,
Nymphaſq; precemur pontigenas,
Fortunatum vt tribuant reditum.

FINIS PHILOCTETIS.

Bruxellæ VIII. Id. Maij.
M. D. LIII.

NICOLAVS NICOLAI GRVDIVS GEORGIO RATALLERO S. P.

Dolam.

EXHIBVIT mihi, Georgi Ratallere, ſuperioribus diebus à te litteras D. Stephanus Stratius, quibus in extremis ſalutē mihi adſcripſeras, non obſcurum quidem teſtimonium animi erga me tui: quod gratiſsimum mihi ſanè, vt debuit, fuit: hoc ipſo verò die Tragœdias tres, Aiacem, Antigonen, Electram, quas de Græcis Sophoclis ita conuertiſti, vt victuras eſſe dubitare non debeas. Ego certè, Latina iſta tua poſtquam legere cœpi, ita ſum admiratus, ijſque ita vehementer delector, inducere animum vt nequeam credere, ijſdem vnquam Gręcis delectatum peræquè fuiſſe Q. illum, M. Tullij Ciceronis fratrem, maximum Sophoclis admiratorem, de quo magnificum non ignoras atque præclarum illud elogiũ in 5. de Finib. Ipſum etiam M. Tullium, eſt quod credam, atque Licinium, ſi reuiuiſcant, aliter longè de Electra iſta tua, quam de Attilij, ſcriptoris ferrei, iudicaturos eſſe. Quod vtinam ſapientiſſimi hominis, ac diuini poëtæ (ſic enim illum Cicero nominat) & reliquas Tragœdias, in quibus illum faciendis ad ſummam ſenectutem verſatum ferunt, eundē iſtum ad modum traductas haberemus, quibus Gręcè perdiſcere non contigit. Sed fruſtra optantur,

quæ interciderunt. De ijs quidem, quæ etiamnum exſtant, in ſpem venio, atque confido, eſſe te aliquando perfecturum, vt frui ſimiliter poſſimus. Equidem te hortari non dubito, mi Ratallere, vt quanquam Iuriſprudentiæ præcipuam eſſe nauandã operam prudenter iudicas, aliquid tamen quotidie ſtudij, & temporis in eo genere litterarum ponere ne deſinas, quæ quem ad modum nominantur, ſic & humaniſſimæ ſunt, & ad celebritatem nominis illuſtriſſimæ, atque ęternæ. Vale, meq́ue tuum eſſe planè puta, atque Arnoldum fratris mei filium ad præclara iſta ſtudia frequenter hortare. Bruxella. v. Octobris.

M. D. L.

IOA-

IOACHIMVS POLITES GEORGIO RATALLERO S. P.

Atrebatum.

Etsi à multis quidem annis egregias virtutes tuas, ingeniiq́ue dotes ampliſſimas ſemper feci maximi, Ratallere doctiſſime: tamen ex Italia reuerſus vbi tres illas Sophoclis Tragœdias, quas ſumma mehercule felicitate Latinas reddidiſti Caſp. Sceti beneficio nactus, perlegi, ita derepente incredibili tui amore ac deſiderio ardere cœpi, vt quem antea de nomine tantùm mihi cognitum, propter aliorum de eccellenti doctrina tua iudicium, ſummis vbique laudibus extuleram, eundem ex eo tunc tempore, non modò diligere, verum etiam perpetua quadam obſeruantia, ac veneratione proſequi non dubitarim. Memoria tenere Scetum arbitror, quanta cum animi voluptate tunc in lectione verſionis tuę aſſiduè ſim verſatus, in qua non modò Cothurnatam illam Sophoclis grandiloquentiam imitatus es, verùm etiam, obſeruata in omnibus eiuſdem pene carminis ratione, diuinam ipſius auctoris maieſtatem quàm feliciſſimè aſſecutus eſſe videaris. Teſtis eſt præterea non obſcurus, & omnino ſtudiorũ meorum conſcius Cornelius Scribonius Grapheus, apud quem tacitis nuncupatisq́ue votis ſæpenumero eam tibi mentem ac voluntatem dari exoptaui,

qua reliquas etiam Tragœdias Sophoclis pari felicitate in Latinum ſermonem conuertere poſſes. Et quoniã id abs te factũ eſſe intellexi, conſtitui in poſterum quotidianis pæne flagitationibus impellere ac laceſſere animum tuum: teque rogare etiam atq; etiam non dubitaui, vt ea tandem luce frui patiaris, ex quibus olim ſummam laudem atque gloriam ſis conſecuturus. Neque verò te mouere debent quorundam tetricorum hominum præpoſtera iudicia, qui ſub prętextu ac ſpecie Iurisprudẽtiæ (cuius tantùm nomen atque titulum profitentur) non tam odio quodam inueterato erga omnes diſciplinas, quam mera barbarie rerumq; ignoratione imbuti, in optimarum artium ſtudia pæne conuicia facere conſueuerunt. Nam illi ipſi dum in perpetuis tenebris ſine laude, ſine gloria deliteſcunt, ſplendori veſtro non modò obeſſe non poterunt, verum etiam ne ipſi quidem vllam factorum conſiliorumq; ſuorum memoriam ad poſteritatem traducent. Quaré ſi te tuaque omnia tibi curæ eſſe vis, ſi virtutes tuas orbi innoteſcere, ſi denique ſcripta ac monumenta tua ab interitu atque obliuione vindicare cupis, cõſule in tempore rebus tuis, & reliquas tragœdias a te Latinitate donatas, legendas, atque imprimendas quàmprimum ad nos mitte, quas Caſp. Sceto, Nicolao Grudio, & Grapheo cõmunicabimus, & denique dabimus operam, vt honori tuo cum dignitate, & ſimul poſteritatis memorię inſeruiamus. Vale Optime Ratallere, & me D. Petro Manchicourtio de meliore nota commenda.

Antuerpia, III. Calend. Nouembris.
M. D. LVII.

Errata quæ inter excudendum obrepſère,ſic corrige.

Prior numerus paginam, poſterior verſum deſignat.

In epiſt.dedicat. *2.ver,19.δοκούντων αὐτὸν, *4 ver.vlt.Heroũm.
Pag. 1.v.27.ferentem. 20. 9.apud. 25. 5.ςtasque. 27. 12.ego. 30.14.modo
31.9.docte. 33.26. Seruetur Aiax. 42. 2. Diuûm ſed abſq,.5.Seuit 49. 5.
ne quid 53.18.Nocturnos 66.3.Notauit? v.5.obſecutus. p.73.in marg.ca-
nes. 75.in marg.in c.Menna. 76.13.At hoc 80.24.auctor. 86.6.illic ama-
to.90. 23.tuam 91.24.ne me coarguere 92.5.imperio. 18.pugnam vbi. ,in
marg.Mentem 93.21.Salute nil 102.in marg.recenſentur 108.16.futurum
vt antequàm 18.vnum viciſſim des tuis 116. 16.Erepte 122.13.cœcus 21. in
ſinu, 28 Hic ſcrupus 125.21.Strophiũ 127. 6.deſperatæ 26. virtutẽ ſpernit
128. 6.greſſu, 10. & cauta 140.23.functis 145. 8. negligens. 9.iactabas:
148.26.Argiuûm 152. 14.ſurſum deorſum 154.9.moleſtæ 21.Rumor 155.
in marg.Rexq; patrem 156.1.Dominæ 159. 18.robúrue 169.19.Nec fortè
171.15.dolere 187.28.animo 193. 24.Auribus 199.36.quam 205.in ma.
aduerſæ vrgent 207 in marg.exaggerant ne præ 210.9.relliquit, 211.20.a-
micorúmue perculſi 214.13. atrocibus 216.5.morem meis. 8. inexorabilis
217.15.lubet,nam dixeris 224.22. Iræque vis 26.vultúne 228.16. at duorũ
234. 14.vbi eſt, caſus vbi 239. 10. Diuerſa verbis 19. *delendum* in vita. 27.
Factisque 240.16.euecta es 243.4.tibi eſt iter? 21.abijt in exitium.27.vati-
cinia 257.4 different 258.18.Impetu 11.Imo 262. 2.modo. 264.11. heu
nuptiæ,eheu nuptiæ 23.vlla,ite, 265.27. Quid factu erit 272.19.pœnarum
290.in marg. fungerentur. 20. aiunt. mei 294.13.vltrò mihi 295.28.ma-
nibus? 299.23.error 302.19.Terræ 303.25. malet 304. 21.Me deſerens,
305.22.petris 307.in màrg.equitumq́ue 309. 25.Infeſtus 312.11. Et hîc
quæ eſt, alteram 314.8. Sæui impetus. 316. 21. vitæ vnica 318.11. Infamia
hac quæ 320.12.Si cum 16. infauſtis 323.28.Egregij 325.5.virginem. 327
1.contingat 329. 24.iudicem? 335.4. resq́ue geſtæ 337.21. miſerias 340.
6,*delendum* vos inclytas 7. ſumma pietas vos inclytas 344. 17.commouent
345.26.accidat tibi, 348 .3.noſti ſatis. 359.20.virum tantum. 362.14 Tri-
ſtiſsimos 368.4.eædem 5.diffluunt.371.9.famæ.379.28.erga 380 8.ſilebis
10.Noſtíne? 11.Noui at iſta 381.1.vaſtauit vrbem, 385.9. cum 388.24.ſa-
cras, 391.17 tunicam 392.22.autumno 399.26.ſtrepitus 418.3.Veniamq́;
date 426.14.omnia, 427.21. poſsit 428.1. dextero 21,Inſpice.429. 13.ſub
dio, 433.19.Rumor meorum, 25. Me illi quidem 447. 10. Celanda quod
nunc proferam.450.4.properemus.465.27.reſperget caput. 469.11.conuer-
tet 470.25 doloſæ fraude 472.28.Satiate ora etiã mea 475. 19 auxilia tuli!
23.Achille niſi 480.12 Abſcondet

A01 1464561

Vbi ſæpe meum rupe exciſo
Contectum ſpecu
Immaduit caput imbribus auſtri,
Vbi vocem meam
Hermæi iterauerunt colles:
Sæpe, repercuſſoſq́; ingeminans
Garrula gemitus reddidit Echo,
Cùm fera hyems me morbo affligeret.
Nunc vos Lycij fontes, nunc vos,
Quod nunquam fore credidi,
Dulces lymphæ linquimus.
Salue vndiuago Lemnos cincta
Vndique ponto, da nunc proſpero
Cærula curſu findam tumidi
Marmora pelagi,
Quô me fata vrgent, & amici,
Et cui ſubiecta iacent omnia
Dæmon, hæc ita qui conſtituit.
CHO. *En propero confertim abeamus*
Socij paſſu,
Nymphaſq́; precemur pontigenas,
Fortunatum vt tribuant reditum.

FINIS PHILOCTETIS.

Bruxellæ VIII. Id. Maij.
M. D. LIII.

NICOLAVS NICOLAI GRVDIVS GEORGIO RATALLERO

S. P.

Dolam.

EXHIBVIT mihi, Georgi Ratallere, ſuperioribus diebus à te litteras D. Stephanus Stratius, quibus in extremis ſalutẽ mihi adſcripſeras, non obſcurum quidem teſtimonium animi erga me tui: quod gratiſsimum mihi ſanè, vt debuit, fuit: hoc ipſo verò die Tragœdias tres, Aiacem, Antigonen, Electram, quas de Græcis Sophoclis ita conuertiſti, vt victuras eſſe dubitare non debeas. Ego certè, Latina iſta tua poſtquam legere cœpi, ita ſum admiratus, ijſque ita vehementer delector, inducere animum vt nequeam credere, ijſdem vnquam Grȩcis delectatum peræquè fuiſſe Q. illum, M. Tullij Ciceronis fratrem, maximum Sophoclis admiratorem, de quo magnificum non ignoras atque præclarum illud elogiũ in 5. de Finib. Ipſum etiam M. Tullium, eſt quod credam, atque Licinium, ſi reuiuiſcant, aliter longè de Electra iſta tua, quam de Attilij, ſcriptoris ferrei, iudicaturos eſſe. Quod vtinam ſapientiſſimi hominis, ac diuini poëtæ (ſic enim illum Cicero nominat) & reliquas Tragœdias, in quibus illum faciendis ad ſummam ſenectutem verſatum ferunt, eundẽ iſtum ad modum traductas haberemus, quibus Grȩcè perdiſcere non contigit. Sed fruſtra optantur,

quæ interciderunt. De ijs quidem, quæ etiamnum extant, in ſpem venio, atque confido, eſſe te aliquando perfecturum, vt frui ſimiliter poſſimus. Equidem te hortari non dubito, mi Ratallere, vt quanquam Iuriſprudentiæ præcipuam eſſe nauandā operam prudenter iudicas, aliquid tamen quotidie ſtudij, & temporis in eo genere litterarum ponere ne deſinas, quæ quem ad modum nominantur, ſic & humaniſſimæ ſunt, & ad celebritatem nominis illuſtriſſimæ, atque ęternæ. Vale, meque tuum eſſe planè puta, atque Arnoldum fratris mei filium ad præclara iſta ſtudia frequenter hortare. Bruxella. v. Octobris.

M. D. L.

IOA-

IOACHIMVS POLITES GEORGIO RATALLERO S. P.

Atrebatum.

Etsi à multis quidem annis egregias virtutes tuas, ingeniJque dotes ampliſſimas ſemper feci maximi, Ratallere doctiſſime: tamen ex Italia reuerſus vbi tres illas Sophoclis Tragœdias, quas ſumma mehercule felicitate Latinas reddidiſti Caſp. Sceti beneficio nactus, perlegi, ita derepente incredibili tui amore ac deſiderio ardere cœpi, vt quem antea de nomine tantùm mihi cognitum, propter aliorum de eccellenti doctrina tua iudicium, ſummis vbique laudibus extuleram, eundem ex eo tunc tempore, non modò diligere, verum etiam perpetua quadam obſeruantia, ac veneratione proſequi non dubitarim. Memoria tenere Scetum arbitror, quanta cum animi voluptate tunc in lectione verſionis tuę aſſiduè ſim verſatus, in qua non modò Cothurnatam illam Sophoclis grandiloquentiam imitatus es, verùm etiam, obſeruata in omnibus eiuſdem pene carminis ratione, diuinam ipſius auctoris maieſtatem quàm feliciſſimè aſſecutus eſſe videaris. Teſtis eſt præterea non obſcurus, & omnino ſtudiorũ meorum conſcius Cornelius Scribonius Grapheus, apud quem tacitis nuncupatiſque votis ſæpenumero eam tibi mentem ac voluntatem dari exoptaui,

qua reliquas etiam Tragœdias Sophoclis pari felicitate in Latinum ſermonem conuertere poſſes. Et quoniã id abs te factũ eſſe intellexi, conſtitui in poſterum quotidianis pæne flagitationibus impellere ac laceſſere animum tuum: teque rogare etiam atq; etiam non dubitaui, vt ea tandem luce frui patiaris, ex quibus olim ſummam laudem atque gloriam ſis conſecuturus. Neque verò te mouere debent quorundam tetricorum hominum præpoſtera iudicia, qui ſub prętextu ac ſpecie Iurisprudẽtiæ (cuius tantùm nomen atque titulum profitentur) non tam odio quodam inueterato erga omnes diſciplinas, quam mera barbarie rerumq; ignoratione imbuti, in optimarum artium ſtudia pæne conuicia facere conſueuerunt. Nam illi ipſi dum in perpetuis tenebris ſine laude, ſine gloria deliteſcunt, ſplendori veſtro non modò obeſſe non poterunt, verum etiam ne ipſi quidem vllam factorum conſiliorumq; ſuorum memoriam ad poſteritatem traducent. Quare ſi te tuaque omnia tibi curæ eſſe vis, ſi virtutes tuas orbi innoteſcere, ſi denique ſcripta ac monumenta tua ab interitu atque obliuione vindicare cupis, cõſule in tempore rebus tuis, & reliquas tragœdias a te Latinitate donatas, legendas, atque imprimendas quàmprimum ad nos mitte, quas Caſp. Sceto, Nicolao Grudio, & Grapheo cõmunicabimus, & denique dabimus operam, vt honori tuo cum dignitate, & ſimul poſteritatis memorię inſeruiamus. Vale Optime Ratallere, & me D. Petro Manchicourtio de meliore nota commenda.

Antuerpia, III. Calend- Nouembris.

M. D. LVII.

Errata quæ inter excudendum obrepſêre, ſic corrige.

Prior numerus paginam, poſterior verſum deſignat.

In epiſt. dedicat. *2. ver. 19. δοκούντων αὐτὸν, *4 ver. vlt. Heroem.
Pag. 1. v. 27. ferentem. 20. 9. apud. 25. 5. ςtasque. 27. 12. ego. 30. 14. modo 31. 9. docte. 33. 26. Seruetur Aiax, 42. 2. Diuûm ſed abſq, . 5. Seuit 49. 5. ne quid 53. 18. Nocturnos 66. 3. Notauit? v. 5. obſecutus. p. 73. in marg. canes, 75. in marg. in c. Menna. 76. 13. At hoc 80. 24. auctor. 86. 6. illic amato. 90. 23. tuam 91. 24. ne me coarguere 92. 5. imperio. 18. pugnam vbi. , in marg. Mentem 93. 21. Salute nil 102. in marg. recenſentur 108. 16. futurum vt antequàm 18. vnum viciſſim des tuis 116. 16. Erepte 122. 13. cœcus 21. in ſinu, 28 Hic ſcrupus 125. 21. Strophiũ 127. 6. deſperatæ 26. virtutẽ ſpernit 128. 6. greſſu, 10. & cauta 140. 23. functis 145. 8. negligens. 9. iactabas: 148. 26. Argiuûm 152. 14. ſurſum deorſum 154. 9. moleſtæ 21. Rumor 155. in marg. Rexq; patrem 156. 1. Dominæ 159. 18. robúrue 169. 19. Nec fortè 171. 15. dolere 187. 28. animo 193. 24. Auribus 199. 36. quam 205. in ma. aduerſæ vrgent 207 in marg. exaggerant ne præ 210. 9. relliquit, 211. 20. amicorúmue perculſi 214. 13. atrocibus 216. 5. morem meis. 8. inexorabilis 217. 15. lubet, nam dixeris 224. 22. Iræque vis 26. vultúne 228. 16. at duorũ 234. 14. vbi eſt, caſus vbi 239. 10. Diuerſa verbis 19. *delendum* in vita. 27. Factisque 240. 16. euecta es 243. 4. tibi eſt iter? 21. abijt in exitium. 27. vaticinia 257. 4 different 258. 18. Impetu 11. Imo 262. 2. modo, 264. 11. heu nuptiæ, eheu nuptiæ 23. vlla, ite, 265. 27. Quid factu erit 272. 19. pœnarum 290. in marg. fungerentur. 20. aiunt. mei 294. 13. vltrò mihi 295. 28. manibus? 299. 23. error 302. 19. Terræ 303. 25. malet 304. 21. Me deſerens, 305. 22. petris 307. in marg. equitumque 309. 25. Infeſtus 312. 11. Et hîc quæ eſt, alteram 314. 8. Sæui impetus. 316. 21. vitæ vnica 318. 11. Infamia hac quæ 320. 12. Si cum 16. infauſtis 323. 28. Egregij 325. 5. virginem. 327 1. contingat 329. 24. iudicem? 335. 4. resque geſtæ 337. 21. miſerias 340. 6, *delendum* vos inclytas 7. ſumma pietas vos inclytas 344. 17. commouent 345. 26. accidat tibi, 348. 3. noſti ſatis. 359. 20. virum tantum. 362. 14 Triſtiſsimos 368. 4. cædem 5. diffluunt. 371. 9. famæ. 379. 28. erga 380 8. ſilebis 10. Noſtíne? 11. Noui at iſta 381. 1. vaſtauit vrbem, 383. 9. cum 388. 24. ſacras, 391. 17 tunicam 392. 22. autumno 399. 26. ſtrepitus 418 3. Veniamq; date 426. 14. omnia, 427. 21. poſsit 428. 1. dextero 21, Inſpice. 429. 13. ſub dio. 433. 19. Rumor meorum, 25. Me illi quidem 447. 10. Celanda quod nunc proferam. 450. 4. properemus. 465. 27. reſperget caput. 469. 11. conuertet 470. 25 doloſæ fraude 472. 28. Satiate ora etiã mea 475. 19 auxilia tuli! 23. Achille niſi 480. 12 Abſcondet

A01 1464561